# ANNALES
## ORDINIS CARTUSIENSIS

Imprimi potest.

Fr. Anselmus-Maria, Prior Cartusiæ.
III Kalend. Nov. M. DCCC. LXXXIX.

Imprimatur.

✝ Desideratus-Joseph, Episc. Atrebat.,
Atrebat., IV Nonas Nov. M. DCCC. LXXXIX.

# ANNALES

## ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429

AUCTORE

*D. CAROLO LE COUTEULX*

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS

IN LUCEM EDITI

VOLUMEN QUINTUM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS

M DCCC LXXXIX

# ANNALES

# ORDINIS CARTUSIENSIS

## SECULUM TERTIUM PROSEQUITUR

## JESU CHRISTI ANNUS 1309.

| Clementis PP. V | Ordin. Cartus. | Bosonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 5. | Ann. 226. | Ann. 33. |

I. SEQUITUR Christi Redemptoris annus nonus supra millesimum trecentesimum, Indictione septima, quo ineunte Carolus II rex Siciliæ fundationem Domus Padulæ ab annis quinque factam dato sequenti diplomate confirmavit : CAROLUS REX SICILIÆ FUNDATION. CARTUS. PADULANÆ CONFIRMAT.

« Carolus secundus, Dei gratia rex Jerusalem et Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii ac Pedimontis comes, universis præsentes litteras inspecturis tam præsentibus quam futuris. Si nonnunquam circa ecclesias ecclesiasticasque personas et alia etiam pia loca libenter munificentiam nostræ benignitatis impendimus, promptis affectibus quod ipsis est datum ab altero per nostræ autoritatis præsidium benignius roboramus. Sane religiosi viri Prior et Conventus novæ Domus S. Laurentii de Padula Cartusiensis Ordinis, Campagnensis diœcesis, de-

ANNUS 1309

voti nostri, exposuerunt noviter coram nobis quod vir nobilis Thomasius de S. Severino comes Marsici, dilectus consiliarius, familiaris et fidelis noster, ad dictum Ordinem zelo sinceræ devotionis accensus, pro remedio ac salute animæ suæ, prædecessorum ac etiam successorum suorum, cum consensu et voluntate Henrici militis primogeniti filii sui, præfatæ Domui sua utique noviter dispositione fundatæ, ac eisdem Religiosis et eorum successoribus, pro usibus et utilitatibus eorum ac Domus ejusdem obtulit et in burgensaticum dedit, concessit, tradidit et donavit in perpetuum et irrevocabiliter bona subscripta : videlicet domorum ædificia et officinas ad ecclesiam S. Laurentii de Padula, Campagnensis diœcesis, olim spectantia, cum vineis, hortis, terris cultis et incultis, possessionibus, arboribus, pratis, pascuis, molendinis et aliis juribus et pertinentiis suis; quæ Comes ipse olim ex causa permutationis habuerat a venerabilibus et religiosis viris Abbate et Conventu monasterii Montis Virginis, pro certis aliis bonis quæ ipsi Abbas et Conventus ab eodem Comite ex jam dictæ permutationis causa acceperant, prout concessas nostri ad id assensus litteras apertius asserunt continere. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri, et pendenti Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Data Neapoli per manus Bartholomæi de Capua militis, Logothetæ et protonotarii regni Siciliæ, anno Domini MCCCVIIII, die sexto Februarii, septimæ Indictionis, regnorum nostrorum anno vicesimo quinto. »

Tribus post mensibus obiit idem Rex Calendis Maii, ut habetur in Charta Capituli generalis anni sequentis quæ ei concedit monachatum per totum Ordinem : unde arguuntur qui scribunt eum anno superiori jam obiisse. Sammarthani non primum Maii diem, ut in nostra Charta, sed sextum ponunt.

GUILL. LUDTLINCHTON MONACHUS LITERIS FLORET IN ANGLIA.

II. Hoc etiam anno Guillelmum Ludtlinchton, Cartusiensem monachum, floruisse vel obiisse testatur Petreius his verbis : « Guillelmus Ludtlinchton, natione Anglus, vir tum confessionis gloria tum integerrimæ vitæ conversatione inter primos eximius, Philosophiæ juxta ac S. Theologiæ præceptis egregie imbutus, opus quoddam edidit theologicum tam utile quam

ANNUS 1309

necessarium, eo nimirum anno quo cartusia extra muros Moguntinos (accidisse autem hoc anno 1308 testis est Trithemius) a Petro archipræsule fabricari cœpta est. Conscripsisse etiam dicitur in Matthæi Evangelium commentarios haud vulgares; nec non et sermones aliquot de Sanctis; quorum equidem omnium etsi ne litterulam quidem hisce viderim oculis, Patrum tamen Herbipolensium epistolis instructus, hunc ei locum in nostra hac *Cartusiana Bibliotheca* assignavimus. Qui iidem etiam obitus diem illi adscribunt annum post Christum natum 1309. Hos ergo penes fides esto. » Hæc Petræus. In Charta anni 1302, cujusdam Guillelmi Anglici mentio fit, qui ex Allionis Domo ad Boniloci cartusiam per Capitulum generale missus fuit. Utrum vero ipse sit Willelmus Ludtlinchton nec asserere, nec etiam omnino vellem denegare.

In Chron. Spanh. sed perperam.

Quia vero de Anglo modo mentionem fecimus, opportune sese nobis offert memoria alterius ejusdem nationis monachi nomine Stephani, cartusiæ Hentoniensis professi, qui tanta erga Deum et Sanctos ejus ac præsertim erga S. Mariam Magdalenam pietate afficiebatur, ut aliquando raptus in mentis excessum ejusdem sanctissimæ pœnitentis mulieris visione et colloquio meruit recreari, et ab ea magnam suæ salutis spem accipere, ut fusius narrat Dorlandus quem consulat Cartusianus lector.

*Item Stephanus pietate.*

Dorland. in Chron. lib. 5. c. 6.

III. Hoc anno inter preces quæ pro vivis indicuntur, hunc legimus articulum : « Orabitur pro domino Ottone de Grandisono milite, et pro facto Templariorum ut Dominus revelet plenius veritatem. » De Ottone de Grandisono, sive de Granson, plura dicemus anno millesimo trecentesimo vigesimo, quo unam nostri Ordinis Domum fundavit. Quod vero spectat Templariorum factum, nihil est quod hic dicamus, cum toti Orbi sit notissimum; haud tamen a rebus nostris alienum non arbitror, si duo quæ ad res nostras spectant hic subtexamus. Primum habetur in *Historia damnationis Templariorum* a Petro Puteano edita, ubi legimus eos inter causas quas pro sua defensione protulerunt hanc imprimis laudasse, ut probarent quam diligens et exacta Ordinis sui et Religio-

PRECES PRO TEMPLARIIS INDICUNTUR.

ANNUS 1309

nis apud se vigebat observatio : nempe quemdam sui Ordinis professum nomine Adamum de Valincourt illustri loco natum, quique tunc temporis superstes erat, Cartusiense Institutum strictioris vitæ studio aliquando complexum fuisse, ac paulo post ad priorem rediisse Ordinem; sed a suis non admissum nisi facta satisfactione quæ ab apostatis solet exigi. Hæc autem sunt ipsa verba hujus articuli inter alios Commissario a Papa delegato ab ipsis Templariis oblatos :

*Quidam ex eis factus Cartusianus, nec perseverans punitur ut apostata.*

« Item, notificant Reverendæ Paternitati vestræ Fratres prædicti, quod frater Adam de Valincuria nobilis miles, qui longo tempore fuerat frater Ordinis Templi, volens arctiorem Religionem intrare, licentiam petiit et intravit Ordinem Cartusiensium. In quo modico tempore perseverans, supplicavit cum instantia longa precum redire ad Ordinem Templi, qui receptus fuit salva Ordinis disciplina; qui nudus cum femoralibus tantum, a porta exteriori usque ad Capitulum, præsentibus pluribus Nobilibus consanguineis et amicis suis, coram Fratribus omnibus venit, et flexis genibus coram Præceptore qui celebrabat Capitulum misericordiam petiit, et iterum quæsivit cum lacrymis se admitti in consortium Fratrum : fecit pœnitentiam solemnem per annum et diem, comedendo in terra, omnes sextas ferias illius anni jejunando in pane et aqua, singulis diebus Dominicis accedens nudus ad altare in Missarum solemniis recipiendo de manu Presbyteri disciplinam, et postea recuperavit habitum et consortium Fratrum secundum Statuta Religionis. Unde cum dictus frater Adam sit Parisius, nec venerit ad defensionem Religionis, petunt et supplicant quod ipsum coram vobis venire personaliter faciatis, et jurare ac deponere veritatem de statu Religionis, et de omnibus supra dictis; quia non est verisimile talem virum in opprobrium animæ et corporis vituperium tantam pœnitentiam peregisse, si Religio mala esset. Nam omnes apostatantes ab Ordine Templi oportebat similem agere pœnitentiam, antequam possent in Fratrum admitti consortium. »

AN GUIGO DELPHINUS FUERIT TEMPLARIUS.

IV. Alterum quod super factum Templariorum a nobis observari posse judico, versatur circa Guigonem fratrem

Delphini Viennensis, nostri Ordinis benefactorem et fautorem, quem quidam scribunt cum aliis Militibus combustum. Sed constanter asserimus, vel non fuisse Templarium, aut saltem ante Templariorum extinctionem maritatum fuisse et multis post eorum supplicium annis in pace quievisse. Nam ut recte observat Chorerius, fuit baro Montis Albani, duxitque uxorem ex qua prolem habuit, ut etiam indicat Charta Capituli generalis nostri Ordinis post duos annos celebrati, ubi sic lego : « Orabitur pro domino Dalphino et domina Dalphina (hi sunt Joannes II post novem annos mortuus, et Beatrix de Hungaria uxor illius) et pro domino G. * delphini et pro ejus consorte, et pro liberis omnium prædictorum. » Præfatus Guigo hic cognominatur Dalphini juxta consuetudinem omnium natu minorum hujus familiæ, qui omnes cognomen Delphini accipiebant. Ex his igitur Chartæ verbis certissime colligimus Guigonem jam habuisse liberos, ut etiam optime observarunt Honoratus Bouche et citatus Chorerius, qui eodem tempore suam Historiam scribentes asseruerunt Guigonem ex uxore Beatrice unicam genuisse filiam, nuptam Raimundo hujus nominis quarto, Orangiæ Principi. Obiit Guigo exeunte anno 1317 vel ineunte sequenti. Nam ibidem obitus illius his verbis denunciatur. « Illustri domino Guigoni dalphini nuper defuncto conceditur tricenarium. » Et anno sequenti Beatrix ejus uxor commendatur precibus Ordinis : « Item orabitur pro domina B. relicta domini G. delphini, et pro ipso defuncto. » De Hugone ejusdem Guigonis fratre, barone Fuciniaci et insigni Matris Cartusiæ benefactore, annis sequentibus dicemus.

ANNUS 1309

Chor. in hist. Delphinatus.

Ex ch. 1311.

* Guigone.

Ex ch. 1318.

Ex ch. 1319.

V. Circa hunc annum, die vero vigesima quinta mensis Novembris, in parthenio nostri Ordinis de Homusco in Delphinatu, piissime defuncta est veneranda mater Beatrix, ex nobilissima Dominorum *d'Ornacieux* familia, Permaniensis Domus professa : cujus vitam mirabilem, ab auctore coævo nostri quoque Instituti monacho * vernacula lingua descriptam, alius Cartusiensis, cujus etiam nomen nos latet, in latinum postea vertit sub eodem qui sequitur tenore :

BEATRIX MONIALIS PERMANIÆ MORITUR.

* *Verius*, a V. Matre Margarita d'Oingt, Poletens. Priorissa.

ANNUS 1309

Ex mss. Cart. Lugdun.

« Ad honorem Dei, ad majorem ejus gloriam et in memoriam beneficiorum ipsius, ad excitandas mentes nostras in obsequium Domini nostri Jesu Christi, sanctæque Genitricis ejus gloriosæ semper virginis Mariæ; in omni humilitate et sinceritate, pro majori ædificatione nostra describam et exponam partem aliquam honestæ, sanctæ, et gravitate morum conspicuæ hujusce sponsæ divini Sponsi Jesu Christi inter Sorores conversationis, ab anno ætatis suæ tertio decimo et deinceps.

*Omni genere virtutum excelluit.*

« Ab initio piæ conversationis suæ ex intimo cordis affectu, propter eum quem unice diligebat Jesum Christum, statim rebus omnibus sæcularibus et superfluis valedixit; quod propositum mira animi magnitudine, fidelitate et constantia ad exitum usque prosecuta est. Cordis non tantum, sed internæ etiam humilitatis specimen præ se ferebat, viscera gerens misericordiæ et charitatis plena; omnibus Sororibus suis absque ullo respectu in rebus vilioribus ancillans, uniuscujusque providens necessitatibus prout poterat. Quod vero spectat ad Ordinis jejunia et abstinentias, quantum sinebat debile ejus temperamentum, illas severissime et religiosissime observabat; in primis obedientiæ virtutem summopere colebat, in qua quidem excellebat, cui accedebat assiduum devotissimæ orationis studium. Tanta devotionis teneritudine, tanto fervoris sensu afficiebatur, ut præ continuo lacrymarum profluvio de oculorum usu periclitaretur. Colloquia ejus mellis dulcedine, urbanitatisque suavitate condita erant. Porro nihil nisi sui despicientiam et abjectionem spirabat, et in verbis et in actibus omnis perfectionis religiosæ simulachrum omnibus se exhibebat. Denique id unum nervis omnibus intendebat, nihil eorum prætermittere quæ ad propriam et cæterorum utilitatem et sanctificationem conferre arbitrabatur. Dum his pietatis christianæ exercitiis sollicite vacaret, plurima beneficia ab immensa Dei bonitate accepisse cognovimus.

*Humilitate.*

*Accurata observatione.*

*Dono lacrymarum.*

*Gaudet Christi visione.*

« Sub initia, diu singulis diebus, imo omnibus horis, ubicumque versaretur gratia divina in illa abunde adeo exube-

rabat, ut Jesum Christum provideret in conspectu suo semper sub visibili forma sibi a dextris assistentem. Inde Deus optimus maximus ita sponsam suam prævenit in benedictionibus dulcedinis, ut sæpissime quocumque se reciperet, pinguedine et adipe amoris divini saginata, tantis facibus impar, pene amore languescens deficeret, vixque divinos illos impulsus posse sustinere confiteretur. Iis igitur cœlestibus blanditiis dignata Jesu Christi Salvatoris nostri suavissimo conspectu, osculo oris ejus exhilarabatur et confortabatur, ac inter hos amplexus divinorum patiens extra se rapiebatur.

ANNUS 1309

« Pergens iter angelicæ vitæ hujus strenue susceptum, et viam non solum Dei mandatorum sed etiam evangelicæ perfectionis currens, multas ab humani generis hoste tribulationes et contradictiones sustinuit; qui cum illam a virtutis studio avocare conaretur, illam interdum terriculamentis et aliis hujusmodi molestis oppetere solebat. Huic maligno spiritui, haud aliorum armorum genere præterquam invicto tolerantiæ clypeo ac ferventioris orationis gladio restitit, ac de eo gloriose triumphavit induta loricam justitiæ, munitaque austeræ pœnitentiæ armis. Interim non modicum timens, ne forte a diabolo (qui se transfigurat in Angelum lucis) deciperetur, ultra modum in seipsam desæviebat, adeo ut sæpissime præ fervoris æstu, discretionis limites prætergredi videretur. Verum hæc omnia ex timore Domini et ardentissimo sanctimoniæ zelo cum procederent et emanarent, Domino nostro Jesu Christo sic disponente, cooperabantur in bonum et in Beatricis nostræ sanctificationem.

*A dæmone vexata.*

*Oratione liberatur.*

VI. « Ad Infirmariæ et Coquinariæ officium assumpta, incredibili cum charitate ministerium suum implevit, in omnes se vertens formas. Dum pararet obsonium, ita igni faciem admovebat, quo tormento carnem suam affligeret, ut ex nimio ardore, cerebrum suum quasi ebullire sentiret; inauditum prorsus mortificationis genus! Prunas ardentes in manibus gestabat, et quamvis ignis ardore palmæ illius comburerentur, præ divini amoris facibus quibus æstuabat, nullo plerumque doloris sensu afficiebatur. His accessit altera tenelli corporis

OFFICIA INFIMA CUM FERVORE EXERCET.

ANNUS 1309

sui maceratio, qua nullis tametsi improbis laboribus cedens, nocturnis vigiliis, cruentis sanguinolentisque flagellis, quasi quæ hostem ad internecionem quæreret, corpus persequi solebat, ne spiritum ad cœlestia tendentem retardaret.

*Passioni Christi devotissima.*

« Christi Domini Passionem tenerrima semper veneratione et assidua cogitatione recoluit, cujus tristis imago ante oculos mentis continuo aderat; tamque vehementi doloris simul et compassionis affectu cruciabatur, ut Sponsi sanguinum imaginem in se pro modulo exprimeret, stigmataque Jesu Christi in corpore suo portaret. Volas manuum acuto clavo transfodiebat qui cutem penetraret. Quoties autem id tormenti genus Beatricem in Christum veluti transformabat, ex vulneribus aqua limpidissima, nullo unquam admixta cruore diffluebat. Statimque, novo prodigio, obductis cicatribus, nullum vel minimum scissuræ vestigium in manibus remanebat. Mortificationis Beatrix studiosissima, anni tempestate frigidissima nudipes super nives incedebat et glacies.

*Clavis manus fodit.*

*Nocturnas illusiones patitur.*

« Interim domesticus hostis sic eam spiritualibus pœnitentiæ armis instructam et munitam conspiciens, imbellesque conatus suos quibus eam de die oppugnabat, esse irritos, illam per noctis quietem aggreditur modis omnibus ; ita ut nihil horum prætermitteret, quibus tum ejus corpori, tum animæ nocumentum inferre posset, ejusque candorem et puritatem contaminaret, quo ab amore et gratia Dei virgo beata decideret : ideo cacodæmon lascivis imaginibus, et spectris impuris fœtidisque illius mentis oculos fatigabat. Nullumque esse arbitror qui narrando dicere audeat, immunditias et abominanda spectacula aliasque ejusmodi molestias, quæ ab hoste maligno sustinuit. Sed hæc omnia impura et mortifera inimici tela in illibatum virginitatis florem intorta, ipsius integritatem labefactare non potuerunt, quibus non modo non præbebat assensum, verum etiam ab iis omnibus abhorrebat. Porro diabolus cum eam frustra variis fraudibus et persecutionibus exagitasset, illam saxis et sagittis ardentibus oppetere cogitavit. Hæc immaculata Christi sponsa animam suam his ingentibus lapidum acervis (quibus plurima gravia peccata

significabantur) ex omni parte concuti sensit, absque tamen ullo sui detrimento et incommodo.

ANNUS 1309

B. VIRG. MARIÆ VISIONE RECREATUR.

VII. « Hæc dilecta Christi sponsa intelligens quod in dies augerentur dæmonis in seipsam sævitia et certamina, majori cœpit timore metuque percelli. In hoc miserando statu cum per noctem in lectulo quiesceret, inter mentis suæ angustias beatam Virginem Deiparam, cui semper a sua juventute addicta fuerat, exoravit summa cum fiducia, enixe postulans ut esset sibi turris fortitudinis a facie inimici ; vix orationem finierat, et ecce subito beata Dei genitrix apparet solis luce circumfusa, tantaque elegantia formæ, ut lingua dicere aut calamus describere non sufficiat; quæ Beatricem suaviter amabiliterque intuens, blando mellifluoque sermone sic est allocuta : Eia carissima filia, sic placuit oculis dilectissimi filii mei te tamdiu a dæmonibus impugnari, quo ampliorem victoriam reportares; nunc vero tui mercedem cape laboris, tuoque plene gaude triumpho, et procul abjecta omni formidine, tu totam te in me et tuæ salutis repone sollicitudinem; sum etenim Regis gloriæ Mater, sub cujus nutibus omnia sunt posita, et cui cuncta obediunt, cujusque in sponsam assumpta es. Sum miserationis et pietatis Mater, talemque ab ipso quem genui potestatem habens, animæ corporisque tui curam habebo, teque ab omni hostis maligni incursu illæsam servabo. Postquam divina Parens hujusce jucundissimi colloquii finem fecit, ab ipsa recessit, illoque instanti illam reliquit tentator, ac Beatrix summa pace et tranquillitate potita est.

« Paulo ad illam quadam nocte diabolus rursus accessit, variis in eam molestiis et tentationibus desæviens, laqueosque ejus pedibus parans; at Dei famula invocato illius nomine sub cujus præsidium confugerat, et salutationem Angelicam ingeminans, statim a Virgine Maria confortabatur; sicque opportunum nacta subsidium fugabat cacodæmonem, qui confusione perfusus in modum horrendi cujusdam et nigrescentis fumi, terræ hiatu ad tartareas cavernas sese recipiebat, et dum sic ad ima præcipitabatur, totus horrore contremiscebat locus. Porro Beatrix his nobilitata triumphis,

ANNUS 1309

pressuris et tribulationibus beatior, Christo fuit acceptior ab eoque donis amplioribus adaucta. Demum post plurima divinæ bonitatis accepta pignora, multis diversisque illustrata revelationibus, unum ardentissime exoptabat, dissolvi scilicet et esse cum Christo et a mortis hujus corpore liberari.

EAM CHRISTUS ALLOQUITUR IN SACRAMENTO ALTARIS.

VIII. « Contigit interim quodam die cum de more ante altare effunderet cor suum in conspectu Altissimi, eo ipso, inquam, die quo ob urgentem necessitatem abstractum fuerat ex tabernaculo sacrosanctum illud vasculum in quo pretiosissimum Jesu Christi corpus depositum quiescit, et in alium ejusdem altaris locum reconditum fuerat, super illud divini amoris in homines monumentum oculos defigens, mente ad sublimem orationem evecta, summo cum spiritus fervore et lacrymarum copia, ex hocce exilio in libertatem filiorum Dei vindicari Dominum deprecabatur. Dum in oratione incalesceret, e vasculo in quo Corpus sanctissimum detinebatur, distincte Jesum Christum sibi colloquentem audivit. Porro cum interrogaretur quemnam sermonem et vocem auribus percepisset, his verbis respondit : Nihil ferme, inquit, hæc vox ab humana discrepat, nisi quod tanti organi suavitate proferebatur, ut ingenue fatear, nullum sensum, nullam mentem aut linguam esse, quæ dicere, exprimere, aut assequi possit omnem jucunditatem et dulcedinem istius vocis. Sic igitur divinitus illuminata et cœlestis consors colloquii, ut modo diximus, a desiderio suæ dissolutionis destitit audiens a divino Sponso tale responsum : Desine, carissima, desine hæc amplius a me postulare ; nondum etenim hora tua venit. Quæ verba tanta dilectionis et amoris suavitate protulit, ut nec ea exprimere, neque concipere fas sit. Sicque supernæ voluntatis certior facta, suavissimo cordis solatio recreata, nihil vehementius desideravit quam in hac vita in Dei obsequio perseverans, sese hostiam perfectam et Domino placentem exhibere.

*Infirmam consolatur.*

« Per id temporis cum ægrotaret præ temperamenti debilitate, sollicita fuit ob hanc infirmitatem et anxia ; verita quippe est ne morbus Dei famulatui, cui se mancipaverat, obesset.

ANNUS 1309

Inter illas mentis angustias ad tutissimum orationis asylum confugit, assuetaque arma devotionis arripuit. Inter cæteras preces quas in cœlum vibrabat, hac potissimum orationis formula utebatur : O Domine mi charissime, Deus amantissime et mi Creator optime, supplico et deprecor per profundissima misericordiæ tuæ viscera, per potentissimam divinitatis tuæ charitatem (quoniam me in hac vita morari beneplacitum est ante te) rogo te, inquam, ut mihi sanitatem tum animæ tum corporis concedas, meque a dolore capitis quo crucior liberare digneris, ut liberius, devotius, faciliusque tuo servitio vacare liceat quamdiu me in terris degere statuisti, placeatque tuæ Majestati in tuo amore perseverantiam largiri. Inter hæc ferventissimæ orationis intervalla Jesum Christum, ut prius, alloquentem audit in hunc modum : O dilecta filia mea, præpara animam tuam ad cuncta quæ tibi accidere decrevero, et æqualem memento rebus in arduis, non secus ac in prosperis mentem servare ; non te frangat adversitas, nec extollat consolatio ; cum desiderium tuum implevero, gaude ; cumque ærumnas immisero, patientiam habe. Quos sermones blandientis oris risu, a Sponso prolatos summa cum tranquillitate excepit, divinis in posterum magis cumulata benedictionibus dulcedinis.

ANXIA DE FRATRE CAPTIVO.

IX. « Contigit aliquando ut ejus frater ab hostibus captus in bello, diu teneretur in vinculis ; cumque eum ex eadem captivitate non reciperet, summo dolore et compassionis sensu affecta est ; sicque afflictà Deum enixe rogavit, quatenus captivum a manibus inimicorum eriperet. Factum est quadam die dum Beatrix in ecclesia orationi vacaret, ut illa a dulci somno occuparetur, statimque illi visi sunt de cœlo in terram duo juvenes prolabi, mirabili prorsus oris pulchritudine et speciei decore ornati ; qui ad altaris partem dexteram sese recipientes, summa diligentia eamdem aram mundare, postea vero paramento ditissimo et pretiosissimo exornare videbantur : quos secuti sunt alii duo aspectu longe pulchriores, demissis mœrentibusque vultibus, sed eadem majestate qua primi ; qui expromere et explicare cœperunt

*Miram habet visionem Salvatoris.*

ANNUS 1309

amplissimum arte plumaria pannum : quos subito subsequebantur et alii duo, sed majori adhuc quam cæteri oris venustate et elegantia multo excellentius præditi ; qui duobus his ultimis aureum illum pannum devolventibus duas extremitates partis altaris dexteræ libenter porrexerunt ; hi vero desuper permanserunt. Porro qui alias extremitates ejusdem pretiosi operimenti tenebant, summa cum reverentia super præparatum locum deposuerunt.

« His ita dispositis, Beatrix conspexit cœtum copiosissimum resplendentium hominum quorum splendor solis meridiani claritatem antecellebat, qui prout accedebant, se summa cum humilitate et timore prosternebant ad altaris latus, in quo repositum erat augustissimum Sacramentum, demissis oculis pro tanti mysterii dignitate et vultibus pietate et commiseratione plenis, qui omnes simul in unum coeuntes, sese postea in geminum chorum diviserunt ; et interea vidit turbam magnam hominum quam dinumerare nemo poterat, omnibus aliis supra memoratis multo præstantiorem et pulchriorem. Cumque intrarent, per medium utriusque chori transibant summa cum reverentia excepti. Hi similiter ac primi in eumdem modum dispositi sunt, quos inter plenus majestate quidam apparuit, quem alii quatuor manibus suis deferebant, cujus videlicet corporis superiorem partem duo sustinebant, alii vero duo inferiorem, et hi quatuor omnium speciosissimi et præstantissimi videbantur ; super hunc aureum pannum, quem duo primi præparaverant, sacrosanctum illud Corpus reposuerunt, dumque illud collocarent, quatuor chori flexo poplite magna cum veneratione tremebundi sese inclinaverunt ; ultimi autem aureum alium pannum desuper extenderunt exornatum tredecim pretiosissimis gemmis, quarum unaquæque tantam luminis vim emittebat, ut Beatrici videretur quod fulgor, quo earum minima coruscabat, sufficiens esset ad illuminandum universum orbem nocte obscurissima et tenebris opacissimis licet involutum.

« Quibus omnibus attentis et consideratis, facile conjecit gloriosum illud Corpus aliud esse non posse nisi dulcissimi

et amantissimi sui Salvatoris humanitatem. Quamobrem valde cupiebat, haud ingrata ei quædam precum suarum munuscula offerre, si ausa fuisset; sed hoc sibi arrogare non poterat, uno scilicet contenta, in eum nempe oculorum aciem tantummodo dirigere. Non multo post, ei quatuor alii visi sunt, qui ex choris quatuor egredientes, ad sacrosanctum Corpus reverenter accedebant; in cujus conspectu adstantes flexis genibus, operimentum illud quo tegebatur ex eorum manibus, a quibus devolutum fuerat, acceperunt; quod ad inferiorem usque altaris partem protrahentes, venerandum et adorandum illud Corpus omnino discooperuerunt, adeo ut super aureum illum pannum jacens et extensum, omnium oculis visibiliter exponeretur : manus et pedes paululum tenebat sursum, et ita disponebantur ut fixura clavorum appareret una cum sacri lateris vulnere, quæ plagæ ita vividæ sanguinolentæque erant, ac si eo ipso die et eadem hora inflictæ fuissent; regalibus insigniis decoratus Sponsus in thalamo, quam in opprobrium et derisum acceperat spineam coronam in capite gestabat. Interea Beatricem oratiunculas Christo salvatori offerre desiderantem piissimus Sponsus amabili prorsus suavitate allocutus est his verbis : O carissima filia mea, dilecta sponsa, confidenti corde et omni procul abjecto timore accede, et aspice me qui te ex nihilo procreavi et formavi, tuumque agnosce Salvatorem; et ex his quæ perspexeris, diligenter et attente considera quæ et quanta, et quam gravia fuerint tormenta, quæ pius Creator tuus verusque Dei filius pro te et omni genere humano perpessus est. Qua pensata et ponderata veritate, multo plura quam expetere et exquirere possis facile reperies.

ANNUS 1309

« Tunc vero illa respondit : Ah ! Domine mi Deus verusque Redemptor, mihi certe non datum est absque tuæ gratiæ auxilio, rimari, scrutari aut penetrare altissima judicia tua. Arcana sermonum tuorum penitus ignorare confiteor. Cui ille inenarrabili vocis suavitate subjunxit : Efficiam ut secreta quæ te modo latent, tibi alio tempore manifestentur; nunc vero quicquid volueris a me libenter postula, teque facile

ANNUS
1309

*Ab eo fratris liberationem obtinet.*

impetraturam confide. Porro Beatrix tanto benignitatis testimonio attracta, multa ab eo requisivit, quæ statim obtinuisse plurimum gavisa est. Insuper fratris sui libertatem a Domino petiit, cujus quidem oratio exaudita est. Protinus visio disparuit. Castissima virgo fratrem libertate donatum audivit; cujus quidem e captivitate solutionis diem et horam attentius discutiens, tunc eum recognovit ab hostium manibus effugisse eo ipso instanti quo Dominus Jesus votis ejus annuerat.

SIBI VIDETUR CONVERSARI IN CŒLIS.

X. « Altera vice post Completorium cum decumberet, necdum tamen somno sopita, videre sibi visum est animam suam conversari inter Cœlites quorum infinita pene multitudine circumfusam se putabat; tantaque venustate et gratia superni illi cives resplendebant, ut cuncta quæ sub sole sunt, ipsiusque solis fulgor, vilescerent præ cœlestium spirituum pulchritudine et decore. Hæc tamen omnia non corporis, sed intellectus oculis contemplabatur, quos postmodum in semetipsam retorquens, non humanum corpus sed putridum quoddam cadaver secum deferre existimabat. De hac visione nihil aliud manifestavit, asserens impossibile sibi esse intellectu comprehendere et verbis exprimere magnalia Dei et arcana quæ non licebat loqui, et enarrare mirabilia quæ in hoc glorioso et splendenti Sanctorum cœtu a Domino manifestata fuerant.

*Puerum videt in sacra Hostia.*

« Cum incruento Missæ sacrificio adesset, sæpissime inter manus sacerdotis sacrosanctam Hostiam in altum sublevantis, puerum Jesum incredibili pulchritudine, splendore, candoreque niveo coruscantem conspexit. Verum his visionibus a Domino diu dignata cum semetipsam respiceret, ex innata animi humilitate, omni non modo se virtute destitutam, sed etiam scelestissimam omnium peccatricem existimans, cœpit cogitare intra se quales essent hujusmodi apparitiones, veritaque est ne a dæmonio deciperetur. Unde multum pavida Dominum deprecata est, ut iterum inter Missarum solemnia pretiosissimi Corporis ejus conspectu suavissimo potiretur. Ab illo tempore vidit sacratissimum illud divini erga nos amoris pignus, sicuti eminus apparet imago quædam super

ANNUS 1309

membranam depicta, incredibili tamen et inenarrabili luce et fulgore circumfusum. Quam quidem visionem clarius exprimere interrogantibus non potuit. Demum non secus ac cæteri Hostiam conspiciens Sacro intererat, quamvis statis quibusdam diebus inter presbyteri manus splendidissimam lucem cerneret.

*Animæ siccitates patitur*

« Quodam Adventus tempore, gravi timore perculsa est; sese enim a Deo derelictam et a facie oculorum ejus ejectam arbitrabatur, quia consuetis devotionis inter orationem sensibus non afficiebatur; et quia dies instabat Dominicæ Nativitatis, ideo dolore vehementiori cruciabatur duobus diebus Natale Christi præcedentibus. In ipsa etiam solemnitate, post accuratam et diligentem peccatorum suorum perquisitionem et post lustratas conscientiæ suæ rimas, ante sacrum pœnitentiæ tribunal se sistit, ubi per confessionem expiatis omnibus humanæ fragilitatis inquinamentis, quibus divinum numen offendisse autumabat, necdum tamen tanto epulo se dignam rata, ad sacrosanctum altaris Sacramentum accedere tremebunda non præsumebat. Eo ipso tempore quo reliquæ Moniales ad aræ gradum pergebant ut Dominicam manducarent cœnam, ipsa sola remansit in sede sua, summo mœrore oppressa et velut tota in lacrymis defluens; tanta insuper anxietate agitabatur, ut crederet animam suam jam e corpore dissolvi. Has inter mentis angustias cogitabat Sorores suas divinum illum Hospitem excipere, dum ipsa interim in tam solemni die, quo Redemptor mundi homo Christus Jesus mortalitatem nostram induere voluerat et nasci in mundo, ipsa, inquam, non auderet pro gravi peccatorum suorum multitudine, Angelorum pane refici et saginari. Hos inter varios cogitationum fluctus dolori suo remedium afferre conabatur, secum ipsa revolvens pelagus immensum miserationum sui Conditoris ; nec incassum sane, nam spe plena intra se dicebat : Misericordiarum Domini memorabor, et ad paterna charitatis ejus viscera confugiam. Itaque ab eo enixe postulans ut suam illi manifestaret voluntatem, et quid gratius suæ divinæ majestati esset indicaret : an sacram synaxim percipe-

ANNUS 1309

ret aut ab illo epulo abstineret; statim tam vehementi sanctæ Communionis desiderio exæstuat, ut parum abfuerit quin antequam gradus altaris attingeret, omnino deficeret.

MIRUS SACRÆ COMMUNIONIS EFFECTUS.

XI. « Percepto pretiosissimo Redemptoris nostri Corpore, dum sedem repetit, sensit hostiæ particulam in ore suo remansisse, scrupulo conscientiæ timoreque agitatur. Interea frustra nititur illam particulam deglutire, quo pacto ad sedem reversa ingentem præ dolore lacrymarum copiam effudit; postea vero cœlestis alimenti portio, quæ in ejus ore residua fuerat, succrescit adeo, ut totum illius os adimpleret : unde factum est ut pene suæ mentis impos, viribus cunctis conaretur illam absorbere, aut etiam admota manu extrahere; at vim quamdam superiorem a tergo sentiebat, quæ conatus ejus omnes irritos redderet et impediret. Porro saporem carni et sanguini similem ex hac particula experiebatur. Inter petitionum et precum instantiam quibus in corde suo cœlum fatigabat, hoc unum potissimum deprecabatur, quatenus aut illam de corpore mortis hujus ad meliorem vitam evocare, aut saltem anxietati et dolori solatium afferre dignaretur. Dum hujusmodi preces in conspectu Altissimi funderet ex toto mentis affectu, ecce subito hostiæ portio quæ in ore ejus superaverat deorsum tendit, nihil ea cogitante, usque dum ad cordis penetralia pervenit. Tunc vero Beatrix tanta consolationis dulcedine repleta est ut illam contineri vix posse fateretur, qua quidem mentis voluptate usque ad Sacrificii consummationem et multo post etiam potita est.

« Ab illo tempore usque ad horam qua Sanctimoniales refectorium ingrediuntur, Dominus noster Jesus Christus ei multa arcana patefecit, quæ nulli unquam mortalium virgo beata aperire voluit; notum tamen postea factum est in tam sublimem rerum cœlestium contemplationem sublimatam fuisse, ut has Psalmographi voces sibi vendicare merito potuisset : Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum.

« Ad se tamen paulo post reversa, animadvertensque abesse a refectorio, id a Priorissa et cæteris Sororibus in tanta

solemnitate reprehendendum esse cogitavit, quamobrem protinus petiit intrandi licentiam; qua obtenta, dum mensæ assideret modis omnibus aliquid cibi sumere conabatur ne Sorores aliquid ei insolitum accidisse suspicarentur, sed neutiquam potuit, adeo ut buccellam panis quam in os ingesserat, statim extrahere coacta fuerit, quæ ei insipida penitus visa est et insulsa, non secus ac si terram comedisset. Finita gratiarum actione usque ad Nonæ pulsum, toto illo temporis spatio in altissima comtemplatione absorpta permansit, Domino nostro Jesu Christo pro sua pietate tanta illi manifestante mysteria, tantisque visionibus et mentis excessibus sponsam suam recreante, ut cum Apostolo dicere potuisset: Oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, etc.

ANNUS 1309

« Toto trium Dominicæ Nativitatis festorum decursu, his prædulcibus mentis consolationibus fruita est, licet in sola Nativitatis die apparitionibus dignata fuerit a Domino. Ex tunc cor ejus magis ac magis amore divino inflammabatur, adeo ut præ dilectionis vehementia vix ullum cibum aut quietem capere posset. Quarta Natalis feria nescio quid interius ei accidit quod ipsi displicebat; protinus internum illud quo perfundebatur gaudium evanuit, et in pristinum statum Beatrix restituta, de die in diem in amore divino proficiebat.

*Per biennium privatur consolationibus divinis.*

« Tot donis ac gratiarum beneficiis a divina largitate adaucta, per duorum annorum spatia nihil singulare accepit; licet in pietatis exercitiis perseverans iret de virtute in virtutem, et in timore Dei, et in conversatione religiosa magnos progressus faceret.

DEUS EI MYSTERIA DETEGIT.

XII. « Defluxis hisce duobus annis, a festo S. Antonii usque ad secundam Quadragesimæ hebdomadam, singulis diebus ad Vesperam et in concubia nocte Dominus Jesus sua illi arcana revelabat. Sed alta adeo et occulta, ut cum nonnunquam quædam Beatrix alicui manifestaret, eorum subito, divina sic permittente Sapientia, qui audiebat obliivisceretur, quia forte ea capere non dignus inveniebatur. Insuper per revelationem cognovit Adventum Jesu Christi sal-

ANNUS 1309

vatoris nostri, ejusdem acerbissimam Passionem, Resurrectionem gloriosam, et Ascensum in cœlos plane admirabilem, ejusque ad dexteram Patris receptionem. In hisce mysteriis tam sublimia, tam excelsa, tam incomprehensibilia vidit, ut nullus sit qui intellectu mentis suæ, quantumvis eruditus et doctrina præstans, sine adjuvantis Spiritus Sancti illustratione assequi ea aut intelligere ullo modo possit. Per id temporis enodatum illi fuit duodecim gemmarum ænigma quibus exornatus erat aureus ille pannus, de quo supra mentionem fecimus. Quomodo etiam id intelligebatur, quando illi dictum fuit, ut in Creatorem suum respiceret, verum Salvatorem agnosceret, diligenterque sublimitatem, altitudinem, profunditatem et latitudinem dolorum et suppliciorum Dominicæ Passionis recogitaret. Illud præterea quod antea audierat edocta est, quod cum hancce veritatem perpenderet, multo plus luminis et spiritualium divitiarum in hisce thesauris, quam expetere aut desiderare posset, procul dubio exhauriret. Harum igitur revelationum solatio jucundabatur, a prædicto S. Antonii festo ad tempus usque supra memoratum, quæ diversis ei modis proponebantur ; in eo felici statu manens ab hora Completorii, qua sese in lectulo componebat, ad sequentis usque diei meridiem. Utrum tamen de cœlitum gloria, nisi tantummodo per noctis unam horam aliquid conspexerit, incompertum est. Reliquum vero tempus a matutinis Officiis et deinceps usque ad exorientis auroræ lumen, tanta consolatione affluebat præ revelationum voluptate, ut absque sensu corporeo degere sibi videretur.

TRISTIA LÆTIS SUCCEDUNT.

XIII. « Verum, ut tristia lætis succederent, contigit ut postquam divinarum rerum cœlestiumque apparitionum conscia facta fuisset, alternante die tam horrendis imaginibus tantisque doloribus affligeretur, ut enarrari vix possint, vixque exprimi ; adeo ut dum his angustiis et molestiis afficeretur, parum abesset quin hesternarum visionum gloriæ gaudiorumque oblivisceretur. Quibus etiam procellis et turbinibus acta in salutis suæ desperationem devenisset, ni statim Beatorum felicitatem infinitumque divinæ misera-

tionis thesaurum sibi in mentem revocasset. Hac jucunda et salubri cogitatione incredibile fidei, spei, et charitatis augmentum sentiebat. ANNUS 1309

« Inter illas perturbationum et horribilium visionum fluctus vidit etiam, sed sub diversis speciebus, varia et atrocia tormentorum genera, quibus impiorum animæ in inferno diversimode cruciantur; quia juxta peccatorum malitiam, plagarum et suppliciorum modus erat. Novit in primis iratum Numen improbas mentes conterens et ad nihilum redigens; vidit etiam propter infinita Christi merita pacatum Numen iras continens, vindictæque fluctus et miserationes suas pleno sinu in homines effundens. Conspexit beatissimam Virginem generis humani mediatricem, viscera quæ Natum gestaverant exhibentem; ubera quæ lactaverant Infantulum æterno Patri monstrantem, quo ipsum hominibus conciliaret propitiumque redderet et amicum. Apparuit insuper Filius Dei irato Patri mortem suam, Passionem, vulnera, clavos, lanceam, spineum diadema, sanguinis effusionem, aliaque Passionis instrumenta objiciens. Vidit Beatrix Virginem sacratissimam precibus suis placabilem Filium suum erga facturam suam reddentem, ipsumque Christum Patri suo peccatores reconciliantem per sacratissimæ humanitatis suæ cruci affixæ merita. Tales igitur et mirandæ prorsus erant Beatricis visiones, sicut et aliæ multæ quæ nos latent; ita tamen, quod dulcia cum amaris miscerentur, et suavitatem jucunditatemque revelationum exciperent spectrorum formidines, horrendæque pœnarum æternarum imagines subsequerentur.

*Pœnas damnatorum videt.*

XIV. « His subjungam grande miraculum quod infinita Dei bonitas in honorem hujusce virginis et aliarum duarum nostri Ordinis Monialium patrare dignata est. Beata Beatrix nostra, duabus Sanctimonialibus comitata (quarum nomen ignoratur), cum aliis quibusdam, ex Ordinis mandato, e Domo Parmeniæ directa fuit ut novam Instituti Cartusiensis Domum *d'Esmue* erigeret : unde paulo post ob frequentiam nimiam hominum sæcularium recedentes, sese ad Parmeniæ

MITTITUR AD NOVAM DOMUM DE EMUSCO.

ANNUS 1309

monasterium receperunt, præter tres præfatas sorores nostras quæ in cartusia vulgo d'Esmue ad mortem usque in famulatu Dei perseverantes, ibidem in cœmeterio sepulturam nactæ sunt.

*Ubi et moritur.*

*A quo Domus Permaniæ fundata.*

« Verum notandum primo est quod Parmeniæ Domus fundata et constructa olim fuerat a Fulcone Gratianopolitano episcopo, qui etiam septem Moniales e Pratimollis monasterio extraxerat ut illam inhabitarent. Hæc Domus juxta Tullinum sita est, sed modo deserta. Notandum secundo quod d'Esmue Domus illa relicta quoque modo Prioratui S. Roberti prope Cornillon incorporata est, cujus etiam cartusiæ reditibus hic Prioratus potitur.

« Porro non multo post, contigit (Deo omnipotente secundum placitum suæ voluntatis ita disponente) ut Sanctimoniales quædam Permaniæ divinitus revelationem accipiunt, quam declararunt Priorissæ et D. Rufo Vicario ejusdem parthenonis, Vallisbonæ professo, qui postea Domum Sanctæ Crucis incoluit. Hæ Moniales sic a Domino per visionem admonitæ, multis de causis affirmant expedire ut trium sanctarum Monialium ossa exhumata, in hancce Parmeniæ cartusiam transportari curarent. Domnus Vicarius mandatis divinis necesse obtemperandum conspiciens, non sine magno labore et periculo pergit ad locum qui dicebatur vulgo d'Esmue. Renuentibus incolis, acriterque resistentibus ne sacra pignora alibi deferrentur, causantibus id nefas absque Episcopi Valentini licentia; omnia tamen belle cesserunt, prout divina ordinaverat Providentia. Vicarius namque sacrarum virginum reliquias cum ossibus Domini de Tulins et aliorum humo extraxit, conclusaque in sacculo, jumento superimposuit, festinansque Domum repetit. Cumque portum vulgo de *Tèches* attigisset, ibidem duos equites Domini Delphini reperit qui ibi mane primo expectantes usque ad meridiem, ultra progredi non potuerant, prærupta amnis ripa propter triduanas pluvias quæ superabundaverant. Ibi Vicarius cum illis pransus, persoluto prius de more divino Officio, coram reliquiis Sanctarum stetit, eas suppliciter exorans ut si ad

*Ossa Beatricis in Domum Permaniæ reportata.*

Domum Permanensem transportari desiderarent, aquarum diminutionem a Deo meritis suis impetrarent, quatenus absque ullo vitæ suæ periculo inundans flumen trajicere posset: sin minus ad locum unde exhumatæ fuerant revertens, ibidem sacra ossa rursum deponere cogeretur, cum ipsi pecunia deficiente ibidem diutius commorari minime valeret, aut iter longius ingredi. Interim augescunt pluviæ, spe tamen plenus Vicarius asinam et jumentum onerat, ad amnem exuperantem tendit, tum omnes de ejus salute actum esse formidant ob imminens vitæ discrimen. ANNUS 1309

« Jubet interea comitibus suis ut asina sacratis virginum exuviis onusta antecederet, quo facto ita flumen decrevit, aquis per hiatus in terræ penetralia diffluentibus, ut pene exsiccaretur; transnatant fluvium; equitesque ad tale prodigium stupent, qui vix ad alteram ripam pervenerant, cum ecce subito exundant ut antea aquæ et extra alveum effunduntur. *Fiunt miracula.*

« Prope Tulinum dum pergunt iter, occurrit alius amnis ex montibus emanans, qui ripam suam prætergressus præ ingenti imbrium copia, arbores stipitesque sua rapiditate evulsos, et quidquid habebat obvium longe transvehebat. Ibidem tria plaustra sale onerata consistebant, quæ fluvium non poterant trajicere; sed ad mandatum D. Vicarii, præcedente asina, idem ut superius ad testificanda beatarum virginum merita miraculum patratum est.

« Eo ipso die in via ad alium rivulum perveniunt, cujus aqua trabalem ponticulum dejecerat; proprio motu ab itinere deflexit asina, et aliam secuta est angustam semitam ad vineas ducentem, in qua tantillum progressa statim primum iter repetiit, et ad rivulum accessit, a quo licet verberata divertere nusquam voluit; quo viso Vicarius circumstantibus dixit ut circum quærerent, statimque ingentem tabulam ab aqua in dumetum projectam reperiunt, qua super flumen imposita, sponte asinam antecedentem tute secureque omnes subsecuti sunt.

XV. « Aliud miraculum ex epistola excerptum libet hic subnectere. Domnus Henricus de Salins Prior Boniloci, vir ALIUD MIRACULUM DUM VIVERET EJUS GRATIA PATRATUM.

ANNUS 1309

probatæ fidei et religiosæ perfectæque admodum conversationis, ex quodam subsequentia accepit; quæ etiam asseverat Domnus Joannes de Pomerenz, professus Vallisclusæ, per id temporis (cum hocce prodigium contigit) in Domo Pratimollis demoratus.

*Fit infirma die Parasceves*

« Cum beata Beatrix de Ornacieux sese per Quadragesimam variis pœnitentiis macerasset, et ob amorem Jesu Christi ejusque in memoriam Passionis variis austeritatibus carnem suam afflixisset, feria Parasceves appropinquante, ita attenuata præ jejuniis et mortificationibus fuit, ut vires ipsi deficerent. Quæ cum Priorissæ innotuissent, statim Beatricem Monialis cujusdam prudentissimæ devotæque curæ commisit, quo virgo sancta in speciali cellula conclusa pietatis et orationis exercitiis vacaret liberius, utque sub alieno regimine constituta, austeritatibus suis modum utcumque imponeret.

*In cella reclusa relinquitur.*

Igitur ante Matutinas prædictæ Parasceves, gravi somno Beatrix opprimitur. Soror quæ illam custodiebat, Beatricem quiescentem conspiciens, foribus sera obductis, pergit ad nocturnas preces in ipso Officii exordio; paulo post expergefacta Beatrix audit psalmodiam Sororum laudes divinas in choro persolventium, rataque indignum stertere et in lecto lascivire dum Jesus Christus salvator noster spinis redimitus in cruce affigeretur, Sororem advocat; cumque matutinis eam interesse Horis animadverteret, exilit e cubili, et ad beatam Virginem Mariam confugiens, hanc oratiunculam summo cum fervore spiritus in conspectu Deiparæ effudit :

*Rogat B. V. Mariam ut adsit divinis laudibus.*

« Suavissima benignissimaque Domina, rerum omnium Creatoris mater, qui ut homines reficeret in hac die acerbissimum crucis supplicium lubens subire voluit, tuque Domina misericordiarum, cujus animam pertransivit gladius dum juxta crucem unigeniti tui Dilecti stares : oro te et obsecro in memoriam summæ compassionis qua erga Jesum Filium tuum affecta es, et si quid in tuo famulatu Majestati tuæ acceptabile egerim, ut digneris, eo modo qui Filio tuo magis expedire videbitur, me in ecclesiam ubi Sorores divinis vacant laudibus deducere.

ANNUS 1309

*Januis clausis a cella egreditur.*

« His dictis tabellam Deiparæ per angustum portæ foramen transmisit foras, subjunxitque hæc verba : Benignissima Domina, nunc mihi constabit utrum velis me solam hic remanere. Vix dixerat, ecce subito januis clausis e cellula egreditur, repositaque per foramen imagine, chorum ingressa sedem suam occupat. Stupet ad hoc miraculum Priorissa cum Monialibus ex quibus nonnullæ ad cellam accurrunt, effractas fuisse fores suspicatæ; at portas referunt obductas esse. Unde a Vicario et Priorissa in virtute obedientiæ interrogata jussaque rem enarrare, quemadmodum hic descripsimus, id sibi contigisse Beatrix affirmavit ; omnibus ad tantum prodigium attonitis et mirantibus. »

*Quando mortua.*

Porro hæc dilecta Christi sponsa meritis dives ad cœlestem patriam migravit, die 25 Novembris quæ divæ Catharinæ sacra est. Ejus meminerunt, ad 13 Februarii, Canisius in Martyrologio Germanico et Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ; et post eos Theophylus Raynaudus in *Brunone Stylita mystico*. Qui omnes ejus notitiam videntur hausisse a Dorlando, qui eam « Sanctæ* » nomine decorare non metuit.

**B. Beatricis cultum confirmavit SS. Pius IX, anno 1869.*

XVI. In Charta hujus anni denunciatur obitus Guillelmi de Roino episcopi Gratianopolitani, quem ante novem annos vidimus successisse Guillelmo de Cassenatico, cujus et benevolentia erga Ordinem in unione Domus Calesiensis amplissime patuit. Et sui successoris et patrui efflagitatu Missam habuit defunctorum per totum Ordinem : «Ad petitionem (sunt verba Chartæ) venerabilis Patris domini nostri, domini Episcopi Gratianopolitani, conceditur bonæ memoriæ domino Episcopo avunculo suo, prædecessori suo nuper defuncto, in singulis Domibus una Missa defunctorum. » Hic avunculus ponitur pro patruo, nam revera qui ei successit idem nomen ac cognomen habebat, nempe Guillelmus de Royno sive de Ruyno ut sæpius legitur in tabulario matris Cartusiæ, ubi multa sui erga nos studii occurrunt argumenta. In eisdem Comitiis sequentes a Patribus edicuntur declarationes ac Constitutiones :

ANNUS 1309

1. « Declaramus quod Clerici Redditi professi promoti ad Diaconatus officium, si recipiantur in Monachos, possunt etiam in novitiatu suo Epistolam et Evangelium dicere in conventu, nonobstante cappa cum qua probantur. » In hac declaratione duo notanda sunt : primum, Clericos Redditos ad statum Monachorum aliquando ascendisse ; secundum, Novitios cum cappa, ut etiamnum fit, probatos fuisse ; unde præterea colligimus Monachos jam tum cappas non gestasse in conventu, ut primis temporibus fiebat.

Stat. Nova p. 2. c. 24. n. 19.
Nov. Coll. p. 2. c. 24 n. 19.

2. « Ordinamus quod ludi manuales a personis Ordinis nostri evitentur. » Hinc noster Raynaldus « ludos, inquit, manuales non laudamus ». Sed hodie non solum non laudantur sed per Novam Collectionem, qua regimur, penitus interdicuntur.

3. « Mendicantes recepti in Ordine nostro, et vix de cætero recipiendi, non habeant obedientias in Ordine. » Hæc ordinatio nostro tempore religiosissime servatur, ut unusquisque in vocatione sua perseveret.

4. « Ordinamus et volumus quod non permittantur garciones exire pontem Cartusiæ sedente Capitulo generali, nec Priores eorum diebus Capituli dent eis pecuniam ad bibendum. » Quis non mirabitur sapientem Patrum providentiam in dirigendis rebus minutissimis.

5. « Inhibetur Prioribus et Conventibus ne Domos novas recipiant, donec conditiones ipsarum Domorum plenarie notæ fiant Capitulo gen. vel Domno Cartusiæ super annum. » Ab eo tempore videtur inductus usus incorporationum quæ antea non fiebat. Porro hujusmodi conditiones distincte exprimuntur in Statutis Raynaldi ubi et quidam Prior Cartusiæ hanc adjecit glossam : « Antequam Domus aliqua recipiatur, debet fieri commissio alicui vel aliquibus de Ordine ad videndum locum et cætera necessaria, et referendum Capitulo gen. ; et tunc si visum fuerit, debet ibi institui Rector, et collocari personæ Ordinis religiosæ et exemplares pro principio et bono fundamento Ordinis. » Quoad loci conditiones, easdem servare debemus quas sacri requirunt Canones,

Stat. Nova p. 2. c. 5. n. 3. et seqq.
Ex codice ms. Maj. Cartusiæ.

18. q. 11. Luminoso.

nempe « ut monasteria Religiosorum in solitudine construantur, ne populari accessu devotio Religionis impediatur. Quapropter laudatus Raynaldus statuit « ut nulla Domus recipiatur de cætero, nisi in loco habili et honesto, a cohabitatione hominum segregato. » Admonet etiam citatus Statutorum interpres præcavendum esse « ut in eodem loco sit clementia aeris, et quod ibidem possit haberi provisio lignorum et cæterorum ad usum vitæ solitariæ necessariorum. »

ANNUS 1309

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1310.

| Clementis PP. V Ann. 6. | Ordin. Cartus. Ann. 227. | Bosonis Pr. Cart. Ann. 34. |
|---|---|---|

UNIO CALESII CONFIRMATUR.

I. ANNUS salutis trecentesimus decimus supra millesimum, Indictione octava, sequitur; quo suprema manus unioni Domus Calesii plenis Ordinis comitiis imponitur, obtentis a Papa, ab Archiepiscopo Viennensi, et ab episcopo Gratian. Guillelmo (qui semper Conservatoris privilegiorum Ordinis Cartusiensis titulum præ se fert), et simul ejusdem Ecclesiæ Capitulo, tribus diplomatibus sive literis quibus quidquid ab annis septem circa hoc negotium factum fuerat per ipsum Episcopum et ejus Capitulum, cunctaque inde tractata et ordinata per Conventum et Priorem Cartusiæ et Diffinitores Capituli generalis confirmantur. « Monasterium Calesiense (inquiunt hujusmodi literæ) quod erat quasi totaliter dissipatum et fere ad nihilum redactum per incuriam et negligentiam, vel potius malitiam eorum qui prius debuerunt ipsum regere et regulariter gubernare, et de consilio ac consensu Episcopi ac totius Capituli Ecclesiæ Gratianop. ad Ordinem Cartusiensem translatum, ut per sanctitatem et prudentiam Cartusien. relevaretur et ad cultum divinum reduceretur quantum possibile sibi foret : attendentes quod præfati Religiosi in prædicto negotio se optime habuerunt, et dictæ Domus Calesii debita persolverunt, et multas possessiones male alienatas diligenter et sollicite redemerunt, et de eodem ita prudenter ordinaverunt quod modo per gratiam Jesu Christi, sicut possibile fuit eis,

est valde laudabiliter reformatum : ipsum eidem Ordini subjicimus, supponimus et unimus. Nos vero (inquit Guillelmus episcopus) de primaria concessione, collatione, subjectione et unione gaudentes, approbamus, laudamus... Et quicumque ex deliberatione vel ex certa scientia contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; quam ex nunc, prout ex tunc, ferimus in his scriptis. » ANNUS 1310

Boso itaque Prior Cartusiæ, et totus ejus Conventus, videlicet Domnus Petrus Gascheti Vicarius, D. Petrus de Ayma, D. Aymo de Ayma, D. Rodulphus de Bardonechia, D. Simeon de Aulenesco, D. Joannes de Ayma, D. Jacobus de Ayma, D. Joannes de Maurianna sacrista, D. Petrus Roseti, D. Rodulphus de Graneriis, D. Jacobus Vethone Procurator, D. Humbertus de Malliis, D. Petrus de Bogiis iterum subjectioni Capituli generalis immediatæ consentientes; transactionem interventu Joannis Vallis S. Mariæ et Jacobi Montis-merulæ Priorum a partibus in arbitratores electorum, inter se et Petrum Faverii Priorem, ejusque Vicarium Petrum de Valle-navigii et præsentis negotii yconomum, Conventus Calesiensis nomine factam, approbant coram testibus quos Diffinitores nominaverant : Petro de Challongi Excubiarum, D. Stephano Correriæ, D. Aymone de Augusta Sellionis Prioribus, et D. Guillelmo de Yporegia Monacho Ordinis Cartusiensis. Charta hujus transactionis fusissima data est sedente Capitulo gener., decimo Calendas Junii; statimque Petrus Faverii et illius Vicarius cum præfato Aymone de Augusta, Stephano Michaelis Correriæ Priore et Petro de Lugduno ejusdem Domus tunc Monacho, ad Domum Calesii accedentes eadem conventualiter rata habuerunt octavo Calend. ejusdem mensis. Quæ quidem omnia Diffinitores Capituli gener. anni subsequentis præceperunt conscribi in volumine Statutorum Ordinis, ad perpetuam et inviolabilem futurorum memoriam. Etsi nullæ appareant literæ, vel a Delphino vel a Comite Sabaudiæ datæ, quibus hæc translatio plane sit ab ipsis approbata; utrumque tamen Principem consensum suum præbuisse conjicimus, ex variis

ANNUS 1310

mandatis quæ in Majoris Cartusiæ gratiam, jurium Calesiensis Domus Ordini Cartusiensium recens adscriptæ tuendorum causa, ad suos Ministros et Judices eodem tempore scribi jussit.

GUILLELMUS DE YPOREGIA FLORET.

II. Hoc anno florebat Guillelmus de Yporegia, quem superius vidimus unum fuisse ex sex testibus nominatis qui adfuerunt transactioni inter Majorem Cartusiam et Calesienses factæ : qui cum ibidem dicatur Monachus Ordinis Cartus. nulla facta Domus illius professionis mentione, videtur ex alia Provincia ad Domum Cartusiæ evocatus a nostro Bosone; forsan ut nomine ejus et Ordinis futuro interesset Viennensi Concilio ad quod ipse Boso ne a Papa invitaretur, sicut revera invitatum fuisse postea videbimus, merito timebat. Ex cognomine de Yporegia colligimus fuisse Pedemontanum. Ivrea namque sive Eporedia, olim Iporegia et Hypporegia dicebatur ; unde et conjicimus eum Cartusiense propositum amplexum fuisse in quadam Longobardiæ Provinciæ Domo. Quidam Guillelmus, Parmensis cartusiæ professus, paulo post præfuit Domibus Freidnizensi et Gyriensi in Sclavonia præfatæ Provinciæ Longobardiæ tunc subjectis; et hunc facile crederem fuisse Yporegianum nostrum. Per annos circiter triginta antequam Noster fieret, apud Dominicanos et ipse Dominicanus, qua docendo, qua prædicando strenuam navasse operam, et inde ad Cartusiensium castra confugiens, trium et viginti annorum decursu vitam solitariam duxisse a nostro Petreio dicitur. Scripsit opus *de Laude Cartusiensis Ordinis contra detrectatores,* cujus initium hæc habet verba : « Eremitica vita », et asservatur in Domo Montis Dei. Ei etiam hactenus adscriptus est tractatus *de Origine et veritate perfectæ Religionis,* cujus germanum autorem esse nostrum Bosonem credimus. Incipit autem ab hac Proverbiorum sententia : « Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium ; » et in variis Domorum nostrarum bibliothecis sub illius nomine reperitur. Unus est apud cartusiam Parci, cui teste Bohicio talis inest epigraphe : « Incipit præfatio in Tractatum de Origine et veritate perfectæ

Ughel. in Episc. Epored.

Ex charta ann. 1321.

*Quid scripserit.*

Petreius in Bibl. Cartus.

Proverb. 8.

Bohic. in Annal. Ord. Cartus. ad ann. 1408.

Religionis, quem composuit mag. Guillelmus de Hyporegia, cognomento Trassus, qui fuit in omni scientia generalis, et Monachus Cartusiensis, pro defensione ejusdem Ordinis. » Eadem videntur habere cartusiæ Coloniensis codices, quos citat Petreius, qui pro Trassus legit Crassus. Habemus et nos apud Matrem Cartusiam tres codices eumdem Tractatum continentes. Primus est ipsius Matris Cartusiæ Guillelmi Rainaldi Generalis temporibus exaratus; alter prorsus similis, sed paulo recentioris manus, ad nos e Domo Bruxellensi missus est; sed eorum neuter nomen habet autoris hujus Tractatus. Tertius anno Christi 1508 a quodam patre Italo exscriptus, primum complectitur Chronicon quinque primorum Priorum Cartusiæ, cum damnati Doctoris historia, cujus titulus talis est : « In nomine Domini nostri Jesu Christi et B. V. Mariæ, Amen. Magister Gulgielmus de Yporigia magnus et eloquens Theologus, et sanctæ conversationis vitæ, de Ordine Prædicatorum primo et postea Cartusiensis Monachus, infra scripta composuit, tam ex his quæ alibi invenit, quam ex his quæ a seipso compilavit ad honorem SS. Trinitatis ». Deinde sequitur Chronicon, cujus tamen ipse non est autor, nisi forsan narrationis illius historiæ damnati hominis; et alii aliorum Tractatuli quibus subjicitur Tractatus de quo agimus sub tali titulo : « Incipit præfatio in Tractatu de Origine et veritate perfectæ Religionis suprascripti magistri Gulgielmi Ordinis Cartusien. »; cujus et exordium ab iisdem Proverbiorum verbis sumitur, « Veritatem meditabitur, etc. » Sed totum opus dimidia parte brevius est, quam illud quod in cæteris codicibus continetur. Iisdem tamen verbis compositum est, licet phrasis aliquando mutetur; quædam in aliis non occurrentia interseruntur, sed multo plura in eo resecantur : ita ut probabile sit Guillelmum, dum in Majori Cartusia degebat, Bosonis opus exscripsisse, illudque velut productius conceptum contraxisse, et quibusdam notis sive adjunctis illustrasse; unde postea præcipuus illius autor censeri facile potuit.

ANNUS 1310

HUGO DOMINUS FOCUNATII ORDINIS FAUTOR.

III. Hoc anno Hugo dalphini, dominus Focunatii, Joannis dalphini Viennensis et Guigonis baronis Montis Albani (de quo anno superiori) frater, eleemosynam novem sextariorum vini annui reditus a Denisio Reynodi Domui Cartusiæ quondam factam confirmat, datis hoc anno litteris die Dominica post carniprivium novum, in quibus sic se inscribit : « Nos Hugo dalphini, dominus Fucigniaci ». Ordinis nostri personis semper ille favit; ideo per omnes Domos preces aliquoties obtinuit sicut in Chartis legitur : « Orabitur pro Domino Fouciniaci et pro quibus intendit orari. » Et anno sequenti nomen illius exprimitur : « Orabitur pro domino Hugone dalphini et consorte sua et pro illis pro quibus intendunt ». Eum vixisse usque ad annum vigesimum tertium præsentis seculi recte Chorerius existimat : nam anno præcedente, die 16 Decembris, « homines Cartusiæ habitantes in terra Grysivoudani liberos declaravit a tailliis persolvendis et ab oneribus personalibus contribuendis. »

Ex ch. 1314.

Ex ch. 1315.

Chor. Hist. Delphin.

Ex archiv. Maj. Cart.

LOCUS DE EMUSCO RELINQUITUR.

IV. Eodem tempore Moniales Permanienses ad incitas redactæ, locum de Hemosco quem a S. Roberti Monachis ante decem annos comparaverant, eisdem accepto pretio retribuere. Et ut ipsum parthenium fere dirutum citius commodiusque restauraretur, decem ex Monialibus ad alias Domos missæ sunt. Extant de his plures inter ipsas, Priorem Cartusiæ, præfatos S. Roberti monachos, et Casæ Dei Abbatem factæ conventiones. Ac primum quidem literæ quibus locus Benedictinis monachis restituitur, luctuosum nostrarum Monialium statum sic describunt :

Ex archiv. Maj. Cart.

*Olim a monachis S. Roberti comparatus.*

« In nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate ejusdem MCCCX, Indictione octava, 3 die Februarii, apud Sanctum Robertum in camera venerabilis viri Hugonis de Montecalvo Prioris Prioratus Sancti Roberti prædicti subtus Cornilionem, notum sit quod cum locus de Hemosco Ordinis Casæ Dei, Valentinensis diœcesis, cum suis juribus olim ad dictam Domum S. Roberti pertineret et ad Domum Permegniæ Monialium prope Toyllinum Ordinis Cartusiensis nunc pertinens, ex causa permutationis olim factæ inter dictas Mo-

niales et dictum Priorem et Conventum Sancti Roberti pro loco de Plantatis; adjectaque fuisset in dicta permutatione conditio sive modus, quod si aliquo tempore contingeret dictum locum de Hemosco per dictam Domum Permegniæ quocumque titulo dimitti, quod Domus S. Roberti in illo casu dictum locum de Hemosco haberet pro vero pretio quod ab alio offerretur. Ad hoc cum deventum sit quod dicta Domus Permegniæ adeo sit oppressa et aggravata, pluribus et magnis debitis et duris creditoribus obligata, et ædificia dictæ Domus omnino discooperta et quodammodo ruitura, nisi quantocyus per aliquem occurratur; sitque onerata Monialibus et aliis personis Religiosis in duplum ultra quam reditus ejus ad sustentandum sufficiant; ita quod necessario ad retentionem dictæ Domus in statu religioso necesse sit dictas personas alibi in Ordine collocari, quod fieri non poterit sine magna summa pecuniæ danda aliis Domibus juxta earum consuetudinem quando aliquas Monachas recipiunt. Cumque ad onera dictarum personarum æquo animo supportanda Domus Permegniæ ad præsens bladis et vino et aliis necessariis omnino careat.... Tandem soror Ambrosia de Chansent Priorissa totusque Conventus dictæ Domus, pluribus tractatibus inter se habitis, et cum religiosis viris F. Humberto Priore Sylvæ, F. Stephano Priore Correriæ et F. Petro Faverii Priore Calesii Ordinis Cartus. missis ad dictum locum per Priorem Cartusiæ tenentem locum Capituli generalis super annum; attendentes dicta Priorissa et ejus Conventus cum dictis Prioribus non posse prædictis omnibus occurri et subveniri utiliter, nisi dictus locus de Hemosco cum suis juribus dictis Priori et Conventui S. Roberti restituatur; et ipsi pro dicto loco dent in pecunia et assideant de reditibus Domus S. Roberti tam dictæ Domui Permegniæ quam Ordini Cartusiensi, unde dicta debita solvi possint, ædificia reparari, et personæ ibidem remanentes usque ad tempus recollectionis sustentari, et decem Moniales dictæ Domus in Domibus Monialium, et tres Conversi in Domibus Monachorum collocari : tandem communi concordia con-

ANNUS 1310

*Monialibus Permaniæ adscriptus.*

*Monachis S. Roberti restitutus pro pretio.*

ANNUS 1310

ventum extitit quod dicti Prior et Conventus S. Roberti recuperent et rehabeant universaliter locum de Hemosco, et quod pro dicto loco dent et solvant tam Domui Permegniæ quam Domui Cartusiæ vel quibus mandaverint mille sexaginta libras viennenses monetæ nunc currentis et ponibilis in comitatu Sabaudiæ, etc. »

Emptionem hanc Casæ Dei Abbas, datis sequentibus litteris, paulo post approbavit :

*Abbate Casæ Dei consentiente.*

« Cum id quod petitur justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo rationis exigit, ut ad effectum debitum et durabilem perducatur. Hinc est quod nos Hugo divina providentia abbas monasterii Casæ Dei, notum fieri volumus quod cum dilectus frater noster Hugo de Montecalvo Prior S. Roberti olim permutasset locum de Hemosco cum Monialibus Permegniæ Ordinis Cartusiensis pro loco de Plantatis.... (et deinde postquam omnia recensuit quæ in Instrumento restitutionis habentur, addit : ) Cum Moniales dicti Ordinis tamquam pauperes consueverint recipere pro qualibet volente in earum Domibus monachari centum libras bonorum viennensium ad minus, nisi de minori summa facerent alicui gratiam specialem. Tandem cum dictarum personarum collocatio esset dicto Priori S. Roberti quasi impossibilis, quia non habet notitiam dicti Ordinis personarum, convenit pro dicto loco de Hemosco universaliter retrahendo, quod solvat dictis Monialibus mille sexaginta libras viennenses. Quæ omnia dictus Prior S. Roberti jam totaliter dicitur adimplevisse. Unde nos prædictus Abbas prædicta omnia et singula approbamus, laudamus, autorisamus et ex certa scientia confirmamus, etc. Datum anno MCCCX, mense Aprilis. »

MONIALES PERMANIÆ ALIBI COLLOCATÆ.

V. Interea receptis pecuniis, Prior Cartusiæ decem Moniales et tres Conversos e Domo Permegniæ eductos ad alias Domos Ordinis miserat, residuumque summæ Priorissæ et cæteris Monialibus dari jusserat, ut ex sequenti earum syngrapho apparet:

« In nomine Domini, amen. Anno a Nativitate ejusdem

ANNUS 1310

MCCCX, Indictione VIII, tertio Calendas Martii, apud Permegniam in ecclesia dicti loci coram me Notario, cum soror Ambrosia de Chansent Priorissa dictæ Domus et Conventus ejus vendiderint venerabili viro Domino Hugoni Priori S. Roberti et Conventui dicti loci locum de Hemosco (pro collocanda majori parte, videlicet decem Monialium in Domibus aliarum Monialium et trium Conversorum fere inutilium in Domibus Monachorum per Domum Cartusiæ); per hoc præsens publicum Instrumentum pateat universis quod prædicta soror Ambrosia Priorissa et sorores Anglina de Ripis, Jacoba de Columb, Francisca de Romanis et Isabella de Vianna moniales dictæ Domus Permegniæ, ad requisitionem mei Notarii recipientis vice et nomine Reverendi in Christo Patris fratris Bosonis Prioris et Conventus Domus Cartusiæ, confessæ fuerunt et in veritate publice recognoverunt pro se et dicta Domo Permegniæ, se habuisse et recepisse a prædictis Priore et Conventu Domus Cartusiæ octies viginti libras et tres et quinque solidos bonorum viennensium pro collocandis decem Monialibus in Domibus aliarum Monialium. Item confessæ sunt et in veritate publice recognoverunt, quod prædicti Prior et Conventus Cartusiæ collocaverunt suis expensis propriis in Domibus Monachorum prædictos tres Conversos. Actum anno, die, et loco quibus supra. Testes sunt hujus rei vocati et rogati, F. Petrus Faverii Prior Calesii, frater Radulphus monachus S. Crucis Ordinis Cartusiensis et P. Collat, et ego infra scriptus Notarius. Quibus supra actis, anno et indictione quibus supra, 3 Calendas Junii, apud Permegniam in ecclesia dicti loci, coram me Notario et testibus infra scriptis, Domina Petronilla de Valentia suppriorissa dictæ Domus Permegniæ, Alisia de Peladru, Alasia de Caprariis, Andisia de Borcarda, Philippa Rovoyri et Gerenta de Toyllino moniales dictæ Domus, autoritate expressa dictæ Priorissæ specialiter congregatæ, prædicta omnia universaliter et singulariter laudaverunt, approbaverunt, ratificaverunt et hemologaverunt, tamquam earum consilio præhabito, etc. Testes fuerunt fratres Stephanus et Petrus Priores Coreriæ et Ca-

ANNUS
1310

lesii, F. Joannes Aloerii, et ego Joannes de S. Joanne notarius, etc. »

ABUSUS IN RECEPTIONE MONIALIUM INTRODUCTUS CORRIGITUR.

VI. Porro quod in litteris Casæ Dei Abbatis habetur, « Moniales nostri Ordinis tamquam pauperes consuevisse recipere pro qualibet volente in earum Domibus monachari, centum libras bonorum vienniensium », id intelligendum est de consuetudine ab annis tantum decem inducta. Nam vidimus ante decem annos districte prohibitum ne ulla « Monialis cum aliquo pacto vel pretio interlocuto, sed gratis reciperetur » ; quod Statutis nostris consentaneum est. Nec diu valuit hujusmodi consuetudo, quæ cœpit decennio post abrogari. Nam Patres Capituli gen. declarant « quod in numero Monialium olim per Ordinem taxatarum Conversæ earum computantur. » Et aliquot post annis præcipitur omnibus Priorissis « ut de cætero non recipiant aliquam nec recipere permittant donec locus vacaverit, quia per tales receptiones et promissiones deveniunt Domus ipsarum ad depressionem et paupertatem. Nec præsumant de cætero aliquam quamcumque recipere propter munera vel promissionem, ne vitium simoniæ committere videantur ». Neque his contenti, cum hujusmodi receptiones ab annis circiter viginti factas quasi simoniacas reputarent, ad Sanctam Sedem pro horum temporum innocentia recurrentes interventu Talairandi Petragoricensis episcopi, anno præcedente in Cardinalem creati, opportunum malo remedium acceperunt ; ut in literis tricenarii perpetui eidem Cardinali concessi his verbis declaratur : « Item cum magna pars Monialium nostri Ordinis recepta fuerit pretio et pactis illicitis intervenientibus, Reverendissimus Pater (cardinalis Talairandus cujus beneficia Ordini collata in his literis recensentur) nobis impetravit super his grata remedia, una cum plena remissione omnium bonorum temporalium quæ pro talibus interveniente simonia recepta fuerunt. » Hæc ibi. Quis non mirabitur Patrum simplicitatem et religionem ! Verum ne lapsu temporum ipsæ etiam Ordinationes edictæ laberentur, eas Raynaldus suis Statutis inseruit.

Ex ch. 1320. — Ex ch. 1332. — V. an. 1359.

FRIDERICUS DUX AUSTRIÆ SEITZENS. CARTUSIAM PROTEGIT.

VII. Hoc anno Fridericus Pulcher, post patris Alberti

imperatoris et fratris Rodulphi ducis mortem, et ipse Austriæ dux ac postea Imperii cum Ludovico Bavaro petitor, ad Godefridi Prioris Seitzensis sui quondam capellani instantiam, eamdem Domum suam in fidem recipiens, mandat Ulrico de Seunech ut eam contra invasores defendat:

ANNUS 1310

« Fridericus Dei gratia dux Austriæ et Styriæ, dominus Carniolæ, Marchiæ ac Portus Naonis, fideli suo Ulrico, libertino de Seunek, salutem et omne bonum. Constitutus in præsentia nostra religiosus vir frater Gotfridus Domus Vallis S. Joannis in Seitz dilectus capellanus noster, de protectionis tuæ sollicitudine, quam ob reverentiam Dei et nostram Domui suæ indefesse exhibes, quam plurimum glorians Dominationi nostræ gratiarum uberes retulit actiones. Ideoque fidelitati tuæ iterum duximus seriosius committendum, quatenus præfatam Domum vice et nomine nostro manuteneas contra invasores et molestatores quoslibet, ipsam sollicite defendendo. Præcipue tamen quod prædicti Fratres in terminis seu metis, sylvis, lignis, nemoribus, pratis, agris et segetibus suis, et specialiter juxta villas, videlicet Seitz, Gonowiz, Ragoz ac Prepukel, nullam violentiam aut injuriam patiantur. Colonos quoque dictæ Domus non permittas de cætero ab aliquibus Clericis vel laicis indebite impugnari, opprimi vel gravari; sed de beneplacito et consilio præfati Prioris vel vices suas gerentium, de prædictis colonis fiat contra eos objicientibus secundum forum et formam juris terræ, justitiæ complementum. Datum in Grez, anno Domini MCCCX, in vigilia Ascensionis Domini. »

Ex Archiv. ejusd. Cart.

*In gratiam Gotfridi Prioris.*

Paulo post, quarto videlicet Nonas Junii, idem Fridericus ejusdem Godefridi religiosi viri et sibi dilecti (ut in suis litteris loquitur) intuitu, aliud Seitzensibus privilegium dedit quo certam metalli cujuscumque, in montibus præfatæ Domui vicinis defossi seu defodiendi, quantitatem ad eam pertinere profitetur. Datum est privilegium in Grez super Styriam, præsentibus D. Chunrado venerabili Salisburgensis Ecclesiæ archiepiscopo; dominis Henrico Gurcensi et Friderico Secoviensi episcopis; Meinhardo, Ottone et Alberto comitibus de

ANNUS 1310

Ortenburg; Friderico et Hermanno comitibus de Hoenburg; strenuo viro Ulrico de Walse capitaneo Styriæ, Alberto lantsonba Styriæ et aliis.

DOMUS MONTIS BRACHI ORDINI ADSCRIPTA.

VIII. Circa hæc tempora ecclesia S. Salvatoris in monte Bracho, ab Adalayde Oddonis comitis Sabaudiæ vidua ante ducentos et triginta annos fundata, nostro Ordini inscribitur. Quod quidem quoad tempus colligimus ex Charta præsentis anni, in qua inter mortuos legitur « frater B. de sancto Antonio, quondam Prior Domus novæ Sancti Salvatoris, qui habet tricenarium. » Non additur quidem « in Monte Bracho », sed Chartam loqui de hac Domo eo certius credimus quod ante hæc tempora nulla alia cartusia S. Salvatoris nomen habuerit. Præterea cum præfatus Prior dicatur *Frater,* non Domnus, juxta Chartarum morem, hinc conjicimus eum non nostri sed cujusdam alterius Ordinis fuisse. Sita erat hæc cartusia in Pedemontano Principatu, Salutiis urbe episcopali tribus milliaribus versus occasum distans.

*Fundatore Georgio de Salutiis.*

Fundatores omnes assignant Georgium de Salutiis ex Salutiarum marchionibus, cujus obitus post triginta et quinque annos denunciatus fuit in Charta cum Domus Montis Bra-

Ex ch. 1345.

chi fundatoris titulo, et tunc habuit tricenarium per totum Ordinem. Sed anno sequenti concessus ei fuit monachatus sub

Ex ch. 1346.

die obitus sui qui fuit 10 Calendas Julii. Cujus vero fuerit filius, ignoramus; cum ejus non meminerit Guicheno in Genealogica eorumdem Marchionum tabula. Porro hanc familiam nostro Ordini etiam ante hujus Domus fundationem semper fuisse addictissimam ex nostris Chartis probamus, in quibus sequentes reperimus :

Ex ch. 1293.

« Illustri dominæ comitissæ (melius marchionissæ) Salutiarum nuper defunctæ conceditur fraternitas Ordinis. » Vocabatur Alix de Ceva, Thomæ marchionis uxor, et nostri

[a] Ex ch. 1324.
[b] Ex ch. 1417.
[c] Ex ch. 1420.
[d] [e] Ex chart. 1475.

Georgii fundatoris forsan mater. Dominus Bonifacius[a] de Salutiis. Thomas[b] marchio Salutiarum. Amedeus[c] de Salutiis, cardinalis diaconus, præfati Thomæ frater. Ludovicus[d] marchio Salutiarum et Richarda[e] marchionissa Ferrariæ ejusdem

Ex ch. 1491.

Ludovici soror. Illustris domina Marchionissa[f] (sine nomine

ANNUS 1310

denunciatur), sed mihi videtur esse Joanna Guillelmi Montisferrati marchionis[a] filia, et uxor alterius Ludovici Salutiarum marchionis, qui tredecim post Johannam annis inter mortuos designatur. Margareta[b] de Salutiis, uxor quondam Joannis Comminarum comitis et Delphinatus gubernatoris.

[a] Ex ch. 1504.
[b] Ex ch. 1491.

*Benefactores.*

Benefactores Domus Montis Brachi sunt : Aymo de Sabaudia Philippi Achaiæ principis filius, dominus Villæfranchæ ; testamento suo scripto anno 1398, 13 Martii, « relinquit Ordini et Conventui Cartusiensi de Monte Bracho (sunt verba testamenti apud Guichenonium) amore Dei, ususfructus et godias unius furni, siti in Villafrancha in magna ruata, percipiendos hinc ad quinque annos proxime venturos ; dummodo fuerit de beneplacito et voluntate illustrium dominorum Comitis Sabaudiæ et Principis Achaiæ, vel alterius eorum ad quem locus Villæfranchæ pertinebit. » Nobilis dominus Abundius[c] de Horo, castellanus Bagnoli, fautor dicitur in Charta Capituli generalis. Rev. in Christo P. dominus Ludovicus de Solario[d] ex dominis Martelli, magnus benefactor. Guillelmus[e] Donatus, et benefactor.

[c] Ex ch. 1495.
[d] Ex ch. 1512.
[e] Ex ch. 1526.

Stetit Domus, seu potius jacuit pestilentiæ incommodis et bellorum incursibus, at verius ob propriam miserrimam paupertatem ad nihilum sæpius redacta, usque ad annum circiter quadragesimum secundi nostri seculi quo cartusiæ Taurinensi recens erectæ cum suis annuis reditibus adscripta fuit.

COMMENDATIONES ET ORDINATIONES CAPITULI GENERALIS.

IX. Ex hujus anni Charta : « Orabitur pro Regina Navarræ, et pro illustri Rege viro suo et pro omnibus aliis nobis recommendatis per eamdem. » Hæc est Margareta uxor Ludovici, Philippi Pulchri regis Francorum filii ; qui Ludovicus post mortem matris Joannæ, regni Navarræ hæredis vivente patre, Rex Navarræ dictus est. Margaretæ fit adhuc mentio in Chartis sequentibus : « Orabitur pro domina Margareta regina Navarræ et pro aliis pro quibus rogavit. » Obiit eodem anno juxta Sammarthanos.

« Item orabitur pro domina Maria regina Franciæ, et pro illustri viro suo domino Philippo rege defuncto et pro aliis nobis recommendatis. » Jam de præfata Regina annis supe-

ANNUS 1310

rioribus diximus, quæ hoc anno Philippi Audacis, mariti sui jam ab annis viginti quinque defuncti, animam iterum precibus Ordinis commendavit. Unde patet quantum eum dilexerit.

« Item orabitur pro domino Archiepiscopo Senonensi, et pro fratre suo et pro aliis de quibus scripsit. » Hic est Philippus de Marigny frater Enguerrani comitis Longævillæ, sub Ludovico Hutino rege Franciæ extremo supplicio multati ; cujus mors, ut quidam volunt, occasionem dedit fundandæ Fontis B. Mariæ Domus. De Philippo plura dicemus alibi.

« Item pro Amedeo de Villariis et ejus consorte, in qualibet Domo celebretur una Missa de B. Maria sive de Spiritu Sancto. » Hujus Amedei, filii Humberti IV domini de Thoire et de Villars, meminit quidem Guicheno ; sed ignoravit quod conjugatus fuerit.

« Illustrissimæ Imperatrici Constantinopolitanæ, nuper defunctæ, conceditur fraternitas Ordinis. » Vocabatur Catharina de Courtenay, Caroli Valesii futuri fundatoris Domus Fontis B. Mariæ uxor, quam Sammarthani dicunt ante tres annos jam obiisse.

Ex Ordinationibus hujus anni : 1. « Declaramus quod qui professus est in una Domo et transfert se vel transmittitur ad aliam, si ibidem professionem fecerit, remaneat sibi beneficium spirituale in Domo quam dimittit, sicut statutum est ; in Domibus vero associatis Domui quam dimittit, nihil habet.

2. « Rogamus Priores universos et monemus ut illa consuetudo, quæ potius dicenda est corruptela, quæ inter garciones Ordinis inolevit de petendis denariis a novis garcionibus, omnino deleatur ; et garcionibus suis præcipiant Priores ne tali occasione dent in posterum, nec aliquid exigant a quocumque.

3. « Monachi manualiter ad invicem non jocentur, nec se contractent ullo modo. » Quidam Statutorum Raynaldi Glossator ad hanc ordinationem sic observat : « Et merito quia Religiosis, qui debent esse disciplinati et mortificati, non con-

venit se laxare ad levitates seu dissolutiones. » Hinc est quod idem Raynaldus serio Priores admonet « ne palam aut secreto præsumant ludere seu solatiari cum subditis suis ; et subditos ne præsumant ludere vel contendere cum suis Prioribus, sed in verbis et in factis eis deferant et obediant reverenter. » Quia si Prior hoc faciat (inquit idem Glossator) ejus præsidentia erga subditum vilescere incipit, et subditi ad Priorem reverentia minui : quia nimia familiaritas parit contemptum.

ANNUS 1310

4. « Prior Allionis possit induere D. Guigonem incuratum de Tullia qui affectuose videtur diu desiderasse monachari ; et hoc infra terminos vel extra, si necessitas incumberet. » Ex hac licentia videtur morem adhuc viguisse, quo Prælati vel insignes ecclesiastici ex devotione habitum nostrum aliquando induebant.

BOSO AD CONCILIUM VIENNENSE VOCATUR.

X. Hoc etiam anno post Capituli generalis celebrationem, Boso Prior Cartusiæ acceptis a Clemente V litteris quibus jubebatur futuro Viennensi Concilio præsens adesse, Summum Pontificem rogat ut eum habeat excusatum, quod senio et infirmitate impeditus non possit accedere. Ejus epistolam noster Molinus in hunc modum Historiæ suæ inseruit :

« Sanctissimo ac venerabilissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Clementi divina providentia sacrosanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, servus suus frater Boso, Cartusiæ dictus Prior et insufficiens et indignus, seipsum ad dictam obedientiam sibi possibilem et pedum oscula beatorum.

« Quia non solum meo sed et sociorum meorum judicio, sine mortis periculo propter senium et debilitatem meam vestris non potuissem nec possem me conspectibus reverendis in Viennensi Concilio præsentare: ideo misi Fratres meos et totius Ordinis Cartusiæ Procuratores, Monachos religiosos et litteratos viros, qui et meam excusent et suppleant absentiam et pro me et pro toto Ordine Cartusiæ parati sint in vestra et sancti Concilii præsentia audire et obedire, dicere et

ANNUS 1310

facere quidquid ego, et melius quam ego possem facere, si corporaliter et personaliter præsens essem. Supplico igitur humiliter et instanter vestræ sanctissimæ Sanctitati, quatenus meam absentiam habere dignemini excusatam ; quia nec falsam nec fictam, sed omni sociorum meorum teestimonio veram et necessariam excusationem habeo in conspectu certissimi Judicis, cujus estis Vicarius generalis, qui omnia videt et nihil ignorat, et de quo sacri Canones affirmant eum impossibilia nemini præcipere vel mandare. Nihilominus, si omnino volueritis, ego spreto omni periculo ac etiam mortis minas despiciens, sicut portantur mortui vel infirmi ad vos faciam me portari ; et hoc etiam prius fecissem, nisi credidissem vestræ benignitati, pietati ac sapientiæ displicere, nec esse nec fuisse intentionis vestræ, quod ego cum tanto et tali periculo, et cum aliis defectibus quos procuratores mei vobis exponent, deberem inutiliter homo qui edentulus sum et elinguis Concilio interesse. In quorum omnium dignam fidem præsentes feci sigilli nostri testimonio confirmari. Valeat semper in Domino vestræ excellentia Majestatis per tempora longiora. Datum Cartusiæ, VI. Calend. Octobris, MCCCX. »

# * JESU CHRISTI [1]

## ANNUS 1311.

| Clementis PP. V | Ordin. Cartus. | Bosonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 7. | Ann. 228. | Ann. 35. |

VIENNENSE CONCILIUM CELEBRATUR.

I. ANNUS Redemptoris millesimus trecentesimus undecimus, Indictione nona, incipit, quo decimum quintum generale Concilium Viennense, præside Clemente V, præsentibus tribus regibus Franco, Anglo, Tarraconensi, duobus Patriarchis Alexandriæ et Antiochiæ, Episcopis centum quatuordecim (alii volunt trecentis) et aliis multis Patribus, contra Sarracenos pro redemptione Terræ Sanctæ, contra hæreses et mores corruptos clericorum, celebratur; idque per biennium, juxta Trithemium. « In hoc Concilio, ait Chronicon Majoris Cartusiæ, Templariorum Ordo a Summo Pontifice fuit destructus eo quod sub pelle ovina pejores Sarracenis in fide christiana erant effecti. »

Bohic, ad hunc ann.

In Chronico Hirsaug. ad hunc annum.

Chronicon Maj. Cart. sub Priore XVI.

EPISTOLA BOSONIS AD CLEMENTEM V.

II. Eodem tempore Clemens Papa, ut palam ostenderet quanti faceret Bosonem nostrum, eum ad generale Concilium ex Cartusiæ recessibus advocavit. At ille aliquot Ordinis nostri monachis suo nomine eo ablegatis ad cavendum ne quid in Ordinis detrimentum fieret circa carnium abstinentiam, Summum Pontificem simul enixe rogavit ut nihil

[1] Abhinc, ut diximus in Præfatione horum Annalium, plures desiderantur anni, injuria temporum deperditi; quos, brevi quadam operis analysi duce, ac studiose collectis documentis, maxima ex parte ineditis et haud raro propria manu Autoris exaratis, conficere ausi sumus. Ut autem Lector citius agnoscat quid Domni Le Couteulx, quid nostri sit, in fronte annorum quos nosmetipsi ordinavimus, stellam (*) pro signo præfiximus.

ANNUS 1311

exosæ novitatis inter Cartusienses introduceretur, scriptis ad eum, dissertationis modo, Literis quarum tenor talis est :

« Sanctissimo et supervenerabili Patri Patrum, Domino Clementi Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ divina Providentia summo Pontifici, successori Petri, interpreti Pauli, Vicario Christi ; ejus servus inutilis et frater indignus seipsum et totum Ordinem suum ad omnem obedientiam et pedum oscula beatorum. Præfulgens in majestate vestra divinæ virtutis omnipotentia, quæ quondam asinam Balaam compulit ad loquendum suo imperio, me arctavit ut loqui præsumerem ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, et super alienis factis de quibus in literis vestris expressistis qualecumque consilium exhiberem, quod in aliis literis secundum mandatum vestrum misi ad Concilium generale. Quia vero a multis traditur, et justum vel potius necessarium reputatur, quod per sapientiam vestram fieri debeant ad reformationem aliquarum Religionum aliquæ laudabiles novitates : supplico vestræ sanctissimæ pietati quod non conqueratur nec indignetur si de Ordine nostro Cartusiensi aliqua secundum meam conscientiam vobis scribam ; propter quod mihi et sociis meis non videtur quod justum vel necessarium sit circa Ordinem Cartusiensem fieri aliquam novitatem. In Ordine enim Cartusiensi per gratiam Jesu Christi viget regularis et canonica disciplina, ita quod sive Prælatus sive subditus sit, si delinquit, velit nolit, subjicitur omnino Ordinis ordinariis et rigidis pœnis secundum Statuta nostra per Sanctam Romanam Ecclesiam approbata, et non a paucis sed a multis sanctis Summis Pontificibus confirmata ; in Ordine Cartusiensi a primaria sui institutione non est facta aliqua notabilis relaxatio, quæ dissolutionem vel indebitam remissionem inducat contra Ordinis sanctitatem et eremiticam honestatem ; in Ordine Cartusiensi per gratiam Salvatoris non sunt divisiones, dissensiones vel schismata, sed omnes Domus Ordinis nostri unanimiter et pacifice obediunt Priori Cartusiæ et nostro Capitulo generali, quod ad correctionem et conservationem honestæ et religiosæ vitæ, annis

*In Ordine Cartusiensi vigent : Disciplina, Observantia, Pax,*

ANNUS 1311

singulis sine intermissione aliqua, in Domo principali Cartusiæ celebratur. Visitatores insuper mittuntur per totum Ordinem ad omnes et singulas Domos quantumcumque distantes, quibus omnes obediunt, nec præsumunt eis rebellare vel resistere aliqua ratione ; et si quis contrarium faceret, quod rarissime accidit vel nunquam, pœnas graves et rigidas non evaderet ab Ordine statutas. In curia Romana, per gratiam Dei, Domus Ordinis nostri nunquam inter se et, sicut notum est, raro inter alios movent aut suscitant placita vel alias quæstiones. De Ordine Cartusiensi, per gratiam Jesu Christi, non oriuntur scandala nec mala exempla in populo Christiano. Quod ergo mutatum non est, sicut dicitur in alia Facultate, quis prohibeat stare ? Et illud quod proverbialiter dici solet ad hoc potest non inconvenienter adduci, quia regula certa datur : Qui stat bene, non moveatur. Stetit autem Ordo Cartusiensis a primitiva sui institutione semper in gratia Ecclesiæ Romanæ, ita quod bene a duodecim vel pluribus Sanctissimis Summis Pontificibus non solum fuit approbatus et confirmatus sed etiam excellenter et magnifice commendatus, et amplis et gratiosis privilegiis dotatus et multis beneficiis præmunitus ; cujus antiquitas et vetustas stabilitatis et bonæ perseverantiæ comprobatur eo quod Ordo Cartusiensis (per XV annos) ante Ordinem Cisterciensem invenitur et noscitur institutus. De quo Alexander tertius Priori et Fratribus Cartusiæ ita scribit : Cum sitis religioni et honestati favente Domino dediti, etc. ; item idem in alia litera : Cum vos per Dei gratiam multum præemineatis, etc. Item Alexander quartus ita scribit Priori Cartusiæ et omnibus Prioribus in generali Capitulo congregatis : Amictus lumine sicut vestimento, etc. ; item Alexander quartus omnibus Prioribus Cartusiensis Ordinis in quadam libertate sive privilegio ita scribit : Thesauro virtutum, etc. Clemens quoque tertius eisdem ita scribit : Inter virtutum aromata et sanctorum fragrantiam studiorum, etc. Clemens quoque quartus eisdem ita scribit : Christi sponsam, Sanctam Ecclesiam, etc. Hæc et his similia vel majora

*Obedientia,*

*Horror litium.*

*A Summis Pontific. commendatus.*

ANNUS 1311

scripserunt de Ordine Cartusiensi Urbanus secundus et tertius, Alexander tertius et quartus, Lucius tertius, Innocentius secundus, tertius et quartus, Clemens tertius et quartus, Celestinus tertius, Honorius tertius, Gregorius nonus et decimus. Et etiam Dominus Benedictus de Ordine assumptus Prædicatorum, prædecessor vester immediatus, quin in litera concessionis loci Romani legitur scripsisse Priori Cartusiæ et cæteris Prioribus et Fratribus Ordinis memorati : Inter cætera beneficia quæ nobis licet indignis, etc. Cum igitur Ordo Cartusiensis a tot et tantis viris sanctissimis et excellentissimis Summis Pontificibus fuerit

*Olim et impræsentiarum :*

approbatus et confirmatus, non solum a primaria sua institutione, sed et postea mediis temporibus et tandem modernis et præsentibus, continuatis laudibus continue sic excellenter

*Unde nil in eo innovandum.*

et magnifice commendatus, et fide dignis, imo dignissimis testimoniis sublimatus : non videtur quod circa ipsum oporteat per Sedem Apostolicam seu per sanctum Concilium aliquam fieri novitatem. Beatus Bernardus ita scribit de Ordine

B. Bernardus.

Cartusiensi in Epistola missa ad Fratres de Monte Dei ejusdem Ordinis, inter cæteras laudes et institutiones ipsius Ordinis ita dicens : « Epulari in Domino et gaudere oportet quod Christianæ Religionis speciosissima portio quæ cœlos propinquius tangere videbatur mortua erat et revixit, perierat de mundo et inventa est. Auditu auris audiebamus nec credebamus, legebamus in libris et mirabamur de antiqua vitæ solitariæ gloria et magna in ea gratia Dei ; cum subito invenimus eam in campis silvæ, in Monte Dei, in monte

Ps. 64, 13.

pingui, ubi jam de ea pinguescunt speciosa deserti et exultatione colles accinguntur. Ibi enim per vos jam se offert omnibus et in vobis se monstrat, et ignota hactenus innotescit in paucis simplicibus ; Ipso eam nobis ingerente qui in paucis simplicibus totum mundum sibi subjecit, ipso mundo mirante. Licet enim magna et divina plane fuerint miracula quæ Dominus gessit in terris, hoc tamen unum super omnia alia emicuit et cuncta cætera illustravit, quia sicut dictum est, in paucis simplicibus totum mundum et omnem sapientiæ ejus

altitudinem sibi subjugarit. Quot et nunc cœpit operari in vobis. Ita Pater, quoniam sic beneplacitum est ante te ; abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Nolite ergo timere pusillus grex, ait Dominus, sed omnino confidite quoniam placuit Deo Patri dare vobis regnum. Videte enim vocationem vestram, fratres. Ubi sapiens inter vos ? ubi scriba ? ubi conquisitor hujus sæculi ? Nam et sunt aliqui inter vos sapientes, per simplices tamen sapientes aggregavit, qui Reges olim et philosophos mundi hujus per piscatores sibi subjecit. Sinite ergo, sinite sapientes hujus sæculi de spiritu hujus mundi tumentes, alta sapientes et terram diligentes, sapienter descendere in infernum. Vos autem, dum foditur peccatori fovea, sicut cœpistis stulti facti propter Deum per stultum Dei quod sapientius est hominibus, Christo duce, humilem apprehendite disciplinam ascendendi in cœlum. Vestra igitur simplicitas jam multos provocat ad æmulationem, vestra sufficientia et altissima paupertas jam multorum confudit cupiditatem. Vestrum secretum jam earum rerum quæ tumultum facere videntur incutit horrorem. » Et infra : « Sed hæc novitas non est novella vanitatis. Res enim est antiquæ religionis, perfectio fundatæ in Christo pietatis ; antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei a tempore Prophetarum præmonstrata, jamque novæ gratiæ sole exorto, in Joanne Baptista instaurata et innovata, ab ipso Domino familiarissime celebrata, ab ejus discipulis ipso præsente concupita, qui gustata ejus suavitate optimum sibi judicavit Petrus in hoc semper esse. » Et infra : « Silent ergo qui in tenebris de luce judicantes, vos arguunt novitatis ex abundantia malæ voluntatis, ipsi potius arguendi vetustatis et vanitatis. Sed et laudatores et detractores semper estis habituri sicut et Dominus ; laudatores præterite, et quod in vobis bonum amant, hoc in eis amate. Detractores dissimulate et pro eis orate. » Et infra : « Si enim ad singula volueritis vel laudatoribus respondere, vel cum detractoribus litigare, tempus perdetis, cujus in proposito sancto amissio non levis jactura est. » Et infra : « Grandis

ANNUS 1311

Matth. 11, 25.

I. Cor. 1, 20.

Marc. 9. 4,

ANNUS 1311

vobis restat via, altissima est enim professio vestra; cœlos transit, par est Angelis, angelicæ similis pietati. Non solum vovistis omnem sanctitatem, sed et omnis sanctitatis perfectionem et omnis consummationis finem. » Hæc beatus Bernardus, qui et multa alia similia vel majora scribit de Ordine Cartusiensi. Huic autem ultimo verbo beati Bernardi, scilicet quod Ordo Cartusiensis vovit omnis sanctitatis perfectionem, alludit et consonat interpretatio nominis ipsius supradicti. Secundum enim beatum Hieronymum et Remigium (in interpretationibus hebraicorum nominum), *Cartus* interpretatur perfecta vocatio, *ia* id est Deus vel Dominus seu Dominator. Inde Cartusia, id est: perfecta vocatio Domini. Quod quidem nomen non fuit illi Ordini tam humana institutione impositum quam divinitus institutum. Et ecce ipsa significatio nominis, professionis excellentiam et perfectam Ordinis ostendit sanctitatem, sicut et de Adam legitur quod primis individuis specierum, secundum proprietatem ipsorum, prima nomina designavit. (Gen. 2. 19.) Nec ista ut dicta accipiantur ad excellentiam vilium et rudium personarum, sed potius ad defensionem et laudem Ordinis memorati divinitus instituti ; et quod secundum verbum Christi, multi sunt vocati, pauci vero electi, et inter electos paucissimi sunt perfecti. Ideo non est mirum si quamplures alii Ordines numero personarum atque domorum et divitiarum et honorum Ordini Cartusiensi præferuntur, et in prædictis ipsum excedunt in maxima quantitate : quia hoc potest contingere propter eorum sapientiam et sanctitatem, secundum quam solliciti sunt continue sibi aggregare multitudinem sociorum cæterorum bonorum ; vel etiam hoc potest contingere propter causam quam assignat beatus Hieronymus in secundo libro contra Jovinianum, loquens de monachis qui omnino renunciaverunt carnibus et, in omni statu, earum usum et esum penitus dimiserunt, ubi sic dicit Hieronymus :

*Contra esum carnium.*

« Nec turbare nos debet si rari sunt hujus propositi sectatores, quia rari sunt amici et boni et fideles et pudici et continentes semper, quia virtus rara est. » Quem librum beati

Hieronymi non videntur vidisse vel legisse illi qui accusant et calumniantur Ordinem Cartusiensem de hoc quod infirmis suis carnes vel pinguia non ministrant. Beatus enim Hieronymus contra Jovinianum istam quæstionem sat diffuse disputat, ostendens multis rationibus et exemplis, quod sive ad salutem corporis sive animæ, carnes nullo modo sunt monachis necessariæ. De quibus multis hic ex incidenti pauca sufficiunt quæ sequuntur. Dicit enim ibi beatus Hieronymus : « Ubi aqua et potus sit et cætera similia, ibi naturæ satisfactum est. Quidquid superfuerit, non ad vitæ necessitatem spectat, sed ad vitium voluptatis. Cito expletur naturæ necessitas, frigus et fames simplici vestitu et cibo expelli potest. Unde et Apostolus inquit : Habentes victum et vestitum iis contenti simus. Grandis exultationis est, cum parvo contentus fuisse. » Et quia forte aliquis diceret, quod beatus Hieronymus de sanis intelligit supradicta, ecce quid ibi loquitur de infirmis : « Qui ægrotat, inquit, non aliter recipit sanitatem nisi tenui cibo et castigato victu, quod a medicis dieta dicitur. Quibus ergo cibis recipitur et recuperatur sanitas, et perfrui eis potest. » Et infra : « Illi arbitrantur carnes sanitati congruas qui volunt abuti libidine et in cœnum demergi voluptatum, ad coitum semper exæstuant. Christiano sanitas absque viribus nimiis necessaria est. » Omnia sunt verba beati Hieronymi. Item Hieronymus in epistola ad Eustochium : « De cibo et potu taceam, cum etiam languentes ibi aqua frigida utantur, et coctum aliquid accepisse luxuria sit. » Et beatus Clemens in Itinerario, libro VIII, refert beatum Petrum apostolum sibi dixisse : « Panis mihi solus cum olivis et raro etiam cum oleribus in usu est ; indumentum autem hoc est quod vides, tunica cum pallio, et hoc habens aliud nihil requiro. Hoc mihi sufficit. » Et si cui fortassis non plene satisfaciunt suprascripta, alibi prolixius et plenius inveniet de ista materia disputatum. Cum igitur Ordo Cartusiensis a tot et tantis viris tam sanctissimis, ita certa testimonia habeat sanctitatis, non expedit nec oportet circa ipsum aliquam facere novitatem... »

ANNUS 1311

I. Timoth. 6, 28.

ANNUS 1311

V. M. MARGARITA D'OINGT.

III. Eodem anno ad Sponsum evolavit venerabilis Mater Margarita d'Oingt, Priorissa Monialium Cartusianarum Poletensis parthenii, filia quondam domini Guichardi d'Oingt *, in cujus testamento die xxv Julii 1297 condito hæc reperiuntur : « Margaritæ filiæ meæ, moniali et Priorissæ monasterii de Poleteyns, centum solidos annui reditus, ad vitam suam tantum, jure institutionis, do, lego... » De ea sic refert autor *Ephemeridum Cartusiensium* : « Ad Priorissæ munus assumpta, sicut cæteras officio dignitatis ita et antecessit sanctitatis eminentia. Propter castitatis illibatum florem suaveolentem, ita cum Christo familiaris fuit, ut ejus gratissimo conspectu dignata, cum eo tanquam sponso sæpissime colloqueretur. Apparens autem illi benignissimus integritatis Amator, librum pulcherrimis characteribus exaratum secum afferebat, quem ante Margaritæ faciem expandens ac legens, mysticus Doctor virgini purissimæ infundebat cœlestem plane sapientiam. Non in hoc volumine describebantur lamentationes, carmen et væ, ut in Ezechiele, nec signabatur sigillis septem, nec intus et foris erat scriptus ; sed foris tantum : litteris utpote albis, atris et rubicundis. Hujus quoque libri superficies aureis erat efformata characteribus. Porro in litteris albis hoc erat impressum : Candidissima Christi conversatio. In atris, sputa et sordes quibus sacratissimum ejus corpus deturpatum fuit, conspiciebantur. In rubris vero, vulnera quæ pro nobis tam benignissime perpessus est, apparebant. Deinde liber ille duabus obsignatus erat clausuris. In prima hoc legebatur : Deus erit omnia in omnibus. In secunda erat iste Psalmi versiculus : Mirabilis Deus in Sanctis suis. Deinde sanctissima inter se colloquia miscentes, cum longum tempus transegissent, Salvator noster Margaritam apprime consolatus remeavit ad superos. Uno dierum cum Missæ sacrificiis interesset et ardentissime Christi corpus ipsa esuriret, Dominus cognoscens sacram suæ sponsæ famem, partem hostiæ abstulit de manibus Patris Vicarii consecrantis et in ore Margaritæ deposuit. His et aliis cohonestata donis, spiritu etiam prophetiæ fuit illustrata. In

* *Le Bois d'Oingt.*

Ad diem 9 Februar.

*Cœlestibus visionibus recreatur.*

Ezech. 2. 9.

I. Cor. 12.6.

Psalm. 67, 36.

ANNUS 1311

cujus argumentum quod memoriæ proditum est paucis referam. Cum Henricus de Villars Lugdunensis antistes ob Ecclesiæ suæ negotia Romæ versaretur, paulo ante obitum suum scripsit de rebus suis domino Guichardo d'Ars ; quem cum interrogasset Margarita utrum recte circa Archiepiscopum essent omnia, statim lætus acceptas a duobus diebus protulit litteras quæ de ejus incolumitate Guichardum certiorem faciebant. At illa subjunxit : Et ego moneo te præsulem nostrum hesterna die cœtui admodum venerando interfuisse, et brevi longe venustiori honorabiliorique choro scias ipsum esse aggregandum. Vix sermonem compleverat cum subito dimittens dominum d'Ars, quia erumpebant lacrymæ illius, secessit in cellulam. Id clarissimus vir observavit, cumque paucis abhinc diebus accepisset triste Archiepiscopi nuncium, perspexit illum ad meliorem vitam fuisse evocatum ea ipsa hora qua Priorissa Poletensis ei prænunciaverat. E vivis autem excessit Henricus de Villars anno 1301, die 18 Julii. Idem dominus d'Ars et venerabilis Henricus frater illius canonicus Lugdunensis, cum corpora patris sui, matris et quorumdam parentum suorum qui depositi fuerant in cœmeterio Poletensi curarent exhumari, stanteque Præsulum, Abbatum, Magnatum, devotique populi corona, in sepulchrum in ecclesia constructum transportari ; dum ossa eorum efferrentur, Margarita cunctis admirantibus sigillatim defunctorum exuvias manibus attrectavit, cumque singulorum ossa tetigisset, caput sanctimonialis Poletensis, Henrici et Guichardi d'Ars germanæ, asseruit desiderari ; quæ quidem in tumulo paterno jam dudum sepulta fuerat. Hoc certe latebat Priorissam et cæteras Moniales. Jussit igitur effodi terram, cumque laborantes diligenter illud perquisissent, tandem illud invenerunt quod quidem Margarita divino numine afflata suæ Monialis caput esse coram omnibus affirmavit.

*Spiritu prophetico repletur.*

« Domnus Durandus Vicarius Saletarum, cui perspecta erat Margaritæ sanctitas, eam paulo ante obitum illius instanter rogavit ut aliquid gratiæ cœlestis pro ipso impetraret.

ANNUS 1311

Annuit votis illius veneranda virgo, subjunxitque se prima vice qua conspectu ejus potiturus esset, desideratum se collaturum donum. Ex hinc nusquam illam vidit in hac vita mortali. Interim Margarita postquam in Priorissæ officio se gessisset irreprehensibiliter castoque fervore multas filias tot germinis virginei flores Christo peperisset; consummato feliciter cursu suæ peregrinationis, ad Agni cœlestis nuptias evolavit anno 1311, 9 Februarii. Post cujus sanctissimam mortem, præfatus Pater Durandus inter nocturnam quietem columbam nive candidiorem rostro instillare vidit in os suum suavissimum quid, et quod omnem exuperabat sensus dulcedinem. Porro ea mentis voluptate perfusus est, ut per tres ipsos dies a cibo et a potu abstinuerit, eo quod insulsa sibi et amara omnia experiretur, præ nimia qua refectus fuerat suavitate. Evigilatus satis intellexit se a Margarita tot affectum deliciis ipsamque jam divina credidit insignitam clarificatione. »

*Post mortem cuidam Cartusiano apparet.*

Extant etiamnum aliqua nostræ Monialis pietatis et doctrinæ monumenta, nempe : sermone latino *Speculum* et *Meditationes* quæ miram spirant ipsius erga Christum crucifixum devotionem : idiomate vero patrio Sebusiano *La Vita Seiti Biatrix virgina d'Ornaciu**, et Epistolæ quinque. Jussu R. P. Leonis Tixier, Ordinis Cartusiensis Generalis, Meditationes prædictæ in Gallicam linguam translatæ sunt. Opuscula Venerabilis Margaritæ d'Oingt, prælo data, nuper Lugduni prodierunt.

*Ejus scripta.*

* De qua anno 1309 diximus.

Anno 1877, cum notis cl. M. C. Guigue.

Anno 1310, mense quidem incerto, Margaritæ obitus communiter signatur; et revera ad finem Speculi legitur : « Explicit Speculum Sanctæ Margaritæ virginis, Priorissæ de Poleteins; obiit autem anno Domini 1310; tertio Idus...? » Nos vero ex Manuscripto cui titulus *Ephemerides Cartusienses* accepimus Margaritam decessisse mense Februario qui, juxta novum computandi modum a prima scilicet Januarii die, ad annum 1311 referri debet.

*Annus mortis discutitur.*

IV. Boso noster, licet ætate confractus, « valde fervidus et zelans erat in juribus Domus suæ ut antea defendendis. Nam

JURA CARTUSIÆ TUETUR BOSO.

cum hoc anno mina ferrea de subterraneis specubus in monte de Bovina* extraheretur per quosdam sæculares e vicinis locis adunatos, vir Dei suæ senectutis oblitus, baculo imbecillia membra sustentans, suoque stipatus Conventu, dictum montem cum difficultate non parva conscendit. Cumque dulcibus verbis eos a cœpto opere cohibere non posset, durius alloquens comminatoria in verba processit : Propitius sit mihi Deus, ne dem hæreditatem patrum meorum vobis ; et nisi a cœpto opere cessetis, illuc cum quinquaginta armatis venire non differam. Tunc virum Dei taliter allocutum admirantes, ipsumque scientes a Comite Sabaudiæ et Delphino Viennensi diligi et revereri, a cœpto opere et usurpatione desistentes abscedunt, nec in reliquum simile quid facere attentaverunt. »

ANNUS 1311

* *Al.* Bovinant.

Hist. Ordinis Cartus. Nic. Molin. p. 318.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1312.

| Clementis PP. V | Ordin. Cartus. | Bosonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 8. | Ann. 229. | Ann. 36. |

CLEMENS V CARTUSIAM SUB SUA PROTECTIONE SUSCIPIT.

I. ANNUS sequitur Redemptoris millesimus trecentesimus duodecimus, Indictione decima, quo Clemens Pontifex Maximus sequentes dedit litteras in favorem Majoris Cartusiæ Conventus, quem sub sua protectione suscipit et ejus bona confirmat :

Bullar. Cartus., n. 66.

« Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Conventui Majoris Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divinis estis obsequiis mancipati, cum omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis, ac in futurum justis modis, præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem decimas, terras, domos, hortos, prata, pascua, nemora, molendina et alia bona vestra, autoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus : salva in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et

Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viennæ, xv Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo. »

ANNUS 1312

HUBERTINUS DE CASALI FIT CARTUSIANUS.

II. Florebat eodem tempore Hubertinus de Casali (seu potius de Ilia Casalensi ex Liguriæ civitate ad Padum amnem). Egressus est e patrio solo ut ad S. Francisci Institutum transiret : agebat tum Hubertinus annum ætatis solummodo quartum decimum, sicque susceptus a R. P. Joanne de Parma generali ministro (qui sedit in generalatu ab anno 1248 ad annum 1255), induit habitum S. Francisci annis viginti ante mortem S. Bonaventuræ (qui obiit anno 1275); quo tempore, id est, in primis conversionis tripudiis, edidit *Fasciculum Myrrhæ,* in quo opere quatuordecim circiter annos expendit, ut ipse testatur. Quamdiu vixit Hubertinus, fuit unus ex primariis Ordinis Franciscani viris, una cum S. Bonaventura. Quo mortuo, cum Religio Franciscanorum intepuisset, ipsam ad suum primarium fervorem et disciplinam revocare studuit Hubertinus. Cumque multa autoritate inter suos et apud Romanam Sedem polleret, novas quasdam Consuetudines, seu novas *Separationes,* adinvenit quibus Ordo sub observantia regulari districtiori retineretur. Has vero separationes et pristinæ normæ Franciscanæ consuetudines Summo Pontifici obtulit confirmandas, quas sane Pontifex non præcipitanter sed mature expensas approbavit, sanxitque in posterum custodiendas. Hoc autem, mox ut innotuit Ordinis Minoritarum primoribus, acrius sævitum est in Hubertinum tanquam innovatorem et turbatorem pacis religiosæ ; congregatique ad Summum Pontificem adversus eum, tandem obtinuerunt ut reformationes illæ irritarentur, cassarentur, annullarentur. Pontifex itaque, animadvertens cunctum fere Ordinem concitatum adversus virum innocentem, paci illius providere volens, ipsum transtulit ad Ordinem Cartusiensem.

Juxta quosdam impetravit Hubertinus migrationem ad Benedictinos ; sed cum impatiens esset vexationum quibus affligebatur, Romanus Pontifex, scriptis Literis ad R. P. Bosonem eum rogavit ut Hubertinum inter Nostros susciperet.

His igitur enarratis, quæso cur tam acriter invehantur non-

ANNUS
1312

nulli hujus temporis adversus sanctum Dei quasi turbatorem pacis religiosæ? Quid fecit Hubertinus quod non alii Reformatores suorum Ordinum? Qui in historiis versati sunt, norunt quæ pertulere S. Benedictus a quibusdam monachis anormibus qui eum intoxicare voluerunt, S. Antonius Patavinus a fratre Helia ministro generali sui Ordinis, quid S. Bernardinus Observantiæ institutor.... ; idem sane quod Hubertinus passi sunt, ob eamdem causam : et sicut ii in magna veneratione apud Deum et apud homines habentur, cur solus Hubertinus, in nullo his inferior, ita austere ac dure perstringitur? Ergo carpendi veniunt Observantini qui se a Conventualibus separaverunt, carpendi Capuccini, et Recollecti, et alii qui se ab Observatione pariter diviserunt? Sed Ecclesia has separationes justas esse censuit et approbavit; ergo et Hubertinus qui eadem meditatus est, nullo modo ab Ecclesia damnatus est. Quod autem Summus Pontifex Clemens quintus mandaverit R. P. Bosoni, Priori generali Cartusiæ, ipsum ad Ordinis Cartusiensis gremium aggregare, non hoc fecit ut ipsum Hubertinum damnaret, sed ut ejus paci provideret eriperetque de manibus quærentium animam ejus. Trithemius ait Hubertinum commotum adversus viros primarios, id est Custodes et Ministros sui Ordinis, fuisse ingressum Ordinem Cartusiensem : hoc forte verum est, id est ipsum Hubertinum proprio motu factum fuisse Cartusianum ; verissimum tamen esse constat quod mandaverat Pontifex B. Bosoni ipsum Hubertinum recipere; et sic ad aliquot annos nobiscum in omni sanctitate perseverasse, virum adeo dignum, contemplationi et studio litterarum addictum.

*Quanta pertulerunt Reformatores.*

*Hubertinus non damnandus.*

*Mandat Pontifex Bosoni ut illum recipiat.*

*Ejus opera.*

Petræus in Bibliotheca Cartusiana.

Scripsit Hubertinus, præter *Fasciculum Myrrhæ* de quo supra, ad universos Christi fideles in Apocalypsim Commentarium quem intitulavit : *De septem statibus Ecclesiæ juxta VII visiones B. Joannis in Apocalypsi,* in quo a nonnullis sui Ordinis professoribus prophetico spiritu scripsisse putatur. Operis initium est : Universis Christi Jesu vere fidelibus. Huic quoque adscribit Trithemius insigne volumen quod vocavit *Arborem vitæ crucifixæ, Lib. 5 ;* nisi forte unum

idemque sit cum superiori, quod maxime persuadet exordium utriusque operis simile. Edidit præterea Sermones et Epistolas et quædam alia, ut ait idem Trithemius qui postmodum subjungit : « Admonent nos quidam catholici Doctores Hubertinum in præfato volumine (scilicet Arboris vitæ crucifixæ) in certis locis, maxime ubi Canticum Simeonis assumit, caute esse legendum, eo quod de quibusdam articulis aliter sentiat quam Mater omnium nostrum Ecclesia. »

ANNUS 1312

De Script. Eccles., in Hubertin.

*Quædam minus recta in eis reperiuntur.*

Joannes Gerson in nonnullis Hubertinum reprehendit, quæ ut melius perspicias ecce ipsa Gersonis verba : « Quia unum est necessarium, optimum et æternum, sufficere debet quærenti bonas margaritas, ut tandem inveniat unam et venditis omnibus comparet eam. Hæc me consideratio permovit sæpius facere orationem in mari et in aquis multis sacræ Scripturæ, nominatim hodie prima Octobris anni MCCCCXXV, dum perscrutatus scripta Hubertini relegendo quid super illud Canticum Simeonis : *Nunc dimittis servum tuum Domine* notaverit, apparuit mihi (sicut et alias) aspectu perfunctorio, grande nimis et profundum quiddam super meditatione Jesu Christi et pacis suæ mysterio. Et dum magis et magis introrsus aspexi singulaque notavi, manifestaverunt se vulpes parvulæ quæ demoliuntur vineas, maxime dum vinea floruit.

J. Gerson, Alphabet. 19. littera H.

« Fuerunt tempore Hubertini illius, hæreses aliquæ radicem accipientes ab abbate Joachim et consequenter pullulantes in spuria vitulamina diversarum errorum, etiam proh dolor ! usque ad tempora nostra. Unus error et principalis fuit de suscitatione et publicatione Evangelii æterni ; fingens quod sicut Pater habuerat suam legem tempore Moysi et legis scriptæ ; Filius vero tempore legis gratiæ et Evangelicæ : ita Spiritus Sanctus legem inspiraret consummatam sub paupertate legis Evangelicæ, sicut expresse notare videtur dictus Hubertinus in expositione dicti Cantici *Nunc dimittis*, etc. » Hactenus Gerson. Autor tamen ipse excusandus est (ait Trithemius) quia necdum quæstio erat determinata.

BOSO CAPITULO GENERALI PRÆESSE NON VALET.

III. Cum hujus anni Capitulo generali R. P. Boso interesse non valeret præ nimia infirmitate, ad ejus vices sup-

ANNUS 1312

plendas Philippum Priorem Ligeti delegavit, ut notat V. P. D. Chauvet : « Reperi, inquit, decretum Capituli generalis hujus anni, confirmans quamdam concordiam initam inter Priores Cartusiæ et Calesii, in veteri ms. Statutorum Antiquorum in Domo Coreriæ, quod ego legi et exscripsi, ubi habentur nomina Diffinitorum : « Nos, Philippus, Prior Ligeti, *Vicarius* in Capitulo generali præsenti *Prioris Cartusiæ,* Geraldus Valonis, Rodulphus Repausatorii, Humbertus Allionis, Bartholomæus Vallisbonæ, Reginaldi Vallis Dei, Eustachius Vallis viridis, David Vallis profundæ Priores ; et frater Hugo de Avisio monachus Domus Cartusiæ : Diffinitores Capituli generalis Cartusiæ celebrati anno 1312. »

Chartarum Capit. gener. Collectio.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1313.

| Clementis PP. V | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 9. | Ann. 230. | Ann. 1. |

I. ANNUS agitur a virgineo partu tertius decimus supra millesimum trecentesimum, Indictione undecima, quo Reverendus Pater Boso suum perfecit Tractatum *De Origine et veritate perfectæ Religionis.* Notandum est quod hic liber non idem est ac ille qui Guillelmo de Hyporegia adscribitur; is enim verbis *Eremitica vita, etc,* exorditur, ille vero *Veritatem meditabitur.* In hoc etiam libello Boso integras intexuit litteras ad Clementem V Concilio Viennensi præsidentem scriptas, quas supra recitavimus. BOSO PERFICIT TRACTATUM DE ORIGINE RELIGIONIS.

II. Eo quoque tempore idem R. P. Boso obiit, postquam in omnium virtutum consummatione perfectus, triginta quinque annos vel circiter in Prioratu Cartusiæ exegisset. Ejus encomium sic recenset sæpedictus Autor Chronici Priorum Cartusiæ. « Hic fuit vir magnæ sanctitatis et vitæ, magnique meriti apud Deum et homines noscitur extitisse. Ipsius enim meritis et precibus Deus hominem a mortuis, dum adhuc viveret, suscitavit. Cum enim quædam in Cartusia fabrica, id est Sacellum cœmeterii, erigeretur, quidam de mancipiis de superficie altissimæ fabricæ corruens, collisus ad terram totusque confractus expiravit. Cumque coram beato Bosone dictus mortuus fuerat delatus, fusa pro ipso ad Deum prece, immediate sanus ac incolumis surrexit sicque ad opus suum ire perrexit..... Super hujus almi patris tum- OBIIT BOSO. Cap. XVI.

ANNUS 1313

bam nascitur herba quæ multis præstitit et quotidie præstat sanitatis medelam, potissime contra febres. Nam a diversis partibus mundi sæpe adveniunt diversæ personæ quæ de dicta herba et etiam aliis herbis (super corpora aliorum Sanctorum existentibus) accipientes, multis curationis medela extiterunt; nam rustici illarum partium fere in infirmitatibus suis alia medicina non utuntur. » Hæc opportune adversus eos qui Ordinem Cartusiensem vilipendunt quod pauca in eo reperiantur miracula, quasi inde vilior censendus sit. Extat porro contra hujusmodi blaterones opusculum Joannis Gerson, viri de Ordine nostro optime meriti. Sutor quoque quæstionem hanc de miraculis exactissime pertractavit quemadmodum et R. P. Bonifacius Ferrarius alias Prior Majoris Cartusiæ, ut in sua Bibliotheca Cartusiana asserit Petræus. De Bosone etiam Saussaius et Canisius in suis Martyrologiis.

Alphab. 39, litt. A.

*Verbo* Bonifacius.

*Annus et dies obitus examinantur.*

Quo autem anno et die obierit Boso nunc examinandum. Bostius habet circa annum 1313; D. Clemens Bohic ponit hoc anno, et ait vetera diptycha Ordinis signare diem 21 Decembris, quæ sunt consulenda. Alias videndum an sequendus Canisius qui ponit obitum ejus 4 Nonas Martii, quem sequitur Polycarpus quoad diem, annum vero habet sequentem 1314. Si autem videtur sequendus Canisius quoad diem, sequendus etiam videtur Polycarpus quoad annum. Sed omne hoc dubium solvitur ex Charta anni 1314, quæ ponit eum obiisse 12 Kalendas Januarii, id est 21 Decembris (anni nempe præcedentis). At inde liquet obiisse absolutum antea, nam legitur in Cartulariis Majoris Cartusiæ anno 1313, Indictione secunda, die Jovis post Exaltationem Sanctæ Crucis, Reverendum Patrem Aymonem fuisse jam Priorem Cartusiæ. Unde debuit R. P. Boso absolvi, forte propter senium et infirmitates : nam in Epistola quam ipse scripsit Clementi V, sexto Kalendas Octobris 1310, dicit se propter senium et debilitatem non posse accedere ad Concilium Viennense; si tamen ita placuerit Summo Pontifici, se spreto omni periculo mortis, facturum se ad id portari sicut portantur mortui vel infirmi. Vocat etiam se edentulum,

et anno 1312, ut supradiximus, in Capitulo Domnus Philippus Prior Ligeti vocatur Vicarius in Capitulo generali præsenti Prioris Cartusiæ, tanquam non potuerit ipse Reverendus Pater adesse Capitulo. Unde non mirum si anno sequenti absolutum dicimus, quod sequitur ex die obitus ejus et Cartulariis Cartusiæ. In antiquo Kalendario Luviniaci legitur ad 12 Kalend. Januarii : « Obiit Boso quondam Prior Cartusiæ. » Idem dies signatur in Kalendario Glanderii. ANNUS 1313

III. Hoc anno ante Pentecosten, ut supra vidimus, dicto beato Bosoni Domnus Aymo de Plantata vel de Augusta (sic cognominatur in quodam Instrumento dato ann. 1328 in veteri Cartulario), monachus professus Cartusiæ, Prior Sellionis et alias Domus Calesii Protoprior, in Generalatu successit. Polycarpus, D. Molin, D. Clemens et Chronicon hoc factum ad sequentem annum rejiciunt, quod ex prædictis evadit erroneum. Patria dalphinas erat Aymo, ut ex altero ejus nomine *de Plantata* ediscitur. SUCCEDIT AYMO DE AUGUSTA

IV. Eodem pariter anno fundatur perinsignis cartusia Maurbacensis (de qua sæpius nobis agendum erit), tertio a Vienna, Austriæ Metropoli, lapide; cujus initia deprompsimus ex Chronico manuscripto ejusdem Domus : CARTUSIA MAURBACENSIS FUNDATUR.

« Anno christiano 1313, ad Ecclesiæ clavum residente Clemente V Summo Pontifice, in Germania vero Romani Imperii sceptris potiente Henrico VII Augusto Cæsare, serenissimus Princeps Fridericus Pulcher Alberti I filius, Rodulphi Habspurgici Cæsaris nepos, Dux Austriæ et Styriæ, dominus Carniolæ, Marchiæ et Portus Naonis, etc... ejusdemque fratres Leopoldus, Albertus, Henricus et Otto etiam Duces Austriæ, etc... divina inspirante Clementia (ut Principum utar verbis), bona habita deliberatione, maturo consilio, concordi consensu, voluntate libera et devotione sincera pro animarum suarum et omnium parentum suorum remedio et salute, ad honorem SS. et Individuæ Trinitatis, gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, S. Joannis Baptistæ, B. Antonii abbatis et Omnium Sanctorum, fundarunt Claustrum et Hospitale in prædio suo dicto *Maurbach;* donantes ea (clau- Chronicon Ma urb. pag.8.

ANNUS 1313 strum videlicet et hospitale) sancto Ordini Cartusiano, quem præ cæteris duxerunt eligendum : dotantes prædictam fundationem pro tredecim monachis quorum unus sit Prior, et totidem cellis sicut Instituta dicti Ordinis requirunt; et septemdecim infirmis veris, videlicet pauperibus, qui in suo non minuantur numero, quos idem Prior propter Deum duxerit colligendos. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1314.

| Clementis PP. V Ann. 10. | Ordin. Cartus. Ann. 231. | Aymonis Pr. Cart. Ann. 2. |
| --- | --- | --- |

I. ANNO Redemptoris decimo quarto post millesimum trecentesimum, Indictione duodecima, Burdigalam repetens Clemens V Pontifex Maximus post Concilii Viennensis sessiones, male habere cœpit nunc dysenteria, nunc stomachi debilitate cruciatus, ita ut in ipso itinere apud Roccam Mauram supra Rhodanum, in oppido sito in Provincia, finierit vitam, Pontificatus sui anno octavo, cum decem mensibus, diebus sedecim, duodecimo Calendas Maii. Cadaver in ecclesiam B. Mariæ de Uzesta Vasatensis diœcesis villula ignobili, ob devotionem quam ad eum locum habuerat, sepulchro marmoreo instructissimo translatum, postmodum a Calvinianis turpiter diruptum est, ossibus in ignem conjectis, octavo Idus Januarii, anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Eo vero demortuo vacavit Suprema Sedes annos duos, menses tres, dies decem et septem. Clementi, prout speciali Ordinis nostri benefactori, Capitulum generale ejusdem anni concessit monachatum cum psalteriis per totum Ordinem.

CLEMENS V MORITUR.

Ex charta 1314.

II. Die 18 Novembris anni præsentis, obiit Joanna de Bellojoco Priorissa de Polletens de qua hæc in vetustissimo Ms. hujus monasterii legimus : « Nobili orta stemmate, filia quippe erat Ludovici de Forest et Eleonoræ a Sabaudia, spreto generis splendore sese famulatui divino mancipans, ob

OBITUS JOANNÆ PRIORISSÆ POLETENSIS.

ANNUS 1314

exemplarem vitam ad parthenii hujus regimen assumitur ; quod cum rexisset singulari cum prudentia et sanctitate per quadriennium, anno 1314 ad Christum sponsum suum feliciter migravit. »

DOMUS MAURBACH. ORDINI INCORPORATUR.

III. Eodem quoque anno Aymo Prior Cartusiæ ad Fridericum Austriacum dedit litteras quibus novam fundationem recipit, et Godefridum e regimine Seitzensis cartusiæ assumptum, primum Priorem instituit. Litteræ vero sunt hujusmodi : « Illustrissimo Principi et charissimo Domino suo, atque reverendissimo Domino Friderico, D. G. nobili duci Austriæ et Styriæ, etc..... F. Haymo dictus Prior Cartusiæ et ejusdem loci Conventus se ipsos totos, et si quid apud Deum valet oratio peccatorum. Receptis devotis litteris vestræ altæ Dominationis, gavisi sumus in Spiritu Sancto, qui vobis talem affectum erga se et erga pauperem Ordinem nostrum inspiravit, ut velitis facere novam Domum Ordinis nostri in Ducatu vestro, juxta locum qui *Maurbach* vulgariter appellatur. Quam Domum de communi consensu et consilio etiam privati Capituli recipimus et Vallem Sancti Antonii decrevimus appellari. Cujus Domus curæ et regimini atque correctioni tam in spiritualibus quam in temporalibus, ob reverentiam vestram et Fratrum vestrorum, consentimus et concedimus atque volumus autoritate nostri Capituli fore subjectum, unitum atque incorporatum Hospitale illud, quod intenditis fundare vel jam fundare et ædificare incepistis in loco qui dicitur Maurbach, juxta prædictam novam fundationem seu Vallem S. Antonii pro 24 infirmis personis, et masculini sexus sicut decet : non enim consuevit Ordo noster in domibus suis aut etiam grangiis sub tecto recipere mulieres. Quæ etiam personæ si male se haberent, possent expelli de dicto Hospitali per Priorem, qui pro tempore præesset Domui memoratæ ; et per dictum Priorem et Conventum Monachorum Domus Vallis S. Antonii instituantur et ponantur in dicto Hospitali, cum fuerit opportunum. Quæ etiam 24 personæ habeant fraternitatem Ordinis nostri, et ipsæ personæ teneantur ad reddendum pro defunctis nostri Ordinis sicut reddunt

Chronicon Maurb. ms. p. 8 et 9.

*Primo dicta Vallis S. Antonii.*

alii de Ordine nostro secundum Ordinis Statuta. Et hæc omnia cum libertate et exemptione omnimoda, quam a Diœcesano dictorum locorum concedi volumus et petimus ac etiam confirmari. De sepulturis vero prædictæ Domui concedendis necesse est exspectari gratiam Capituli generalis. Ob reverentiam quoque vestram absolvimus dilectum filium nostrum Godefridum ab officio Prioratus Vallis S. Joannis, et ipsum Domui nostræ Vallis S. Antonii autoritate prædicta præficimus in Priorem. In quorum omnium præmissorum robur et testimonium, sigillum Domus nostræ, quo in magnis et arduis negotiis utimur, præsentibus litteris duximus apponendum. Datis A. D. 1314, Sabbato post festum Assumptionis B. Mariæ. » ANNUS 1314

Dein autor Chronici, prosequens in hæc verba : « Exhibebat, inquit, hanc approbationem et religiosam coloniam deducebat Godefridus vir integerrimus qui e cartusia S. Joannis Baptistæ in Seitz, quam sanctitatis opinione repleverat, ingenti æque ac populorum dolore dimissus, in Austria receptus cum fratrum Principum gaudio, et in hanc novam Religionis palæstram, quam magis Vallem SS. Omnium appellari placuerat, cum solemnitate conductus, ita se in brevi virtutum meritis et exemplo serenissimo Fundatori probavit, ut Principibus in conscientiæ tribunali jus, in secretiori vero Consilio sententiam dicere juberetur, eam in rem Aulæ palatinæ cum quatuor equis adscriptus, privilegio ad posteros etiam transituro. *Godefridus Protoprior.* Chronic. p. 10.

« Inopinato interim fato decessit in Calabria Henricus Romanorum Imperator Augustus, qui secum eumdem in tumulum, pacem Germaniæ, concordiam Principum et Imperii felicitatem in plures deinceps annos intulit. Nam eo demortui Cæsaris nuncio septem viri in factiones consternati, uni cœlo duos soles, Romano Imperio duos Cæsares, Fridericum Austriæ et Ludovicum Bavariæ, fratres consobrinos præficiunt ; et illum Coloniensis Romæ, hunc Moguntinus Aquisgrani Electores, infulis Imperii insigniunt ; quæ discordia calamitatibus Europam auxit et novo Fundatore cartusiam.

ANNUS 1314

*Gerlacus fundationem persequitur.*

« Præerat sacris Palatinis Austriæ vir industrius, divinarum humanarumque litterarum scientia clarus, R. D. Gerlacus parochus in Dieskirchen, quem Fridericus jam Romanorum rex, Electorum suorum studia bello prosecuturus, novæ plantationi suæ cum potestate præfecit : qui provinciæ sibi demandatæ incubuit tanta fide et solertia, ut intra tertium annum major ecclesia solemnem consecrationem XVI Cal. Junii 1316 acciperet. »

DOMUS CAPELLÆ JUXTA ANGIAM FUNDATIO.

IV. Domus Capellæ B. Mariæ juxta Angiam in Hannonia, Cameracensis diœcesis, hoc anno fundatur ; de qua hæc refert vetustissimum ejusdem Domus Chronicon :

Vetus Dom. Chronic. apud Miræum. *Dipl. Nov. Collect.* IV. p. 264.

« Nobilis, potens et magnificus dominus Walterus, dominus terræ Angiensis, qui tenuit dominium ejus anno 1300, pro augmento honoris et cultus divini, pro remedio animæ suæ et antecessorum necnon et posterorum suorum, intendebat in hoc loco, circa capellam beatæ semper virginis Mariæ, conventum Religiosorum Deo jugiter famulantium instituere. Unde anno 1307 obtinuit licentiam ad hoc faciendum ab Abbate S. Auberti et Conventu ejus (sicut in libris de hoc factis patet), quia jus Patronatus dictæ capellæ ad eumdem Abbatem pertinet ; qui Abbas et Conventus ejus ei devote assensi sunt) salvo eis pleno jure Patronatus sui.

*Domino Waltero inchoante,*

« Fertur vero prædictus Walterus odorem bonæ opinionis Cartusiensis Ordinis hausisse, et ibidem Conventum illius Ordinis voluisse advocare. Verum morte præventus anno 1309 et antequam bonum propositum suum perduceret ad effectum, in propria illud non adimplevit persona. Ante mortem suam commisit executoribus testamenti, ut omnia juxta suam voluntatem adimplerent. « Donavit etiam, legavit et assignavit prædictis Religiosis venturis, ad sustentationem eorum, XV bonaria terræ et XX libras alborum, quas dicta capella antea possidebat. Insuper adhuc centum libras usuales, et ad illas centum libras dedit reditus de Evioel et de Gages : item vivarium et molendinum de Schibbeke, scilicet tertiam partem. Nil plus fertur Domus hæc habuisse pro fundatione ; et sic valde pauper fuit in initio.

« Igitur executores testamenti dicti domini Walteri primi fundatoris nostræ Domus, qui fuerunt D. Gerardus dominus de Sottegem castellanus de Gandavo, D. Arnoldus de Angia, dominus de.... D. Abbas de Camberone, et D. Curatus de Angia, una cum matre et uxore dicti domini Walteri, vocaverunt huc et fecerunt venire Fratres Ordinis Cartusiensis anno 1314; et dominus Walterus junior, dominus terræ Angiensis, filius prædicti domini Walteri, ratificavit et confirmavit omnia prædicta, eodem tempore et anno quo supra. ANNUS 1314

« Anno 1315 Abbas S. Auberti et Conventus ejus petierunt a D. Episcopo Cameracensi Petro ut Conventus Ordinis nostri, qui jam huc advenerat, pacifice hic posset residere et habitare perpetuo. Et idem Episcopus autoritate episcopali hoc confirmavit eodem anno.

« Anno 1314 idem episcopus Petrus autoritate episcopali concessit Patribus nostris, ut possint divina Officia et Missas celebrare quamdiu illis placeret.

« Anno 1316 idem Episcopus concessit Patribus nostris perpetuam licentiam hic manendi, cum omnibus juribus eis collatis et conferendis a Christi fidelibus, divina celebrandi, ædificia construendi, ac fideles in nostro cemeterio sepeliendi. Quod cemeterium nos habere permisit : salvo tamen jure parochialis ecclesiæ. De his omnibus præmissis habentur in hac Domo Litteræ signatæ, et copiæ.

*Locus olim dictus Dierikzhoven.*

« Locus istius capellæ olim vulgariter *Dierickzhoven,* id est, Curia Theodorici vocabatur. Unde consuetudo olim fuit, quando aliquis suspendebatur vel decollabatur circa justitiam Angiensem, quæ stat fere in media via inter Angiam et hunc locum, dicebatur ibidem occidendis ut flecterent genua versus locum B. Mariæ de Dierickzhoven, et salutarent beatam Virginem Mariam.

*Unde nomen accepit.*

« Item hoc est antiquissimum quod narratur de loco isto, quod circa portam nostram quæ stat versus sylvam nostram, solebat habitare quidam Reclusus, qui vocabatur *Dierick*, id est Theodoricus ; et forte ab eo nomen locus iste accepit ut vocaretur Dierichzkoven. Qui scilicet Theodoricus, homo

ANNUS 1314

valde sanctus, solebat videre luminaria noctibus circa locum ubi nunc ecclesia nostræ Dominæ et nostra est fabricata. Unde hoc prædixit fore signum, vel hoc fuit indicium, quod in posterum divinæ laudes ibidem devote essent celebrandæ. Iste etiam Reclusus fertur hic fuisse sepultus.

« Item antequam Patres nostri huc advenissent, habitaverunt hic pro tempore aliquæ Moniales, sive Sorores Hospitales, nescio cujus Ordinis. Postea feruntur hic habitasse Fratres Ordinis Prædicatorum, sed ab hoc loco remoti sunt sive exclusi per Dominum terræ Angiensis ; quia forsan eorum conversatio ei non placebat, vel alia de causa quæ nos latet.

« Annis Domini 1322 et 1326 fuit dominus terræ Angiensis dominus Engelbertus, cujus primogenitus vocabatur Sigerus. Contulit ergo dictus dominus Engelbertus circa idem tempus reditus pro lampade arsura jugiter ante imaginem B. Virginis Mariæ, scilicet quatuor bonaria terræ, et dictus Sigerus primogenitus ejus confirmavit.

*Ecclesia dicatur.*

« Anno Domini 1328 Archiepiscopus Militenensis, autoritate domini Godefridi tunc episcopi Cameracensis, dedicavit ecclesiam Capellæ beatæ Virginis Mariæ in Herinis : scilicet antiquam partem ecclesiæ quæ vergit ad Occidentem, et conjungitur ecclesiæ nostræ novæ quæ vergit ad Orientem. Capella vero, sive chorus, ubi nunc imago B. Virginis Mariæ veneratur, facta est diu postea, scilicet tempore Prioratus Domni de Montegiis circa annum 1433.

« Qualiter autem ortum habuerit quod Beata Virgo hic cœperit venerari, nobis liquide non constat : nisi forte illo, quod supra dictum est de Recluso. Solebant hic etiam fieri multa miracula, quorum quædam hic feruntur conscripta. Sciendum vero est, quod hic ad B. Virginem solebat fieri maximus concursus populorum sive peregrinatio, et magna summa pecuniæ de oblationibus colligebatur : unde creditur facta ecclesia, et reditus empti supra expressi.

« Erat quondam hic etiam annua processio, in qua imago B. Virginis circumferebatur. Dicitur quod in quodam die

processionis ejusdem, fuerit circa ecclesiam nostram factum quoddam homicidium circa annum 1436; C. Gerardus Naghel de Delft tunc Prior hujus Domus impetravit a Domino Ludovico comite Sancti Pauli et Domino terræ Angiensis, ut ipsa processio cessaret, quod sic factum est : quamvis de hoc multi præcipue juvenes multum dolerent. Solebant etiam Prior et Procurator hujus Domus personaliter incedere in ipsa processione. Dies vero processionis erat prima Dominica post festum sanctorum Jacobi et Christophori. » Hæc Chronicon. ANNUS 1314

Supradicta Maria, domina Angiensis et mater domini Walterii, cum esset filia Comitis Rethelensis cujus antecessores magnis affecerant beneficiis cartusiam Montis Dei, ideo ad novam fundationem inhabitandam elegit monachos cœnobii nostri prope Valencennas. Ipsa etiam domina Maria cellulam Sacristæ et campanile propriis sumptibus erexit. Hæc vero Angiensis familiæ ex antiquis Flandriæ Comitibus, Imperii Forestariis, prognata, conjuncta est postea cum Luxemburgensi domo : ultima hæres enim Angiensium nupsit Joanni qui fut avus illustris Ludovici comestabularii Luxemburgensis Parisiis obtruncati anno 1475, die 19 Decembris. *Maria Angiensis benefactrix.*

Ex Ms. Bruxellis asservato qui inscribitur : « Catalogus Chronologicus Dominorum Priorum celeberrimæ cartusiæ Capellæ B. Mariæ in pago Herinnensi prope Angiam Hanoniæ oppidum », primariorum hujus Domus Moderatorum obitus subnectimus : Archiv. gener. Mss. n° 36.

D. Robertus professus Domus Vallis S. Petri, primus Prior, obiit 17 Februarii.

D. Joannes de Meldert anno 1317, obiit 26 Septembris.

D. Joannes Adam obiit 15 Decembris.

D. Joannes de Bonchonte, ante annum 1318 usque post annum 1338, obiit 5 Aprilis.

D. Salomon obiit 19 Februarii.

D. Symon, ante 1343 usque post 1347, obiit 24 Maii.

V. Fundatur eo pariter anno cartusia Maggiani ab amplissimo doctissimoque viro Richardo Petrono Senensi, MAGGIANAM CARTUSIAM ERIGIT PETRONUS CARDINALIS.

ANNUS 1314

titulique S. Eustachii Diacono Cardinali. Hic non minori munificentia quam pietate ac religione insignis, quatuor cœnobia a fratris filio Joanne, quem suum hæredem dixerat, e pretiosa sua tantummodo suppellectili atque grandi auri argentique magnifice cælati pondere, intra Senarum urbem vel certe in ipso circumjecto territorio civitatis ædificanda, ex testamento legavit, in quo hæc recitantur :

*Litteræ fundationis.*

« In nomine Domini. Amen. Nos Richardus, miseratione divina Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis, volentes de bonis nostris ultimam disponere voluntatem, inprimis in omnibus bonis nostris Joannem natum quondam domini Merchanti germani nostri nobis hæredem instituimus, et liberos ejusdem Joannis masculos legitimos descendentes ex eo, et sibi invicem liberos eosdem substituimus ; ita quod ille sit ordo in successione hujusmodi, qui vel in successionibus ab intestato servatur. Nostra etenim voluntas hæc est : ut masculis liberis existentibus bona nostra prædicta ad ipsos deveniant, et ad nullos alios valeant devenire. Mandamus insuper fieri et dotari de bonis nostris duntaxat mobilibus infrascripta monasteria et religiosa loca in Comitatu, districtu vel civitate Senarum, tantummodo Monasterium unum, eumque Cartusiensium Ordinis, in Comitatu seu districtu prædicto, in quo sit Conventus duodecim Fratrum, unius Prioris et Vicarii, juxta ipsius Ordinis instituta ; cui assignentur possessiones quatuor millium florenorum auri. In ecclesia vero et officinarum constructione duo millia florenorum auri volumus erogari. Aliud vero monasterium erit Cisterciensis Ordinis in eodem comitatu et districtu vel civitate ; ita quod non sit grangia vel redigatur in grangiam, sed sit ibi Conventus Monachorum juxta sufficientiam facultatum, qui per Abbatem regetur ; cui assignentur possessiones trium millium florenorum auri. Aliud vero monasterium erit Monialium Ordinis S. Claræ infra Senam vel prope ad jactum lapidis, cui assignari volumus possessiones trium millium florenorum auri, vel ex mille florenis auri ecclesiam construi, et locum habitationis ipsarum. Item aliud

Origin.Cart. Arn. Bostii apud Tromby, *Storia dell' Ordin. Cartus.* VI. App. LII.

*Præter cartusiam, 3 alia Monasteria dotantur.*

monasterium Monialium de Ordine Fratrum Prædicatorum intra limites prælibatos, cui similiter possessiones trium millium florenorum auri volumus assignari, vel ex mille florenis ecclesiam construi, et locum habitationis ipsorum; et in istis duobus monasteriis Monialium volumus deputari Moniales, quæ substentari possent ex facultatibus possessionum assignandarum. Argentum vero nostrum nonigentarum monetarum. . . . cum cuppa aurea quæ Senis est sub custodia Joannis cujusdam, in dotes filiarum dicti Joannis; ita quod quælibet earum cum alia æqualem dotem habeat deputamus, illegitimis filiabus ejus, si quas habuit, aliunde competenter dotatis. Quod si forte nullus masculus superesset de filiis suis liberis Joannis prædicti aut nullus eorum nobis hæres esset, ad filias legitimas earumque liberis hæreditatem nostram et bona volumus pervenire. Quod si nec filiæ vel earum liberi superessent seu deficerent, ad dicta monasteria hæreditas et bona nostra deveniant, factis partibus juxta ratam prædictarum dotium monasteriorum prædictorum, ita quod hæreditatem et bona nostra prædicta nullatenus alienent. (Quæ sequuntur, licet ad præfata monasteria non spectent, studiosi tamen lectoris gratia, utpote curiosa adjicimus.) Item ecclesiæ S. Eustachii de Urbe cui vel aliqua bona conferimus temporibus nostris, et ecclesiis aliis in quibus hujusmodi beneficia et præbendas pro quarumqualibet in negotiis pluribus earum magis sollicite et humiliter laboravimus, omnes fructus præbendarum et beneficiorum nobis debitos, nondum receptos a nobis aut nobis assignatos, quamquam ii sint apud Procuratores nostros, legamus. Item Bibliam nostram et crucem nostram majorem non alienandas Ecclesiæ Senensi relinquimus. Antiphonaria quoque nostra nocturna quæ sunt Senis, et Diurnum, Missale, Epistolare, Evangelistare (quod non est huc, sed esse debet Senis), et Legendam Sanctorum, et paramenta cappellæ nostræ sacerdotalia quæ non sunt corporis nostri, monasterio Ordinis S. Claræ, quod una cum tribus aliis monasteriis et religiosis locis primum construi volumus et dotari, cum dicta alia

ANNUS 1314

*Quædam utpote curiosa notantur.*

ANNUS 1314

monastica et religiosa loca officio Romanæ Ecclesiæ non utuntur, legamus. Codicem vero et alia quæ sunt in cofano cappellæ nostræ, et paramenta corporis nostri, et pannos ac aurum, memoratis tribus monasteriis inter ea æqualiter distribuenda, legamus. Item vestimenta dorsi nostri, et coquinam nostram Hospitali Dominæ Agnetis de Senis donamus; lectos insuper nostros, et supralectos cum omni apparatu eorum, Hospitali S. Mariæ ante gradus Senensis Ecclesiæ relinquimus. Breviarium quoque conventui Fratrum Minorum de Neapoli, quod ab eis in commodato recepimus, volumus reddi. *Apparatum* vero Ostiensis in duobus voluminibus, et *Speculum judiciale,* quæ sunt Senis, ac Graduale meum domino Bindo, Papæ Notario, consobrino nostro relinquimus. Item D. Brunoni Priori S. Martini de Senis florenos auri viginti quinque legamus. Præterea libri nostri Juris civilis et canonici, et *Innocentius,* ac supellectilia nostra quæ aliis specialiter non relinquimus, vendantur, et pretium eorum inter proximiores consanguineos nostros pauperes erogetur............ Ut autem prædictæ possessiones, Deo favente, sint apud monasteria et ecclesias quibus assignabuntur, volumus quod assignatio earumdem possessionum per executores nostros fiat sub prohibitione alienationis, quod eadem monasteria et ecclesiæ ea nullatenus alienent........ Hanc autem ultimam voluntatem valere volumus jure testamenti vel codicillorum, et omni modo quo melius possit. Omnem vero aliam voluntatem, quocumque nomine censeatur, hactenus a nobis factam irritamus ; et nullius volumus esse momenti. Actum in Burgo prope civitatem Januæ in hospitio Antonii de Camillis de Janua in quo idem D. Cardinalis tunc manebat. Præsentibus D. Bindo et fratre Dyonisio de Eremitis S. Augustini ac etiam fratre Petro de Senis socio dicti fratris Dyonisii, necnon providis viris dominis Cavia de Imola archidiacono Senensi, Henrico de Cledis canonico S. Petri in claustro veteri, Ambrosio Andreæ S. Petri Senarum, Senensium ecclesiarum rectoribus, Adamo Joannis et Bardo de Imola cappellanis, et Familiaribus dicti

*Diversis vestimenta*

*Et libros partitur.*

ANNUS
1314

Domini Cardinalis, testibus ad hæc vocatis specialiter et rogatis. Anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo quartodecimo, Indictione XII, die vigesimo septimo Januarii, Pontificatus Domini Clementis Papæ V anno nono. »

*D. Michael in soli possessionem inducitur.*

Duobus post annis, ad novæ Domus fundamenta jacienda D. Michael cartusiæ Trisultanæ alumnus ac per ea tempora Romæ Procuratorem Ordinis agens, in soli possessionem (non longe quam quingentos passus ab urbe patria) juxta Maggianum siti, inducitur ab egregio viro Bindo, Bindi filio Falconisque nepote, utpote testamentario executore, cum prævia Rogerii Senarum episcopi licentia construendi cœnobium, cujus regimen idem ipse Michael paulo post (1324) suscipere coactus est.

*Obiit fundator.*

Eminentissimus Dominus fundator Richardus præsenti anno, XVIII Kalend. Februarii, obiit Genuæ dum pontificia fungeretur legatione. Hic Senis nobili genere ortus, adolescens utrique Juri operam dederat; qua in facultate adeo excellens evasit ut suo tempore in jurisprudentiæ difficultatibus tanquam oraculum publice adiretur. Bonifacius VIII Sextum Decretalium editurus, eum ad se accivit, et Vicecancellarium Apostolicæ Sedis, deinde Cardinalem creavit, cui et Guillelmo Longo cardinali, ac domino Mugellano onus imposuit Sextum Decretalium librum edendi, quem ad eam quam nunc cernimus formam redegerunt, ut ex libri principio apparet.

*Cæteri benefactores.*

Secundus hujusce Maggianæ Domus fundator supradictus dominus Bindus jure habetur, eo quod plurima bona Nostris concesserit; qui, ut ejusdem Cardinalis supremæ voluntatis executor impiger fuit, ita opere sumptuque magnificentissimus exstitit imitator, quando et ipse Pontinianam cartusiam edito gratoque ad aspectum tumulo sitam, ad tertium ab urbe Senarum lapidem, anno post Christi natum 1343 a fundamentis excitavit, ut fusius postea narrabimus.

Nobiles Domini Petroni istius cartusiæ totiusque Ordinis magni extiterunt benefactores, inter quos potissimum annumerantur Guillelmus, Nicolaus, Franciscus et Ludovicus Petronus.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1315.

| Sedes Apostolica vacat. | Ordin. Cartus. Ann. 232. | Aymonis Pr. Cart. Ann. 3. |
|---|---|---|

PORCHETUS SALVATIC. FLORET.

I. MILLESIMUS trecentesimus quintus decimus Redemptoris surgit annus, Indictione decima tertia, quo in cartusia Genuensi (quæ dicitur S. Bartholomæi de Riparolio) floruisse Porchetum Selvaticum asserit Theodorus Petreius his verbis: « Porchetus Selvaticus, vel (ut alii legunt) Salvaticus, ex antiqua Selvaticorum apud Genuenses familia, Librum scripsit adversus impios Hebræos, in quo tum ex divinis Litteris, tum ex talmudicis Cabalistarumque libris, Christianæ fidei veritatem non minus docte quam laboriose comprobat; quem et ideo *Victoriam* inscribit, quod per eum Judæi facile convincantur eorumque conscientiæ non parum lancinentur. Prodiit vero hoc opus Lutetiæ Parisiorum apud Ægidium Gourmontium anno reparatæ salutis vicesimo supra sesquimillesimum, ex recognitione Augustini Justiniani episcopi Nebiensis; qui Guillelmo Parvo Trecensis Ecclesiæ antistiti hoc opus inscribens, hujusmodi de autore ejusque libro profert judicium: Demiratus, inquit, sum non semel, quonam pacto homo christianus, christianis natus parentibus, sed et Genuæ, qua in urbe ob religionis reverentiam Judæis habitatio interdicitur, potuerit omnia lustrasse quæ apud Hebræos habentur, quando pene infinita censeantur. Nam præter *Talmud*, quod sex comprehensum ordinibus (sic enim ipsi vocant) continet supra septuaginta magnos libros, ha-

Bibliotheca Cartus. verbo: Porchetus.

*Librum adversus Judæos scribit, scientia refertum.*

bent *Pessatim*, hoc est expositores qui in litterali versantur; habent *Darssanim* qui allegoriam sequuntur; habent *Micobalim*, id est Cabalistas quibus peculiare est omnia in Deum reducere: habent et multos alios varii generis scriptores, quorum omnium libri, si in unum redigantur, immensam conficiant struem. Hos tamen omnes ita citat Porchetus ut eorum non modo sententias sed et verba, quin et apices ipsos, in librum suum reponat; adeo ut credas illum toto vitæ tempore in Hebræorum scholis versatum. Fatetur nihilominus (nimirum uti fuit candidus et ingenuus) se in structura ædificii sui adjutum a *Pugione* (sic enim liber inscriptus est) Raimundi Martini Gothalani, Dominicanæ nostræ familiæ alumni, quem suspicor quandoque Hebræum fuisse. Nam mihi non est credibile potuisse Christianum hominem eumdemque Cartusiensem monachum, sine Hebræi cujusdam auxilio, Hebræorum thesauros ita depilasse. Hæc ille. Cæterum quando Porchetus floruerit tam hic (Augustinus scilicet Justinianus) quam Possevinus tacent. Unde si fides habenda est collectaneis quibusdam Herbipoli ad me missis, reperio annum Domini millesimum trecentesimum quintum decimum. » Hactenus Theodorus. ANNUS 1315

II. Hoc etiam anno Ordini nostro incorporatur percelebre Montis S. Petri monasterium in Liguria situm, de cujus origine et progressu hæc ex antiquissimis ejusdem Domus Instrumentis exscripsimus. MONS S. PETRI FUNDATUR.

Monasterium vetus cartusiæ S. Petri ad Vincula in Italia, in regione Liguriæ occidentalis, in parte Appennini versus mare Mediterraneum (quod ibi Ligusticum vocatur), in valle Varatella, in diœcesi Albinganensi, antiquitus fabricatum fuerat in cacumine ipsius montis S. Petri. Postea vero de licentia Reverendi Patris nostri Generalis, dignis de causis in eadem valle Varatella ad pedes ejusdem montis in loco planiori ac magis salubri, prope oppidum Tarrani aliud novum fabricatum fuit, et in ipso (a centum triginta et uno annis citra) religiosi Cartusienses inhabitant: vetus traditio est.

ANNUS 1315

Sunt in dicto monasterio Montis S. Petri duæ cartæ pergamenæ vetustissimæ quæ continent quod temporibus Neronis, S. Petrus Apostolus veniens de Antiochia pervenit in montem ipsum S. Petri, ubi ædificavit ecclesiam unam, primam in regno Italiæ illincque profectus est Romam.

* S. Desiderius Martyr occubuit 23 Maii 407.

Additur in eis cartis quod huc pervenit postea unus Episcopus cui nomen erat Desiderius *, qui hanc Basilicam consecravit in honorem beati Petri apostoli, octavo Kalendas Martii, et collocavit in ea pignora Sanctorum multa.

*Monasterium antea Ordin. S. Benedicti.*

Subditur quod Carolus Magnus imperator ac Gallorum rex, circa annum 773 fecit illam ecclesiam monasterium in honorem S. Petri, illudque amplissimo dotavit patrimonio.

Sunt de his aliquæ præsumptiones : 1. Ex traditionibus antiquorum, qui semper affirmarunt ab antecessoribus suis prædicta audivisse et pro veris habita fuisse;

2. Illustrissimus cardinalis Baronius in suis Annalibus meminit sanctum Petrum apostolum, cum venit de Antiochia, fuisse in partibus Liguriæ ;

3. Præsumptio pro ipsis est quod vetus monasterium adhuc extat ;

4. Sunt ibi multæ aliæ scripturæ antiquæ ex quibus probatur quod per plures centenos annos, Abbates et monachi sancti Benedicti in eo habitaverunt, et possederunt bona a dicto Carolo Magno data.

*Collapsa diciplina,*

Anno 1282, Romanus episcopus Albinganens. cum monasterium illud S. Petri Ordinis S. Benedicti in spiritualibus et temporalibus valde collapsum esset, prohibuit Abbati illius ne amplius in eo ad Ordinem monachos admitteret; et quia Abbas non paruit, idem Episcopus eum prima die Maii ejusdem anni excommunicavit, et de hoc adest in monasterio scriptura in membrana antiqua et authentica.

*Unitur mensæ episc. Albing.,*

Anno 1308, die 16 Octobris, reverendissimus Guillelmus archipresbyter ecclesiæ S. Martini ejusdem loci Torrani, uti delegatus illustrissimi Neapoleonis cardinalis S. Adriani, Legati Sedis Apostolicæ, dictum monasterium S. Petri de Varatella Ordinis S. Benedicti cum omnibus juribus et perti-

nentiis suis univit mensæ episcopali Albinganensi, ex eo quia in spiritualibus et temporalibus adeo collapsum esset, quod nequiret in suo Ordine reformari, et nullis in eo Religiosis amplius degentibus, divina Officia ibi non celebrantur. ANNUS 1315

Anno 1315, die quinto Aprilis, Emmanuel Spinula episcopus Albinganensis concessit et tradidit dictum monasterium Montis S. Petri de Varatella cum omnibus bonis, juribus et pertinentiis suis, quibusdam tantum exceptis, Venerabilibus Priori D. Nicolino et Monachis monasterii Casularum Ordinis Cartusiensis, consistentibus Abbate et uno Monacho Ordinis S. Benedicti tum quoque viventibus; addito insuper quod prædictus Prior monasterium prædictum teneretur reædificare decenter, et in divinis Officiis et Horis canonicis modo debito inibi deservire facere, et ipsum monasterium et bona ipsius custodire, salvare et bonificare et jura ipsius augere; et mortuis dictis Abbate et monacho Ordinis S. Benedicti tunc viventibus, in dicto monasterio constituatur Prior qui semper sit cum monachis sufficientibus ad dictum Prioratum pro divino cultu inibi exhibendo ; et versa vice quod Episcopus et successores sui tenerentur dictum monasterium et jura ipsius eorum posse salvare, et contra omnem personam canonice defendere et cum aliis pactitiis et contentis; de quibus apparet scriptura authentica in alia membrana existente in monasterio.

*Et demum Ordini Cartusiensi.*

Anno sequenti, 1316, die 16 Novembris, Procurator ejusdem Domus Casularum convenit cum dicto Abbate de certa summa annuatim illi solvenda, ejus vita durante.

Anno 1320, 17 Augusti, VV. PP. D. Robertus Prior cartusiæ S. Laurentii de Padula et D. Michael Prior S. Mariæ de Maggiano, Visitatores a Capitulo Generali Ordinis Cartusiensis pro Domibus Lombardiæ, separaverunt dictum monasterium S. Petri a monasterio Casularum, assentiente Priore hujus Domus, Domno Dominico, fitque una cartusia sub vocabulo Montis S. Petri cujus Protoprior extitit D. Petrus de Garzano.

Anno 1395, die 14 Augusti, Reverendissimus Prior Car-

ANNUS 1315

tusiæ et Ordinis generalis, Guillelmus Raynaldi, concessit Priori Montis S. Petri licentiam transferendi illam Domum ad pedes ejusdem montis, expresse mandando quod ad honorem Dei et fundatorum intentionem et Fratrum in præfato monasterio quiescentium memoriam, locus prioris monasterii ex toto non profanaretur, sed ecclesia cooperta manuteneatur pro Missis a Procuratoribus ibi celebrandis. Dedicatio prius ecclesiæ novæ monasterii fabricati ad pedes dicti montis, quod appellatur cartusia prope Torranum, facta fuit die 29 Maii et quotannis fit festum illius a monachis Cartusiensibus dicti monasterii.

*Catena S. Petri ibidem asservatur.*

Conservatur in ipso monasterio catena ferrea quæ ex traditione Antiquorum reputatur una ex duabus quibus vinctus fuit sanctus Petrus apostolus, unde hæc Domus vocatur *cartusia ad Vincula ;* semper collocata hæc catena in muro ubi cæteræ Reliquiæ conservantur usque ad annum 1595, fuit reposita a Priore Domus in quadam arcula lignea, cum aliquibus Reliquiis, et nunquam habuit nec contraxit æruginem. Plures fide digni qui alteram Romæ viderunt existentem affirmaverunt huic esse similem. Descripta quoque est in veteri martyrologio hujus Domus cum cæteris Reliquiis.

*Sacellum S. Paulo dicatum.*

Habet illud monasterium, in territorio dicti loci Torrani ad medium montem super villam Bonsani, sacellum sub titulo S. Pauli ; et dum Religiosi tam Ordinis S. Benedicti quam et Cartusiensis degebant in veteri monasterio, descendere tenebatur quotidie unus ad Sacrum in eo faciendum ; quæ moderata fuit obligatio ad unam Missam quolibet mense in eo celebrandum, sed in ecclesia monasterii celebratur quotidie.

Extracta fuerunt hæc supradicta omnia ex archivis et scripturis antiquis, die 16 aprilis anni 1626, per Venerabiles Patres hujus Domus.

B. RAYMUND. LULLIUS MARTYR OCCUMBIT.

III. Inter mortuos hujus anni recensetur Raymundus Lullius qui pro fide Christiana in Africa occubuit, perinsignis Parisiensis cartusiæ amicus, ubi non pauci ejusdem libri congregabantur.

ANNUS 1315

QUÆDAM DE CONSECR. MONIALIUM NOSTRARUM.

IV. Jam superius* ipse V.P. Domnus Le Couteulx quædam retulit de Monialium Cartusiensium initiis, sed lectorem ad præsentem annum remisit, ubi illi in animo erat earumdem Consecrationem accuratius tractare ; de quibus ergo nobis hic agendum.

* Ann. 1145.

Sicut in Statutis Cartusiensibus nonnulla reperiuntur priscorum Ægyptiacæ eremi Patrum institutionibus haud discrepantia, sic etiam in Virginum nostrarum Consecratione aliqua exstant communia cum primis Ecclesiæ Diaconissis : ut est, exempli gratia, stolam manipulumque gerendi facultas. Notandum enim est ritum, etiamnum apud Cartusianas usitatum, originem ducere a primitivæ Ecclesiæ temporibus, ut ex sequentibus liquet. Anno siquidem 507, sanctus Cæsarius Arelatensis, postquam sorori suæ sanctæ Cæsariæ velum sacrum tradidisset, eidem regulas quasdam conscripsit femineo sexui adaptatas, et illam ac alias Virgines, ut id temporis mos erat, soli Deo solemni dicavit Consecratione. Dein circa annum 600, Germalia sanctæ Radegundis discipula cœnobium fundavit S. Andreæ de Rameriis (alias Pratibajonis dictum) diœcesis Vasionensis, ubi S. Cæsarii Regulam (quæ fere tum sola vigebat in tota Provincia) et Consecrationis ritum instituit.

*Istius usus origo.*

Quinque circiter elapsis sæculis, Pratibajonenses Moniales Divi Brunonis normam subiere, ut jam diximus, antiquis quidem relictis Statutis, retento tamen Consecrationis usu; sic ergo ab hoc tempore veneranda illa et antiquissima cœremonia hodie usque servatur in Ordine nostro, et idcirco Moniales Cartusienses, certis temporibus, jure optimo uti possunt stola et manipulo. Quis autem negare auderet quin Diaconissæ illa sacra portassent insignia ? Ut omne dubium tollatur, audiamus Jacobum Goarium hac de re sic disserentem : « Post orationem, inquit, et diversas preces ab Episcopo recitatas super Diaconissam, Rituale indicit : Et responso *Amen,* diaconicam stolam, sub pallio, collo ejus (virginis) circumdat Pontifex, duas illius extremitates ante pectus reducens. » Addit Goarius Diaconissæ ordinationem

*Rituale Græcorum.*

ANNUS
1315

*Est pallium Monialium.
* Idem ac maforium.

*Concordia, lib.IV. cap. 10.

*Viguit apud Græcos a priscis temporibus.*

Matthæum Blastares hoc pacto referre : « Peragi convenit, paucis exceptis, in Diaconissæ ordinatione quæ et in Diaconi : illam etenim ad sacram mensam adductam maforio * velari decet..... Collo deinde ejus sub maforte * stolam diaconicam imponit Pontifex et in partem anteriorem ejus extrema reducit. » Hæc Blastares. Pergit Goarius : « Absurdum, dicit Arcudius, * ex grammaticali vocis notatione, Orarium * Diaconissæ collo circumdare. At si nomen gerit Ordinis, cur non insignia saltem semel gerat ? An absurdum est Arcudio quod Ecclesia Romana quondam instituit et deinceps observavit ? Observasse autem Diaconissæ consecrandæ morem ejus Ordo antiquus manifestat, et, quod Arcudio displicet, etiam orarium manu Episcopi, ejus collo circumdatum, clarissimis, imo et repetitis verbis enarrat : Orientalem autem Ecclesiam ritum hunc custodivisse, dum sana foret et in communione cum Occidentali perseveraret, neque ipse Arcudius inficias ibit : quamvis ab antiquo ejus Ordo vel Consecratio utrobique perierit penitus, et vix jam de nomine cognoscatur. Adde quod non ad altaris ministerium, uni tantum humero, sed ad ornatum tantum et ad corporeæ integritatis animæque ordinatæ commendationem, et ad spiritualem corporeamque exercitationem illam provocandam, orarium diaconicum ejus utraque humero dependens a Pontifice imponitur. » Ita Goarius. Hæc vero paulatim e Romano Pontificali exciderunt, et episcopi quibusdam in Cartusiensium partheniis nequaquam hæc sacra ornamenta tradebant. Anno vero 1689, reperto et examinato veteri manuscripto Domus nostræ Gosnayensis, in quo legebantur Orationes pro stolæ et manipuli traditione adhibitæ, Eminentissimus cardinalis le Camus, Gratianopolitanus antistes, haud dubitavit rursum instituere quod a sæculo XIV apud Sorores nostras Gosnayenses et Brugenses sedulo devoteque semper fuerat observatum.

*Hodiernus Ritus describitur.*

Cum ritus iste specialis ( eo quod, ut diximus, in modernis Pontificalis editionibus desideretur ) plerisque sit ignotus, inde opportunum videtur eum hic intexere juxta vetustissi-

mum Ms. Cartusiense in Bibliotheca regia Bruxellarum asservatum, cui titulus : *Modus et ordo consecrandi Virgines Moniales Ordinis Cartusiensis.* « .... Oratione *Da, quæsumus, ut hæ famulæ tuæ,* absoluta, Episcopus vocat Virgines, cantando Antiphonam *Transite ad me omnes qui concupiscitis me et a generationibus meis implemini,* quam chorus prosequitur. Deinde prima Virgo ducatur ad Episcopum, et Episcopus ponat manipulum in dextrum brachium ejus dicens : *Expecta Dominum, viriliter age et confortetur cor tuum et sustine Dominum.* Postea Episcopus ponat stolam circa collum Virginis dicens : *Tolle jugum Domini super te et disce ab eo quia mitis est et humilis corde.* Deinde Episcopus ponat crucem aream vel argenteam super dexterum humerum Virginis dicens : *Abnega temetipsam, et tolle crucem tuam quotidie et sequere Dominum.....* Sic de cæteris Virginibus consecrandis..... Virgines omnes ad locum suum reversæ, flectant genua et simul cantent hanc Antiphonam : *Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit manibus meis inæstimabiles margaritas.* Hic resumitur Pontificale. »

ANNUS 1315

Ms. 8245 — 47.

Supra citatum Manuscriptum Bruxellense his absolvitur verbis : « ..... Deinde per triduum, hoc est illo die et duobus sequentibus, Virgines maneant coronatæ ; simul Horas suas persolventes, simul orantes seu Deum benedicentes ; et debent in hoc triduo quotidie confiteri et communicare, quatenus triduana communione suam desponsationem ratificantes, a suo Sponso nunquam separentur. Ipso eodem hoc præstante qui cum Patre et Spiritu Sancto est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. »

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1316.

Joannis PP. XXII Ann. 1. | Ordin. Cartus. Ann. 233. | Aymonis Pr. Cart. Ann. 4.

JOANNES XXII SUMMUS PONTIFEX CREATUR.

I. ANNUS a Salute mundi millesimus trecentesimus decimus sextus, currente Indictione decima quarta, illucescit, quo post biennii Inter-pontificium, Jacobus de Ossa Arnaldi filius, antea Cardinalis Episcopus Portuensis tituli S. Ruffinæ a Clemente V factus, creatus fuit Lugduni in monasterio Prædicatorum, septimo Idus Augusti, Summus Pontifex, dictus Joannes XXII ; coronatus ibidem Nonis Septembris. Philippus Bergomensis Joannem prius monachum Cartusiensem induisse, asserit nulla quidem fultus autoritate, qui nomen forsitan *Caturciencis* (Caturci quippe natus) pro *Cartusiensis* acceperat. Hic Pontifex sancti Brunonis alumnos summe dilexit; utque probatio dilectionis esset exhibitio operis, duas Ordinis Domos fundavit : prima in loco Boni-passus de qua inferius *, altera in proprio natali solo erecta, cujus fundationis seriem hic enarrare præstat.

*Fundavit domus Bonipassus et Cadurci.*

* Vid. ad annum 1318.

EMIT DOMUM QUONDAM TEMPLARIORUM CATURCI.

II. Imprimis, Dominus Papa non suo tantum, sed et *nomine Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,* Caturci comparavit monasterium quondam Templariorum, postea vero Militibus S. Joannis Hierosolymitani devolutum, ut ex sequenti videtur Instrumento :

D. Brunonis Malvezin *Hist. ms. de la Chartreuse de Cahors,* Liv. XI.

« In nomine Domini. Amen. Noverint universi præsentes pariter et futuri, quod in mei Notarii, et testium infrascriptorum specialiter ad hoc vocatorum et rogatorum præsentia,

personaliter constitutus venerabilis et religiosus vir frater Elionus de Villanova, Magister Major Sanctæ Domus Hospitalis Jerosolimitani, non vi, nec dolo, nec machinatione aliqua circumventus seu seductus; sed de sua certa scientia, grata, mera et libera voluntate, et de jure et de facto suis et dictæ Domus plene certioratus; pro se et toto Conventu ac Fratribus dictæ Domus et successoribus suis, et pro utilitate et commodo ac necessitate evidenti ejusdem Domus : videlicet pro satisfactione debitorum in quibus dictus Magister et Conventus et omnia bona dicti Hospitalis sunt, ut dicebat, multipliciter et graviter obligati ; ac de consilio et assensu quorumdam Priorum et Fratrum suorum sibi ibidem assistentium, videlicet fratris Bermundi Maurini Prioris Prioratus Domus S. Ægidii, Leonardi de Tibertis... Obtenta prius per eumdem dominum Magistrum a Domino nostro Papa subscripto super infrascripto negotio, ut dixit, licentia speciali, et de sua autoritate expressa et certa scientia et etiam voluntate : vendidit, et titulo perfectæ et irrevocabilis venditionis, concessit et tradidit sanctissimo Patri et Domino nostro Domino Joanni, Divina providentia Papæ XXII, et suis successoribus; Reverendo Patri in Christo domino Gasberto, Dei gratia Massiliensi episcopo et Camerario dicti Domini Nostri Papæ, ac me Notario publico infra scripto, nomine ac vice dicti Domini nostri Papæ absentis, et successorum suorum ac S. Romanæ Ecclesiæ prædictæ, stipulantibus solemniter et recipientibus, totum locum et omnes domos et singulas, quem et quas iidem Magister, Fratres ac Hospitales habent vel habere possunt, et debent quoquo modo, et quæ fuerunt Ordinis quondam Militiæ Templi in civitate Caturci et ejusdem civitatis pertinentia et districtu, cum omnibus ædificiis, domibus, bastimentis, plateis, viridariis ac clausuris existentibus ibidem, necnon terris, vineis, pratis, domibus, operatoriis, nemoribus, pascuis, et possessionibus ac feudis enfitheoticis, reditibus, censibus, locationibus, accapitis, laudimiis, dominiis ac aliis obventionibus, juribus tam directis quam utilibus, universis et singulis,

ANNUS 1316

*Nomine suo et S. R. Ecclesiæ,*

ANNUS 1316

in quibuscumque rebus et locis consistant, ad dictos Magistrum, Fratres et Hospitale pertinentibus, et pertinere debentibus quovis modo vel causa, ad habendum, tenendum et possidendum ; et quidquid eidem Domino nostro Papæ et suis successoribus et causam ab ipso habituris seu habentibus deinceps, placuit faciendum : pro pretio videlicet et nomine pretii et valoris duorum millium et quingentorum florenorum auri de Florentia boni et legitimi ponderis. Quod quidem pretium idem Dominus Magister nominibus prædictis confessus fuit ibidem se habuisse et recepisse ab ipso domino Camerario solvente, ut dixit, de pecunia Cameræ ipsius Domini nostri Papæ, et nomine ipsius et pro ipso, in bona pecunia numerata. Et de ipso pretio idem dominus Magister a dicto domino Camerario se habuit et tenuit ex causa prædicta pro bene paccato, completo totaliter, et contento ; et ipsum Dominum nostrum Papam et Ecclesiam Romanam idem dominus Magister de prædicto pretio solvit ibidem perpetuo et quitavit, pactum faciens ibidem dictus dominus Magister solemne, validum et expressum eidem domino Camerario et mihi Notario infra scripto promissa stipulantibus et recipientibus, vice et nomine dicti domini nostri Papæ et Ecclesiæ Romanæ, de non petendo aliquid ab eodem seu successoribus suis, ratione pretii supradicti, seu occasione vel ratione aliqua præmissorum. Exceptioni dicti pretii non numerati, non soluti, non habiti et non recepti, et dictæ pecuniæ non solutæ, non numeratæ, non habitæ, non receptæ, et errori calculi, et spei futuræ numerationis, solutionis, traditionis et receptionis expresse renuntians. Quos locum et domos cum juribus et pertinentiis prædictis, idem dominus Magister venditor pro se et nominibus prædictis, se et dictum Hospitale nomine dicti Domini nostri Papæ et Ecclesiæ Romanæ prædictæ, recognovit ibidem precario nomine possidere, donec dictus dominus Camerarius, seu alius nomine dicti Domini nostri Papæ et Ecclesiæ Romanæ, possessionem omnium et singulorum supra venditorum receperint corporalem, quam adipiscendi eidem domino Came-

*Pro pretio 2500 florenorum.*

*Magister Hospitalis Papam et Ecclesiam Romanam de dicto pretio solvit.*

rario, et cuicumque alteri super hoc a Domino nostro Papa, seu ejus successoribus potestatem habenti sua autoritate, et retinendi deinceps omnimodam dedit licentiam et liberam potestatem. Cedens et transferens idem dominus venditor in dictum dominum nostrum Papam, et successores suos et Romanam Ecclesiam, ex causa prædicta totum jus, actionem, proprietatem et dominium, quæ et quod idem Dominus venditor et Hospitale prædictum habebant et habere poterant et debebant quacumque ratione sive causa seu visi erant habere in rebus superius expressatis per ipsum Magistrum super venditis pretio supra scripto. Et devestiens se.... 

ANNUS 1316

« Promittens insuper idem Dominus Magister se acturum fideliter cum affectu, quod Fratres et Conventus dicti Hospitalis in eorum Capitulo generali prædictam venditionem, et omnia et singula supra scripta ratificabunt, laudabunt, omologabunt, approbabunt, confirmabunt, perpetuabunt, et suum efficacem assensum præstabunt pariter et consensum : et pro prædictis omnibus et singulis supra contentis, attendendis, complendis et inviolabiliter observandis, ut per ipsum dominum venditorem superius est promissum. Idem dominus venditor supposuit se cognitioni, jurisdictioni, coercitioni, et compulsioni Curiæ Auditorum Cameræ Domini Papæ. Acta fuerunt hæc Avenione in camera habitationis Reverendi Patris in Christo domini Arnaudi*, Dei gratia sancti Eustachii diaconi cardinalis, anno Domini 1320, die 26 mensis Octobris, tertia Indictione, Pontificatus supra dicti Domini nostri Papæ anno quinto. Præsentibus Reverendis in Christo Patribus dicto domino Cardinali, domino Petro* Dei gratia archiepiscopo Aquensi, domino Geraldo* eadem gratia episcopo Lemovicensi, et domino Petro* dicta gratia abbate S. Saturnini Tolosæ; et magnificis viris dominis Petro de Ossia*, Petro de Via, Arnoldo de Trian, militibus de Caturco, et domino Joanne Darpadela Legum professore Tolosæ, testibus ad præmissa vocatis. Et me Petro Marini, Caturcensis diœcesis, autoritate Apostolica Notario publico, qui præmissis omnibus et singulis una cum prædictis testi-

*Venditionis laudationem promittit.*

* de Via.

* des Prez de Montpezat.

* Rotquier.

* Tissandier *alias* Textoris.

* *Vel* Ossa.

ANNUS 1316

bus, anno, die, mense, Indictione et Pontificatu prædictis præsens fui, et præmissa fideliter scripsi, inquisivi, publicavi. Et ut præmissum est stipulatus fui, et in hanc formam publicam redegi, et signo meo consueto signavi rogatus, in fidem et testimonium omnium præmissorum. »

CAPITULI GENERALIS MILITUM S. JOANN. RATIHABITIO.

II. Sicut in mox citato diplomate Magister Dominus Elionus de Villanova promiserat, a Capitulo generali Ordinis sui venditionis ratificationem impetravit in hunc qui sequitur modum :

Malvezin, loco citato.

« In nomine Domini, Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo vigesimo, Indictione tertia, Pontificatus sanctissimi Patris et Domini nostri, Domini Joannis divina providentia Papæ XXII, anno quinto, die vero 29 mensis Novembris, in præsentia mei notarii et testium infra scriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum : Venerabilis et religiosus vir dominus frater Elionus de Villanova, Dei gratia sanctæ Domus Hospitalis S. Joannis Jerosolimitani Magister, de consensu et voluntate religiosorum virorum Fratrum Domus ipsius Hospitalis sibi in suo Generali Capitulo sistentium apud Arelatem, ad sonum campanæ more solito congregatorum : videlicet fratrum Petri de Ungula Tolosæ, Odonis de Monteacuto Alverniæ, Martini...... Et nonnullorum aliorum Fratrum Præceptorum et Commendatorum Hospitalis ejusdem in eodem Capitulo existentium, venditionem, cessionem et traditionem sanctissimo Patri et Domino nostro, Domino Joanni divina providentia Papæ prædicto, et successoribus suis ac Reverendo Patri in Christo D. Gasberto, Dei gratia Massiliensi episcopo et Camerario dicti Domini nostri Papæ; necnon Petro Marini Notario publico, stipulanti et recipienti nomine et vice dictorum Domini nostri Papæ successorum suorum et Ecclesiæ Romanæ, de loco, et omnibus domibus et singulis, quem et quas iidem dominus Magister, Fratres ac Hospitale habere poterant et debebant quoquo modo, et quæ fuerunt Ordinis quondam Militiæ Templi in civitate Caturcensi et ejusdem civitatis pertinentiis et districtu, cum omnibus ædi-

ficiis, domibus, bastimentis, ad dictas dominum Magistrum, et Fratres ac Hospitale spectantibus et pertinere debentibus quovis modo vel causa, ab ipso domino fratre Eliono Magistro de consensu et assensu nonnullorum Priorum et Fratrum dicti Ordinis Hospitalis sibi tunc assistentium factus; prout et sicut in quodam publico Instrumento confecto per nominatum Petrum Marini Notarium publicum plenius continetur. Necnon omnia et singula, in dicto Instrumento contenta ratificavit, approbavit et omologavit, et de certa scientia ac deliberato sibi consilio confirmavit. Volens insuper et consentiens idem dominus Magister quod si in iis venditione, cessione et traditione, seu Instrumento dictarum venditionis, traditionis seu cessionis, defectus aliqui haberentur seu notari possent, tam propter defectum solemnitatis, vel alio quovis modo contra dictos dominum Joannem Papam, suos successores et Ecclesiam Romanam, quod per hoc Instrumentum publicum dicti defectus suppleantur et suppleri possint.

ANNUS 1316

« Acta fuerunt hæc apud Arelatem infra hospitium Hospitalis ejusdem in camera, sive aula, in qua dictum erat Capitulum congregatum. Præsentibus ibidem discretis et providis viris dominis Armando de Narcesio decano Montis Albani, auditore Sacri Palatii, Petro Marini rectore Ecclesiæ de Avalhaco Caturcensis diœcesis, et Nicolao de Leone Colocense, testibus ad præmissa. Ego Jacobus Audeberti de Albanea, clericus Massiliensis diœcesis, autoritate Apostolica et Imperiali Notarius publicus, prædictis omnibus et singulis dum sic ageretur præsens interfui, una cum testibus supradictis. Et ea omnia et singula de voluntate dicti fratris Elioni Magistri, ad cautelam dictorum Domini Papæ et Ecclesiæ Romanæ propria manu scripsi, et in hanc publicam formam redegi meoque signo et nomine roboravi. Audeberti. »

PETIT PONTIFEX MONACHOS MITTI AD NOVAM DOMUM.

III. Omnibus sufficienter dispositis, Gasbertus Arelatensis Archipræsul, ex parte Domini Papæ ad R. P. Aymonem mandavit ut Priorem et duodecim monachos, ad novam cartusiam mitteret, datis litteris quæ sic se habent :

ANNUS 1316

Apud Tromby, VI. LXIV

« Gasbertus permissione Divina Arelatensis archiepiscopus, Domini Papæ camerarius, salutem et sinceram in Domino charitatem. Cum præfatus Dominus noster Summus Pontifex, qui tanquam pius Pater ad augmentum vestræ Religionis intendit, quam speciali devotione prosequitur, juxta civitatem Caturci habeat quamdam ecclesiam sive capellam, cum domibus decentibus et claustro, horto et viridiario, ac certis reditibus, quæ quidem omnia usui dictæ religionis vestræ Cartusiensis deputare disposuit; sintque, præsertim nunc in principio, quamplurimum necessarii boni Fratres, providi et prudentes, et maxime ille qui deputabitur pro Priore in loco prædicto : vobis et conscientia ipsius Domini nostri scribimus, quatenus aliquem Fratrem virum utique providum et prudentem, et duodecim Fratres alios bonos, idoneos et honestos procuretis, quantocius ad locum prædictum per vos infallibiliter destinandos; nobis quidquid super præmissis ordinaveritis quantocius per latorem præsentium rescribentes. Datum Avenione, die 3 Novembris, anno 1328. »

ELECTIO PROTOPRIORIS CATURCENSIS.

IV. R. P. Aymo his acceptis mandatis, juxta intentionem Summi Pontificis pro provisione Domus Caturci, ad novum Priorem sequentes misit litteras :

Malvezin, loc. citat.

« Frater Aymo Prior Cartusiæ, et Ordinis minister generalis, dilecto in Christo fratri suo Domno Joanni de Lassana monacho Bonæfidei, Ordinis Cartusiensis, et quondam Priori Vallisbonæ salutem, et per veram obedientiam, perpetuam gloriam promereri. Cum Sanctissimus et Reverendissimus in Christo Pater noster Dominus Joannes Summus Pontifex, Romanæ et universalis Ecclesiæ divino afflatus Spiritu, et zelo quem ab antiquo habet erga pauperem et modicum Ordinem nostrum Cartusianum, nuper ordinaverit constituere unam novam Domum nostri Ordinis in loco nativitatis suæ, scilicet in quadam Domo quæ fuit quondam Templariorum extra muros civitatis Caturcensis, pro sustentatione unius Prioris et duodecim Monachorum nostri Ordinis, quos quamcitius bono modo fieri poterit vult præfatus Domus Papa sibi mitti et præsentari apud Avenionem,

prout tam per litteras Reverendi in Christo Patris domini Archiepiscopi Arelatensis, camerarii prædicti Domini nostri Papæ, quam per litteras dilecti in Christo fratris nostri Prioris Boni-passus intelleximus evidenter : idcirco nos, cum consensu et consilio Conventus nostri providerimus de vobis autoritate Capituli generalis qua fungimur super annum, et vos elegerimus in Priorem dictæ Domus; vobis autoritate prædicta præcepimus quatenus recipiatis regimen dictæ Domus, tam in spiritualibus quam in temporalibus exercendum, et vobis autoritate prædicta damus licentiam et autoritatem accipiendi duodecim Monachos per Domos nostri Ordinis, sub spe beneficii spiritualis, scilicet tricenarii a generali Capitulo obtinendi, si in ipsa Domo fecerint professionem et perseveraverint ad Ordinis voluntatem. Consulimus autem ut in prædictis omnibus utamini consilio et auxilio dilectorum in Christo Patrum vestrorum et Fratrum nostrorum, Priorum scilicet Bonæfidei et Vallisbonæ. In quorum omnium præmissorum robur et testimonium, præsentem litteram sigillo Domus Cartusiæ, quo communiter utimur, duximus sigillandam. Datum ann. 1328, mense Novembris. »

ANNUS 1316

V. Novæ suæ Domus Priorem Joannes lætus excepit, eique Breve in hunc modum dedit quod velut Charta fundationis haberi potest :

CHARTA FUNDATIONIS.

« Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Conventui monasterii Cartusiensis, per Priorem soliti gubernari, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Gratianopolitanensis diœcesis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Ad vestrum Ordinem pium gerentes affectum, ut suos extendat ad Dei laudem et gloriam ac ædificationem Fidelium palmites, operosum libenter studium adhibemus. Cum itaque Domus vocata de Templo, sita in suburbiis civitatis Caturcensis, quæ olim fuit Ordinis Templi ante sublationem ipsius, et ad Hospitale sancti Joannis de Jerusalem, ordinatione Sedis Apostolicæ, una cum aliis bonis dicti quondam Templi pervenit, quamque nostro et Ecclesiæ Romanæ nomine a dilectis Filiis Heliono de Villanova Magistro et

ANNUS 1316

Fratribus Hospitalis prædicti acquisivimus, cum omnibus ædificiis, domibus, bastimentis,... pro monasterio vestri Ordinis, quæ idonea existere dignoscatur; Nos prædictam Domum cum ecclesia, seu capella beatæ Mariæ sita infra clausuram Domus prædictæ, quam in monasterium vestri prædicti Ordinis autoritate Apostolica erigimus, et eam monasterium ejusdem Ordinis volumus, decernimus, de cætero nuncupari; ac omnibus aliis ædificiis, bonis et juribus supradictis ubicumque sint, et quocumque nomine censeantur, ad opus ejusdem monasterii vobis et eidem Ordini vestro habenda, tenenda et possidenda perpetuo, eadem autoritate Apostolica, de Fratrum nostrorum consilio, concedimus et donamus; volentes ac etiam decernentes quod amodo monasterium prædictum omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus, vobis et eidem Ordini vestro Apostolica vel alia quavis autoritate concessis, plene ac libere gaudeat ac si de monasterio ipso in eisdem Privilegiis plena et expressa mentio haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, voluntatis, constitutionis, concessionis et donationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avenione, 14 Kalend. Januarii, Pontificatus nostri anno tertio decimo. »

*Cartusia B. Mariæ de Templo canonice erigitur.*

DELEGATIO PRO DOMUS POSSESSIONE.

VI. Præter hanc fundationis Chartam, Summus Pontifex Apostolicas scripsit litteras Caturcensi Vicario generali porrigendas, ut novos monachos in corporalem suæ Domus possessionem introduceret. Litteræ vero hujusmodi sunt :

Malvezin, loc. citat.

« Joannes. . . . dilecto in Christo Guillelmo la Chapelia, Præposito de Navis in Ecclesia Tutellensi, venerabilis Fratris nostri Bertrandi episcopi Cadurcensis Vicario, salutem et Apostolicam Benedictionem. Gratum Altissimo, qui non cessat a benedictionibus gratiarum, cuique nunquam sine remuneratione servitur, præstare obsequium probabiliter arbitramur si Cartusiensem Ordinem, cujus sinceritas in sui simplicitate non deficit, sed tanquam lux splendens usque ad

ANNUS 1316

diem perfectum crescit Domino promovente, opportunis prosequamur favoribus ; ipsiusque plantationem et cultum ampliare, ad Domini nostri honorem et animarum salutem fidelium, studio paternæ sollicitudinis procuremus. Nuper siquidem Domum dilectis filiis Magistro et Fratribus Hospitalitatis S. Joannis Hierosolimitani, ad quos post sublationem bonorum Templi ex concessione et interpretatione facta per Sedem Apostolicam, devenerat, emi nostro et Ecclesiæ Romanæ nomine fecimus et requiri ; præfato Cartusiensi Ordini ac dilectis filiis Priori et Fratribus Ordinis ejusdem duximus autoritate Apostolica in perpetuum concedendam : volentes ac etiam decernentes, quod ecclesia, seu capella B. Mariæ Virginis dictæ Domus, deinceps monasterium Cartusiensis Ordinis nuncupetur. Sane cum dilectus filius Joannes Faini, dicti Cartusiensis Ordinis monachus et Prior monasterii prælibati, accedat illuc de nostro beneplacito, cum certis sui Ordinis Fratribus in eodem monasterio moraturus ; Nos discretioni vestræ per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eumdem Priorem in possessionem corporalem monasterii, domorum, ædificiorum, vinearum, terrarum, hortorum, redituum, jurium, proventuum et Canonum quorumcumque ad dictum monasterium spectantium (sicut ad prædictam Domum antea pertinebant) inducens autoritate nostra, et defendens inductum ; eidem de juribus, proventibus, reditibus, fructibus, juribus et obventionibus supradictis integre facias responderi. Et nihilominus de reditibus et fructibus, juribus et obventionibus universis, quæ obvenerant toto tempore quo sub manu nostra extitit dictus locus, a quibuscumque illorum receptoribus seu administratoribus rationes audire et recipere legitime studeas ; diligenter faciendo tibi pro nomine residua integraliter assignari, eaque conservando fideliter donec a Nobis aliud receperis super hoc in mandatis ; super quibus omnibus, necnon contradictores quoslibet, compelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi plenam tibi tenore præsentium concedimus facultatem. »

ANNUS
1316

POSSESSIONEM INEUNT CARTUSIANI.

Malvezin, Hist. Cartusiæ Caturc. loco citato.

VII. His acceptis litteris, die Mercurii post Epiphaniam, 11 Januarii 1329, Guillelmus la Chapelia recentem fundationem suis habitatoribus tradidit possidendam, tali confecto diplomate : « Noverint universi præsentes pariter et futuri, quod in mei Notarii et testium infra scriptorum præsentia, coram venerabili et religioso viro Guillelmo la Chapelia, Doctore Decretorum, Præposito de Navis in Ecclesia Tutellensi, Vicario generali reverendi Patris in Christo Bertrandi episcopi Caturcensis, personaliter constitutus discretus vir Michael Molini cursor prædicti Domini nostri Papæ, præsentavit, exhibuit et insinuavit ac tradidit dicto domino Guillelmo quasdam litteras Apostolicas veras et integras, omnibus vitiis et suspicionibus carentes, vera bulla plumbea Domini nostri Papæ, Romanæ Curiæ solito more cum cordula canabis bullatas, ut prima facie apparebat ; quibus quidem litteris præsentatis, et per dictum dominum Guillelmum la Chapelia cum debita receptis reverentia, ipsisque diligenter inspectis et consideratis, ac ipsis de verbo ad verbum explanatis, in lingua materna expositis, et per me Notarium publicum infra scriptum lectis palam et publice in præsentia venerabilium virorum Caturcensis Ecclesiæ Canonicorum, et cleri, Consulum et populi civitatis Caturcensis, pro magna parte per dictum dominum Guillelmum la Chapelia, una cum nonnullis Religiosis ibidem convocatis ; præfatus cursor ex parte una, ac venerabilis et religiosus vir Domnus Joannes Faini, alias de Lassana, Prior monasterii B. Mariæ de Templo Cartusiensis Ordinis in Caturci suburbiis situati, prout docuit per quasdem patentes litteras venerabilis et religiosi viri fratris Aymonis Prioris monasterii Cartusiæ, ejus sigillo in pendenti sigillatas, veras et integras, facientes mentionem de quibusdam aliis litteris R. Patris in Christo domini Gasberti, Dei gratia Arelatensis archiepiscopi, dicti Domini nostri Papæ Camerarii, ejus vero sigillo sigillatis ut prima facie apparebat ; et frater Joannes Grossioculi dicti monasterii monachus ex alia, nomine suo et suorum successorum ac totius Ordinis Cartusiensis, requisiverunt prædi-

ANNUS 1316

ctum dominum Guillelmum la Chapelia ut contenta in dictis litteris Apostolicis executioni debite demandaret, juxta traditam a Sede Apostolica in eisdem litteris formam. Et tunc dictus dominus la Chapelia, ut verus obedientiæ filius sicut dixit, receptis omnibus clavibus seu principalioribus dicti monasterii, domorum, capellarum, armariorum, et portarum aliarum a domino Petro Del Carriol substituto per discretum virum dominum Bernardum de Paratgio capellanum seu vicarium perpetuum Ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ Caturci, receptorem seu commissarium deputatum per R. Patrem in Christo dominum Gasbertum camerarium supra dictum, tunc episcopum Massiliensem, nunc autem archiepiscopum Arelatensem, ad gubernandum et recolligendum locum prædictum, et bona ipsius loci et ipsius loci pertinentias..... præfatos dominos fratres Joannem Faini Priorem dicti monasterii, et Joannem Grossioculi monachum dicti Ordinis Cartusiensis, et suo et suorum successorum et totius Ordinis Cartusiensis nomine suscipientes, et ipsos introducendo in dicto monasterio, capellis, domibus, palatiis, hortis, claustris, jardinis, cellariis ac locis aliis, ac in possessionem omnium et singulorum, ac eorum pertinentiarum realem, liberam, et vacantem, quietam et pacificam seu quasi, induxit; dictasque claves eis tradidit, libros, cruces, Reliquias, calicem, turribulum, et indumenta sacerdotalia, ac canetas et cordas pulsantium campanarum; stallum (id est, sedem) in choro ipsius monasterii, ac locum in Capitulo palam et publice cum plenitudine juris Canonici assignavit. Et possessionem omnium et singulorum censuum, redituum, accapitorum et emolumentorum omnium, palam et publice et pacifice, contradictore quocumque temporis minime apparente, tradidit corporaliter per ipsos et eorum successores Cartusiensis Ordinis Priores et Monachos, et omne prout ex tunc, et in perpetuum, juxta dicti Domini nostri Papæ ordinationem et mentem, et suarum prædictarum litterarum continentiam et tenorem, tenendam, custodiendam et perpetuo possidendam.

*In Domo introducuntur monachi.*

*Traduntur claves.*

ANNUS 1316

« Acta fuerunt hæc Caturci in dicto monasterio, anno, mense, die, Indictione et Pontificatu prædictis. Præsentibus discretis viris dominis Geraldo de Sabanaco legum professore, Gailhardo Juliani, Ademaro Rotgerii, Canonicis Caturcensibus; religioso viro fratre Petro de Albis Petris, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli..... Ego Petrus Laboria de Aureliaco, S. Flori diœcesis, publicus Regia et Apostolica autoritate tabellio, omnia et singula prout supra scripta sunt recepi, et in hanc publicam formam manu propria redegi, signoque meo quo utor signavi in testimonium omnium præmissorum. »

PONTIFICIS AD CONSULES EPISTOLA.

VIII. Ut autem novellæ suæ plantationi Potestatis civilis gratiam conciliaret, ipse Pontifex hanc bullam Caturci Consulibus direxit :

Apud Malvezin.

« Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis Filiis Consulibus civitatis Caturcensis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Nostis, Filii, quod ad cultum divinum in civitate Caturcensi, loco utique nostræ originis, ampliandum animarumque salutem et consolationem Fidelium, sacram et exemplarem Religionem Fratrum Ordinis Cartusiensis dudum inibi providimus propagandam; locum olim Templi situm in suburbiis civitatis ejusdem, quem in monasterium prælibati Ordinis autoritate Apostolica ereximus, Magistro et Fratribus ipsius Ordinis perpetuo concedentes, ac statuentes et ordinantes quod duodecim Fratres cum quatuor Conversis prædicti Ordinis sub cura Prioris ibidem moraturi perpetuis temporibus Domino famulentur. Sane cum sicut accipimus quædam platea monasterio prædicto contigua, quam Templarii ante sublationem Religionis suæ una cum bonis suis aliis possidebant, per vos occupata fuerit, et sic ad usus deputata profanos : quoniam ex hoc in eodem monasterio divinum frequenter turbatur Officium, ut de variis turpitudinibus quæ de nocte et die fieri dicuntur in ipsa platea juxta dictum monasterium taceatur, providentiam vestram requirimus attentius et hortamur, quatenus quod absque animarum et salutis detrimento usurpare plateam

ANNUS 1316

ipsam et ad usus nequivistis prædictos, nec sic usurpatam sine Dei offensa et Apostolicæ Sedis displicentia, ulterius detinere potestis. Ac quid vos in hac parte deceat, vobisque expediat deducentes in rectæ considerationis examen, prædictam plateam pro dicti monasterii opportunitate et honestate claudendam, eisdem Priori et Fratribus restituere libere ac etiam resignare; ipsosque sic fulcire vestris favoribus pro Divina et ejusdem Sedis reverentia super his et aliis studeatis, quod ipsi tranquillis mentibus secus pedes Domini jugiter in contemplationis altitudine persistentes, pro vobis et civitate jam dicta, omnibusque vivis et defunctis Fidelibus, devotas preces liberius et libentius fundant ad Dominum, et ipsorum conversatione laudabili et exemplis salutaribus tota Civitas decoretur; Nosque qui hoc gratum habebimus admodum et acceptum, vobis reddamur in favorum et gratiarum exhibitionibus merito magis prompti. Datum Avenione XII Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno tertio decimo. »

*Monachorum precibus fulciuntur civitates.*

IX. Demum, ut præter Pontificiam, regia munirentur protectione, ad Francorum regem Philippum Valesium Nostri recurrunt, a quo infra citatum Privilegium obtinuere :

REGIS FRANCIÆ PRIVILEGIUM.

« Philippus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod inter ingentes curas sollicitudinis quibus in regendis nostris plebibus frequenter distrahimur, animus noster afficitur ad ea quæ præcipue nostræ mentis aspirat affectus, per quæ status Ecclesiasticus et Religionis, transactis temporibus sub commisso nobis regimine, in sua tranquillitate manuteneatur et pace, et ipsius regni ecclesiæ et monasteria, quorum servitores divinis nocte dieque insistunt obsequis, sub protectione regia a suis releventur pressuris, et per regalem potentiam a noxiis defendantur, ut eo liberius circa divina vacare valeant quo abundantius cura præmissa senserint se adjutos. Sane cum ex parte religiosorum Virorum Prioris et Conventus monasterii B. Mariæ Cadurci Ordinis Cartusiensis per Sanctissimum Patrem in Domino Joannem Papam XXII noviter

Tromby VI, XCVII.

ANNUS 1316

fundati, nobis fuit humiliter supplicatum ut eos, eorum singulos, et monasterium una cum familiaribus rebus et bonis suis omnibus, in nostra speciali gratia suscipere dignaremur: Nos ipsorum supplicationibus laudabiliter annuentes, ad ipsum monasterium compassionis oculos dirigentes, ipsos Priorem et Conventum et singulos Monachos ejusdem, eorumque monasterium, et eorum membra quatenus nobis sunt subjecta, una cum suis jurisdictionibus, reditibus, proventibus, rebus, possessionibus, bonis familiaribus et juribus universis eorumdem, in nostra protectione salvaque speciali gratia regia et successorum nostrorum Regum Franciæ suscipimus per præsentes, in eadem protectione et speciali gratia perpetuo remansuros; dantes Petracoricensi senexallo cæterisque justitiæ ministris, præsentibus in mandatis, quatenus dictos Priorem, Conventum et singulos Monachos dicti Conventus, ac monasterium prædictum et eorum membra et familiares eorum, in suis justis possessionibus suisve juribus, franchisiis, usibus et libertatibus, sub dicta salva et speciali gratia Regia manuteneant et conservent; ipsosque Priorem, Conventum et monasterium eorumque familiares ab omnibus injuriis et oppressionibus, violentiis, gravationibus, et novitatibus indebitis quibuscumque, ex parte nostra defendant vi armorum et potentiis Dominii nostri; sibique non permittant aliquas fieri indebitas novitates, et si quæ factæ fuerint, eas ad statum pristinum et debitum indilate reducant; ipsique quoties super hæc requisiti fuerint specialem gardiatorem unum vel plures concedant, qui tamen de his quæ causæ cognitionem exigunt seu judicialem requirunt indagationem se nullatenus intromittant; quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum, nostro et cujuslibet alterius jure salvo. Datum Bellovaci, anno Domini 1329, mense Junii. »

BENEFACTORES DOMUS.

X. Inter benefactores præcipuos hujus cartusiæ, præter Sanctissimum atque munificentissimum Dominum fundatorem, ex Kalendario Domus et Chartis Capituli generalis, recensentur :

Petrus de Bernia, alias de Sortenaco, Caturcensis, cardinalis tituli S. Laurentii in Lucina, dein episcopus Sabinensis, fuit dotator cartusiæ Caturcensis, ut patet ex pluribus Actis hujus Domus ; de quo in Charta Capituli generalis anni 1391 : « Obiit Reverendissimus in Christo Pater, dominus Petrus Sabinensis episcopus, cardinalis, qui habet plenum cum psalteriis monachatum, cujus obitus fuit XV Augusti. » ANNUS 1316

Guillelmus de Ortolano (d'Olergues) episcopus Rutenensis qui nobis dedit pulcherrimam Bibliam in pergameno apprime scriptam, in cujus fronte hæc leguntur : « Anno Domini MCCCCV et die XVI mensis Maii, R. P. Dominus Guillelmus, Dei gratia Rutenensis episcopus, dedit istam Bibliam conventui Fratrum Cartusianorum civitatis Caturcensis ad usum perpetuum Fratrum dicti conventus. Et voluit idem Pater quod præsens Biblia e dicto conventu Caturcensi non portetur nec portari permittatur. Nec possit nec debeat per quascumque personas alicui alteri dari aut precario tradi nec vendi, nec impignorari, aut alio quocumque titulo sive causa alienari seu in alium transferri ; et hi, qui contrarium fecerint in stricto Dei judicio rationem reddere teneantur. Oretis Deum pro dicto Reverendo Patre et benefactoribus suis ac omnibus fidelibus vivis atque defunctis. »

Ex Charta 1506 : « Obiit Reverendus in Christo Pater, dominus Antonius de Rupefolio, Sedis Apostolicæ Protonotarius, magnus benefactor Domus Caturci quam suum fecit heredem, qui habet in Provincia Aquitaniæ plenum cum psalteriis Monachatum. » Jacet ante altare S. Joannis in minori claustro.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1317.

| Joannis PP. XXII<br>Ann. 2. | Ordin. Cartus.<br>Ann. 234. | Aymonis Pr. Cart.<br>Ann. 5. |
|---|---|---|

DOMUM INFIRMORUM MAURBACENS. ÆDIFICAT GERLACUS.

I. CHRISTI Redemptoris annus sequitur septimus decimus post mille trecentos, Indictione XV, quo R. D. Gerlacus tanto zelo solertiaque usus est in nova perficienda fundatione Maurbacensi, ut e sumptibus propriis minorem Conventum septem Religiosorum, sed senum atque debilium (unde et domum infirmorum appellavit) adjiceret; constructa insuper divinis laudibus celebrandis ecclesia B. Mariæ ad Piscinas, cujus consecratio præsenti anno Kal. Junii celebrata est. « Sicque, observat Miræus, cartusiam Maurbacensem duplici porticu reddidit insignem Gerlacus, hoc consilio, ut quotidiano Religiosorum convictu Præbendarii formarentur ad pietatem et exemplo proficerent; tunc etiam ut Patres a senectutis et sinistræ valetudinis incommodis ad vitæ severitatem Ordini propriam minus sufficienter comparati, aliquanto benignius acciperentur. Sic enim ait :

Chronicon Maurb. sub primo Priore.

*Carta fundationis ejusdem*

« In nomine Domini, Amen. Noverint universi harum literarum inspectores vel auditores, præsentes et futuri, quod ego Gerlacus plebanus in Dieskirchen, bona habita deliberatione, de maturo consilio et motu proprio, Deo animum meum movente, pro salute et consolatione animæ meæ itemque omnium pro quibus teneor, ad claustrum Ordinis Cartusiensis quod situm est in loco Maurbach et Vallis Sanctorum Omnium vocatur, quod Dominus meus serenis-

simus Romanorum Rex Fridericus et fratres sui, illustres domini Leopoldus, Albertus, Henricus et Otto duces Austriæ et Styriæ, pro tredecim Monachis et totidem cellis fundaverunt, ex mea substantia adjecerim domum infirmorum, in qua perpetuis temporibus sex sacerdotes et unus Conversus, et duo insuper famuli ad Monachorum ministerium habitare debeant : qui sacerdotes ad Prioris et Conventus voluntatem et electionem, vel prout casus et necessitas suaserit, ex claustro ad domum infirmorum, vel ex domo infirmorum ad claustrum transferri possint et debeant. Qui etiam sacerdotes in domo infirmorum habitantes, de melioribus in cibo et potu pitantiis, quam quibus Monachi utuntur in conventu, habeant provideri, etc. 1317.

ANNUS 1317

II. « Vidit et probavit Fridericus rex pios hos mandatarii sui conatus, licet optati successus et ætatis prærogativam non obtinuerint, eosque solemnibus fundationis suæ tabulis inseruit, et virum meritissimum secundarium Fundatorem et complantatorem scripto nuncupavit ; atque perlectum opus manuum suarum, ut vocat, itemque R. D. Gerlaci cooperationem a Capitulo Passaviensi, Sede Pontificali tunc vacante, ratam haberi voluit ; quod et amplissime præstitum est totidem verbis :

PASSAVIENSIS CAPITULI LITTERÆ CONFIRMATORIÆ.

« Serenissimo ac magnifico Principi, Dominorum suorum charissimo, D. Friderico Romanorum regi semper Augusto, Meningodus Dei gratia Præpositus, Meningodus decanus et Capitulum Ecclesiæ Passaviensis debitæ subjectionis suæ reverentiam cum orationibus continuis et devotis. Cum summa Christianæ Religionis devotio in divini cultus augmentatione probetur, specialiter tamen in multiplicatione Religiosorum qui solitudinem ferventi desiderio amplectantes, mundo et vanitatibus ejus mortui, Deo vivunt : Nos piæ devotioni vestræ et sanctis desideriis congaudentes, fundationem vestram, Claustrum videlicet quod Vallis Omnium Sanctorum dicitur, Ordinis Cartusiensis, situm in Maurbach et Hospitale ibidem quod ad S. Antonium nuncupatur ; fundationem quoque discreti et honorabilis viri D. Gerlaci

ANNUS 1317

plebani in Dieskirchen prædicto additam Claustro, cum universis et singulis libertatibus, gratiis et donationibus, in privilegiis et Instrumentis ipsarum fundationum a Vobis et præfato D. Gerlaco confectis, quæ vidimus et audivimus, autoritate ordinaria qua in præsenti, vacante Sede pastorali Ecclesiæ nostræ, fungimur, ob vestræ Majestatis Regiæ excellentiam et honorem, in Domino liberaliter confirmamus, jure tamen parochialium ecclesiarum circumjacentium semper salvo. Ut autem hujusmodi confirmationis approbatio robur obtineat perpetuæ firmitatis, jussimus nostras præsentes appensione sigilli nostri Capituli communiri. Datum Passavii, A. D. 1317, Kal. Januarii.

NOVÆ MAURBAC. CARTUSIÆ FUNDATIONEM APPROBAT JOANNES XXII.

III. « Stabilitis eum ad modum, ait supracitatum Chronicon, potestate regia et autoritate Ordinaria Maurbacensis cartusiæ incunabulis, ad supplicem Godefridi Prioris instantiam, supremus Christi in terris Vicarius, e throno Sacrosanctæ Majestatis, speciosæ deserti plantulæ tam feliciter adolescenti elevatis manibus benedixit, et solemnes fundationis tabulas et Capituli Passaviensis confirmatorias una serie complexus, sequentem Bullam jussit emanare :

Chronicon Maurb. loco citato.

« Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Conventui monasterii Vallis Omnium Sanctorum de Maurbach, Cartusiensis Ordinis, Passaviensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Dum prudenter attendimus quod vitalis odor, quo Ecclesiam Dei Ordo vestræ Religionis implevit, pium suscipit incrementum, ac insignis lucerna operum sanctitatis, quam Dominus in vobis ad illuminationem domus suæ inter alias cœlestium exemplarium lampades suscitavit, extingui nescit nube caliginis vel obduci, et quod directa in vultum Dei mentium vestrarum studia sursum assiduis desideriis eriguntur, quodque indesinenter proficitis in censura morum et regularis disciplinæ observantia, gratum nobis redditur et plurimum acceptum. Sane petitio vestra Nobis exhibita continebat quod charissimus in Christo filius noster Fridericus in Romanorum Regem electus, et dilecti filii nobiles viri Leopoldus, Alber-

tus, Henricus et Otto fratres sui, Duces Austriæ, habentes ad Ordinem vestrum specialis devotionis affectum, quod monasterium vestri Ordinis, quod Vallis Omnium Sanctorum vulgariter nuncupatur, et Hospitale pauperum pro XVII infirmis, sita in loco dicto Maurbach, Passaviensis diœcesis, in quodam fundo eorum proprio et jure hæreditario ad eos pertinente fundarunt, et de bonis patrimonialibus dotaverunt; ac deinde jus Patronatus quod in parochiali ecclesia S. Leonardi ejusdem diœcesis obtinebant, vobis, filii Prior et Conventus qui de novo instituti estis ibidem, in augmentum facultatum dicti monasterii pia liberalitate donarunt, dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ Passaviensis tunc Pastore vacantis ad id accedente consensu, prout in patentibus literis Electi, Ducum et Capituli prædictorum inde confectis, quarum literarum tenores de verbo ad verbum præsentibus inseri jussimus, plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quæ super præmissis ab eisdem Electo, Ducibus et Capitulo pie acta sunt, rata habentes et grata, ac defectum qui ex eo quod Diœcesani consensus super his non affuit, supplentes de plenitudine potestatis : illa vobis vestrisque successoribus autoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenores autem literarum prædictarum tales sunt : Fridericus, Dei gratia Romanorum rex..... Itemque : Serenissimo ac magnifico Principi etc.... ut supra. Datum Avenione, IV Idus Junii, Pontificatus nostri anno secundo. »

ANNUS 1317

IV. « Hactenus inoffenso pede cartusiæ Maurbacensis commoda secundum utrumque hominem promovebantur, et meris gratiarum zephyris afflati Fratres, inebriabantur ab ubertate domus Dei, in suo fonte prægustantes quam suavis sit Dominus ; cum complacuit Dominatori spirituum universæ carnis remotos ab infantium lacte et uberibus consolationis temporariæ, ad solidum perfectorum cibum, ad afflictiones et adversitates admovere : et ut toti in cœlestibus esse docerentur, utriusque fundatoris solatia quibus plurimum afficiebantur, subducere in terris. Nam R. D. Gerlacus me-

GERLACUS MORITUR.

ANNUS 1317

ritorum plenus et dierum, sub annum 1318, non exacta quadriennii præfectura, fatali morbo correptus, fidelis enim administer in paucis evocabatur a Domino supra multa constituendus in cœlis, sub directione Godefridi Prioris placidissime vita secundum faciem Sanctorum functus est, 16 Cal. Maii. Cujus exanime corpus verissimis lacrymis prosequentes mœsti filii, in ecclesia majori juxta sedem Prioris in choro deposuerunt; et etiamnum post tot sæcula tanti viri memoria in benedictione est, quam Ecclesiastes e pulpito quotannis renovat feria secunda post Dominicam Passionis, die eleemosyna solemni panis et vini ad hoc usque tempus ejus testamento celebri.

*Juxta sedem Prioris sepultus.*

« Friderico Imperatore e terreno ad regnum cœleste (ut pie speramus) evocato, successit non principatus modo sed et virtutis ex asse hæres Albertus Sapiens, dux Austriæ et Styriæ, germanus Friderici frater, cartusiæ Gemnicensis Fundator. Qui considerans iis incommodis, quæ præbendariorum in Hospitali inquietudine in singulos dies emergerent, cultum divinum non promoveri; Religiosos etiam D. Gerlaci assuetos solitudini et silentio, ex sæcularium convictu a functionibus suis præpediri : pro eo jure quo in Fratris imo et in suam fundationem utebatur, id lege statuit ut deinceps Conventus uterque habitatione non distaret, sed in eodem claustro et ecclesia et divina peragerent et cætera conviverent; demortuis vero præbendariis nemo succederet, aucto invicem Religiosorum numero. »

*Hospitale tollitur.*

PHILIPPUS DE MARIGNY BENEFACTOR ORDINIS.

V. Obiit hoc anno Philippus de Marigny, parente Philippo domino de Marigny de Champront in Pertico et d'Escouys in Normannia natus, fraterque Joannis Rotomagensium archiepiscopi, Engueranni comitis, magni Franciæ Camerarii, Summi Præfecti ærarii (qui sub rege Ludovico Hutin capite plexus est). Ejus primum opera et industria rex Philippus Pulcher pro epistolis interioribusque consiliis usus est; verum ad alia studia se transtulit, factus Canonicus Cameracensis; anno 1303 a Clero et Nobilium ordine in episcopum Cameracensem eligitur. Translatus ad archiepiscopatum Se-

Histor. ms. Domus Parisiensis.

nonensem, possessionem nanciscitur Dominica ante festivitatem Palmarum 8 Aprilis 1310, et ecclesiam cartusiæ Vallis profundæ divino cultui mancipavit anno 1312. Exactis autem in pontificatu Philippus quindecim annis, Lutetiæ Parisiorum diem extremum clausit, depositus apud Cartusianos Parisienses, in antiquo sacello ubi postea refectorium fuit ædificatum; ibidem jacuit decem annis, donec translatus in ecclesiam ad lævam primarii altaris, in marmoreo sepulchro ad latus Cardinalis Bellovacensis inhumatus est, ubi ejus effigies conspicitur. Ad annum 1325 Sammarthani Philippi mortem referunt, verum constat ex Charta Capituli generalis hujus anni Philippum circa præfatum annum 1317 e vivis excessisse. In hac autem Charta hæc leguntur: « Obiit dominus Philippus (de Marigny) archiepiscopus Senonensis, qui habet fraternitatem per totum Ordinem, et cum hoc conceditur una Missa conventualis ex gratia speciali. » Ex quibus patet anno 1317 Philippum jam defunctum fuisse. Anno 1310 in Comitiis generalibus Ordinis nostri fuerant injunctæ preces in Charta capitulari, cujus sunt hæc verba: « Item orabitur pro domino Archiepiscopo Senonensi et pro fratre suo et pro aliis de quibus scripsit. » Iste frater Archiepiscopi forsan erat Enguerannus de Marigny qui anno 1315 laqueo suspensus periit. Dum autem Philippus viveret multam pecuniam pro ecclesia cartusiæ Vallisprofundæ dedit, et post ejus obitum testamenti illius curatores non parum contulerunt ad hujus templi fabricationem. De eo in Domus Vallisprofundæ Necrologio legitur: « Philippus de Marigny archiepiscopus Senonensis, qui ecclesiam hujus cartusiæ dedicavit anno 1312, pridie Nonas Junii cum altari primario ejusdem ecclesiæ et cemeterio, deditque annuatim imperpetuum XL dies Indulgentiarum omnibus devote visitantibus dictam ecclesiam in die dedicationis ejus. »

ANNUS 1317

*Obiit hoc anno.*

VI. Novam videmus hoc tempore surgentem cartusiam apud Helvetios, sub titulo B. Mariæ Sancti Loci de Lancea, (eo quod nomen hujus territorii esset *la Lance,* vel *la Lancy*) in Comitatu de Grandissono sitam, diœcesis Lausannensis,

DOMUS LANCEÆ INCHOATUR.

Liber Anniversar. Domus Lanceæ. Edidit J. Gremaud. p. 76.

ANNUS 1317

haud procul a lacu Neocomensi et una leuca cum quadrante ab urbe Novicastri distantem. Hujus exordium, utpote ab his quæ tunc temporis communiter contingebant dissimile, fusius explanare juvat. Nam in infra citando documento non fundatorem reperimus, sed venditorem tantum qui quædam bona mercede concedit « Monacho Cartusiæ, nomine hujus Domus recipienti » ; unde jure dici potest ipsam Matrem Cartusiam aliquo modo hanc novellam inseruisse plantationem, cum locum ad ædificandum « pro pretio trium millium librarum monetæ bonarum Lausannensium » comparavit, quod statim solvit in bona pecunia numerata. Sed præstat ipsam venditionis cartam hic intexere : « Nos Petrus de Grandissono miles, dominus Bellimontis, notum facimus universis quod nos scientes et spontanei, non vi, non metu, non dolo ducti, nec in aliquo circumventi ; consideratis negociis nostris quæ alias commodius et sanius agi non poterant in hac parte pro nobis et nostris hæredibus et successoribus quibuscumque, vendidimus et vendimus et titulo puræ venditionis, perfectæ et irrevocabilis, tradidimus et tradimus imperpetuum et irrevocabiliter religiosis viris Priori et Conventui Cartusien (sium), pro se et suis successoribus, ac religioso viro fratri Johanni de Monteacuto, Ordinis prædicti, præsenti et recipienti nomine et ad opus eorumdem, de laude et voluntate expressis nobilis dominæ Blanchiæ de Sabaudia, dominæ Belli montis, uxoris nostræ, et Othonini filii nostri, in allodium et per allodium omnia terragia ad nos quomodo spectantia, quæ habemus et habere debemus in villa et territorio de Suchye in quibuscumque bladis consistant et consistere poterunt, tam præsentia quam futura, et quæ de jure nobis debentur pro tempore præsenti vel deberi possent pro tempore futuro. Item decimas villarum nostrarum de Valeres, de Ursins.... Et est actum in prædictis quod prædicti Religiosi tenentur construere Domum prope nemus de Setis, juxta lacum subtus fontem qui vocatur *Lancy ;* in qua morari debent perpetuo tresdecim Fratres Ordinis prædicti, ibidem Creatori altissimo sub obser-

*Fundum emit Maj Cartus.*

ANNUS 1317

vantia regulari dicti Ordinis servituri, et dictas res venditas cum juribus possidere ac perpetuo recipere et habere. Dantes et concedentes pure et libere, pro remedio animæ nostræ et dictæ dominæ Blanchiæ uxoris nostræ, de laude et consensu dictæ dominæ Blanchiæ et dicti Othonini filii nostri, dictis Religiosis et dicto fratri Johanni, nomine quo supra, præsenti et recipienti nomine et ad opus eorumdem, et ad hoc quod dictam Domum (ut supra) ibidem ædificent et nomine et ad opus dictæ Domus quamdam partem nemoris nostri de Setis, prout protenditur a dicto fonte de la Lancy per lo Crest usque ad locum per lo Rafort. Promittentes pro nobis et nostris hæredibus dictis Religiosis pro se et suis successoribus nomine quo supra, et dicto fratri Johanni nomine quo supra, de dicta terra et dicta parte nemoris perpetuo ferre guerentiam in judicio et extra contra omnes, pacifice et quiete. Nos vero Otho, dominus Grandissoni, laudamus et approbamus pro nobis et nostris hæredibus venditionem prædictam factam per dictum dominum Petrum Grandissoni, nepotem nostrum, et omnia supradicta. Dantes pro nobis et nostris hæredibus, pro remedio animæ nostræ et prædecessorum nostrorum, pure et libere, perpetuo et irrevocabiliter dictis Religiosis et dicto fratri Johanni, præsenti et recipienti nomine et ad opus eorumdem, terram existentem prope dictum nemus de Setis, subtus dictum fontem de la Lancy, sitam inter dictum nemus et cursum dicti fontis et prout dicta terra protenditur a dicto fonte usque ad lacum, ad construendam ibidem Domum in qua perpetuo tresdecim Fratres dicti Ordinis morentur sub observantia dicti Ordinis regulari. Item damus eisdem..... Nos vero Petrus de Grandissono dominus Belli montis, Blanchia ejus uxor et Othoninus filius eorumdem, laudamus et approbamus donationem terræ et cursus fontis prædicti de la Lancy cum suis juribus et omnia superadicta. Et nihilominus nos præfatus Petrus de Grandissono dominus Belli montis, promittimus juramento quo supra, de dictis donatis et assignatis per dictum dominum Grandissoni ferre guerentiam dictis

*Hac lege ut ibi Domum ædificent.*

*Venditionem laudat O. de Granson; plura largitur.*

ANNUS
1317

Religiosis, et supra in judicio et extra pacifice contra omnes.... Nos vero Blanchia de Sabaudia, domina Belli montis, uxor dicti domini Belli montis, et Othoninus filius eorumdem, scientes et spontanei, universa et singula prædicta ex certa scientia pro nobis et nostris hæredibus laudamus, ratificamus et approbamus. Renuntiantes in hoc facto nos Otho dominus Grandissoni, Petrus de Grandissono dominus Belli montis, Blanchia et Othoninus prædicti, et certa scientia, sub vi præstiti juramenti, prout cuilibet nostrum competit, omni exceptioni, etc.... In quorum omnium testimonium præmissorum nos Otho dominus Grandissoni, et Petrus de Grandissono dominus Belli montis, prædicti, sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda; et ad majorem rei firmitatem nos prænominati Otho... præsentibus litteris ad preces nostras et requisitionem rogavimus et fecimus apponi sigillum curiæ Lausannensis, una cum sigillo venerabilis viri Richardi decani Novi Castri. Et nos Officialis curiæ Lausannensis et Richardus decanus Novi Castri, ad preces et requisitionem domini Othonis..... sigillum curiæ Lausannensis prædictæ nos præfatus Officialis, et nos dictus Richardus decanus Novi Castri sigillum nostrum apposuimus huic scripto in testimonium omnium præmissorum. Datum et actum anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo, mense Octobris. »

*Curia Lausannens. confirmat.*

Hanc venditionem laudavit et autoritate ordinaria confirmavit Joannes Lausannensis episcopus, die Sabbati, in vigilia beati Bartholomæi, anno 1326.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1318.

| Joannis PP. XXII Ann. 3. | Ordin. Cartus. Ann. 235. | Aymonis Pr. Cart. Ann. 6. |
|---|---|---|

I. MILLESIMUS trecentesimus octavus decimus Christi annus prima incipit Indictione, quo Joannes XXII Pontifex Maximus de Ordine nostro magis ac magis bene mereri desiderans, has ad eum encyclicas scripsit litteras : « Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Cartusiæ et aliis Prioribus et Fratribus universis Cartusiensis Ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem. Perinsignis Ordinis vestri Religio, fœcunditate referta virtutum, et meritorum conspicua sanctitate, necnon devotionis sinceritas quam reverenter et sedulo erga Nos et Romanam exhibetis Ecclesiam, promerentur ut vos Apostolici favoris plenitudine prosequentes, vobis reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis vestra petitio, continebat quod dudum felicis recordationis Clemens Papa IV prædecessor noster, vobis universis et singulis, ut laborum vestrorum de possessionibus tam ante quam post generale Concilium acquisitis, quas propriis manibus infra vestros terminos vel vestris sumptibus colitis, nulli decimas solvere teneremini, per suas litteras duxit indulgendum : districtius inhibens, ne quis a vobis de hujusmodi laboribus decimas exigere vel extorquere præsumeret, non obstante quod aliqua Domus vestri Ordinis decimas de hujusmodi laboribus alioquin persolvisset ; dummodo inter vos vel aliquem vestrum et Rectores Ecclesiarum ad quas

JOANNES XXII EXIMIT NOS A DECIMIS POSSESSIONUM SOLVENDIS.

Inter Privilegia Ordinis, n. 72.

ANNUS 1318

prædictæ decimæ pertinerent, de ipsis solvendis pactum non intervenisset, vel tanto tempore solvissetis easdem, quod sufficeret alias legitime præscribenti, prout in ejusdem prædecessoris litteris plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Prædecessore actum est, ratum et gratum habentes, illud autoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis...... Datum Avenioni, IV Non. Julii, Pontificatus nostri anno secundo. »

Dat bullam *Conservatoriam* dictam.

Eadem die, alteræ ab ipsomet Pontifice directæ sunt solemnes litteræ ad Archiepiscopum Ebredunensem, Episcopum Gratianopolitanum et Decanum Viennensem quos dedit Conservatores et Judices Ordini nostro, cum plena autoritate faciendi nobis justitiam, etiam si opus fuerit, invocato brachio sæculari ; et possunt molestatores nostros trahere ad judicium tribus dietis longe a propria diœcesi, non obstantibus juribus et privilegiis in contrarium factis. Non solum toti Ordini sic consultum fuit, verum etiam singularium Domorum nostrarum quieti Sedes Apostolica provisum voluit. Sunt porro tales Joannis Papæ litteræ :

Inter Privilegia Ordinis, n. 74.

« Joannes episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Ebredunensi, et Episcopo Gratianopolitano, ac dilecto filio Decano Ecclesiæ Viennensis, salutem et Apostolicam benedictionem. Militanti Ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino, præsidentes, circa curam Ecclesiarum et monasteriorum omni solertia reddimur indefessa solliciti, ut juxta debitum Pastoralis officii eorum occurramus dispendiis, et profectibus divina cooperante Clementia salubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum, Prioris et Conventus Majoris Domus Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, aliorumque Priorum et Fratrum ac Conversorum Cartusiensis Ordinis, in diversis mundi partibus consistentium, conquæstione percepimus quod nonnulli venerabiles Fratres nostri Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, cæterique Ecclesiarum Prælati ac Clerici, et ecclesiasticæ personæ, tam

Religiosæ quam sæculares, necnon Duces, Marchiones, Comites et Barones, Nobiles, milites, communia civitatum, Universitates et aliæ singulares personæ, occuparunt seu occupari fecerunt ecclesias, villas, oppida, colonos et servos, animalia, decimas, nemora, prata, pascua, piscarias, venationes, hortos, pomaria, molendina, terras, domos, vineas, possessiones, jura, reditus et proventus ipsorum, et alia bona mobilia et immobilia, ad Priores, Fratres et Ordinem prædictos spectantia, et ea detinent indebite occupata. Nonnulli etiam civitatum et partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, Prioribus et Fratribus supradictis, super ecclesiis, villis, oppidis, colonis et servis, animalibus, decimis, nemoribus, pratis, pascuis, piscariis, venationibus, hortis, pomariis, molendinis, terris, locis, domibus, vineis, possessionibus, juribus, reditibus et proventibus eorumdem, et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus ad Priores et Fratres prædictos spectantibus multiplices molestias et injurias inferunt et jacturas. Quare dicti Priores et Fratres nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, providere sibi super hoc divina diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, præsumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi illo volentes eis remedio subvenire, per quod illorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia præcludatur : discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios, etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conservatores et judices, præfatis Prioribus et Fratribus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super his et quibuslibet aliis bonis et juribus ad dictos Priores et Fratres spectantibus, ab eisdem vel quibuscumque aliis indebite molestari, vel eis gravamina seu damna vel injurias irrogari; facturi dictis Prioribus et Fratribus, cum ab eis, seu vicariis aut procuratoribus suis, vel eorum aliquo fueritis requisiti de

*Conservatores deputantur.*

ANNUS 1318

*Qui judicia exercent,*

prædictis, et aliis personis quibuslibet super restitutione ecclesiarum, villarum, oppidorum.... necnon de quibuslibet molestiis, injuriis atque damnis, præsentibus et futuris, in illis videlicet quæ judicialem requirunt indaginem, de plano, sine strepitu et figura judicii, in aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, justitiæ complementum. Occupatores seu detentores, molestatores, præsumptores et injuriatores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cujuscumque dignitatis, status, Ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo : invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis ; quibuscumque non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII prædecessoris nostri, in quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis, ad judicium evocetur ; seu ne judices et Conservatores a Sede deputati prædicta, extra civitatem et diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere ; sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœcesis eorumdem trahere præsumant : seu quod de aliis quam de manifestis injuriis et violentiis, et aliis quæ judicialem indaginem exigunt, prius in eos si secus egerint, et in id procurantes adjectis Conservatores se nullatenus intromittant : et tam de duabus dietis in Concilio generali, dummodo ultra duas vel tres dietas aliquis extra suam civitatem et diœcesim autoritate præsentium non trahatur, quam aliis quibuscumque constitutionibus a prædecessoribus Romanis Pontificibus ; tam de judicibus, delegatis et Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis aut aliis edictis, quæ vestræ possent in hac parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare : seu si aliquibus communiter vel divisim a prædicta sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo

*Invocato etiam brachio sæculari.*

Cap. Statut. de rescriptis, lib. 6.

ad verbum de indulto hujusmodi et eorum personis et locis, Ordinibus ac nominibus propriis mentionem ; et qualibet alia indulgentia dictæ Sedis generali vel speciali, cujuscumque tenoris existant, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam vestræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri ; et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus, et Apostolica autoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus : quodque a data præsentium sit vobis et unicuique vestrum in præmissis omnibus et eorum singulis, cœptis et non cœptis, præsentibus et futuris, perpetuata potestas et jurisdictio attributa ; ut eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus, cœptis et non cœptis, præsentibus et futuris, et pro prædictis procedere ac si prædicta omnia et singula coram vobis cœpta fuissent : et jurisdictio vestra et cujuslibet vestrum in prædictis omnibus et singulis, per citationem vel modum alium perpetuata, legitimum extitisset constitutione prædicta super Conservatoribus, et alia quælibet in contrarium edita non obstante. Datum Avenione, IV Nonas Julii, Pontificatus nostri anno secundo. » ANNUS 1318

Hactenus tutelares Joannis Papæ codicilli.

II. Aliud quoque beneficium Dominus Papa Nobis largitus est hoc anno; ejus quippe maxime opera et interventu Ordini nostro incorporata est cartusia Boni-passus, Cavallicensis diœcesis, duabus leucis ab Avenione sita, cujus fundationem sic describit Molinus noster : DOMUS BONI-PASSUS FUNDATUR.

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Innocentio quarto Papa Sedem Apostolicam gubernante, in finibus Comitatus Venaysini, ditionis ejusdem Sedis Apostolicæ, et in diœcesi Cavallicensi, erat quidam locus in descensu cujusdam montis, inter quem et Durantiæ alveum erat modicum intervallum ; huic ferale dispendium et discrimen maximum transeuntibus imminebat : ibidem enim specus et antra non Histor. ms. Ordin. p. 369.

ANNUS 1318

pauca erant, quæ quidem non hominum artificium sed saxorum natura cuderat ab antiquo, in quibus vespillones et stratiotes (sive milites) insidiantes latitabant, qui strages virorum et captiones exercebant, nec illorum crudelitatem ac animorum feritatem divina pietas nec Christianorum reverentia tantis flagitiis delibutam ullatenus cohibebant, quin prætereuntes interficerent seu caperent, ni forte vel manu armata vel cursu velociores nefariorum impetum devitarent. Ibidem etiam olim habitasse dicunt Sarracenos qui complures interfecerunt Christianos. Unde locus ille tunc temporis ob non parum formidandum ipsius transitum vocabatur *Mali-passus*.

*Olim dicta Mali-passus.*

« Tandem divina Clementia diu et sæpissime hujusmodi perniciosorum hominum nefandis flagitiis lacessita, virum quemdam sanctum et meritis vitæ orthodoxum, Sibertum nomine, in supradictam diœcesim ab exteris regionibus destinavit. Qui in eodem supra dicto montis declivio, ejusdem Dei nutu ac mandato, conductis latomis ac cæmentariis cœpit basilicam ædificare in honorem Dei matris et illibatæ virginis Mariæ, cujus rei fama per villas et proxima municipia convolavit. Eodem tempore tres viri extiterunt non infimæ prosapiæ, quorum unus ex civitate Cavallicensi originem duxerat, alter ex Castro Novarum, tertius ex pago Insularum in eodem Comitatu sito, qui assererent montes, rupes et salebras Mali-passus intra sua prædia contineri. Intellecto igitur quod quidam homo Dei ibidem ædificium inchoasset, protinus ille ex Castro Novarum ad locum festinavit, et tanquam repletus vesania, irruens in operarios, sudes latomis ac cæmentariis violenter et immobiliter abstulit simul ac ferramenta, quæ ablata mox demersit in flumen Durantiæ, eisque improperiis comminatur infinitis se plurima damna illaturum nisi prorsus ab incœpto desisterent. Ad hæc vir Dei Sibertus sic respondet : Quod Deus ab exordio temporum ordinavit homo turbare nequit ; et dicta ad Deum oratione, statim ad precum illius instantiam singula quæ submersa fuerant ferramenta emerserunt, et recuperatis per Christi miraculum ferramentis,

*Sibertus eremita basilicam ibi construit,*

*Repugnantibus quibusdam sæcularibus.*

ANNUS
1318

vir sanctus ardentius ad opus regreditur quod incœperat, atque etiam operarii viso miraculo libentius opus dehinc promoverunt. Et sanctus vir Sibertus quæstione sopita, cœpit urbes, villas et oppida frequentare, subsidium petiturus ab eis ad perficiendum opus ædificii. Cum autem quadam die peteret eleemosynam a quodam ventilatore in arca, ille (utrum serio an jocose, incertum habetur) dixit viro Dei ut adduceret quemdam mulum indomitum ac ferocem quem ei ostendebat, promittens se illum frumento oneraturum. Perrexit ergo vir sanctus adduxitque mulum tanquam agnum mansuetum, qui antea a nullo potuerat domari. Quo viso miraculo, ventilator ille non solum frumentum promissum, sed et mulum dedit sancto viro Dei, quo postea vir sanctus utebatur pro oneribus portandis ac subsidio per villas et oppida quærendo, quorum adminiculo tandem Basilicam (quæ adhuc extat) tum etiam multa alia ædificia perfecit, et multis clarus miraculis animam suam Creatori suo reddidit. Cui successit in regimine domus (mutato nomine Mali-passus in Boni-passus) Raymundus Pauli, vir vita et moribus illustris atque ex nobilibus parentibus oriundus, qui sibi commissam domum multis ædificiis, prædiis, possessionibus atque aliis commodis quam pluribus auxit.

*Siberto succeditRaymundus Pauli.*

« Eo tempore tres proceres superius nominati Domini loci et situs Boni-passus, vectigal et naulum a singulis transeuntibus tam per Durantiæ flumen quam per commune iter extorquebant. Cujus exactionis forma talis erat : a quolibet pedite tres denarios turonenses, a quolibet equite duos asses exigebant. Unde nautæ et ipsi Domini jam nominati Fratribus sumptus non modicos ac multa gravamina frequentius inferebant. Igitur consilio inito, dictus Raymundus Pauli et Fratres Boni-passus emerunt supradictum naulum, sive transitum aut pedagium, pretio septuaginta millium (?) solidorum, ut sic suæ domus libertatem adipisci valerent. Cum autem Dei famulus Raymundus Pauli non haberet unde satisfaceret et ad regiones extraneas pro quærendis eleemosynis transmigrasset, reversus ad supradictum pecuniarum nume-

*Naulum Boni-passus adipiscitur.*

ANNUS 1318

rum creditoribus satisfecit ; et sic domus Boni-passus et illius transitus immunis imposterum usque ad hodiernum diem remansit.

*Domus in Ordinem Cartusiensem cedit.*

« Mortuo vero patre Raymundo, sancta hæc domus Boni-passus pervenit ad dominum Episcopum Cavallicensem, deinde ad Templarios ; quibus deletis (sub Clemente Papa quinto et Philippo rege Franciæ) successerunt Hospitales S. Joannis in Jerusalem, sive Milites Rhodienses, quorum supremus Magister eam obtulit Summo Pontifici Avenione tunc temporis sedem tenenti. Postremo hæc domus Boni-passus, Dei nutu fundata, circa annum 1318 per DD. Joannem Papam hujus nominis XXII etiam Avenione commorantem, data et Ordini incorporata fuit ad instantiam Venerabilis Patris Domni Petri Faverii monachi professi Cartusiæ, Prioris Domus Sanctæ Crucis in Jaresio, et in Curia Domini Papæ ad ejusdem Ordinis Cartusiensis negotia promovenda ac pertractanda Procuratoris generalis deputati. Litteræ vero concessionis seu incorporationis sunt hujusmodi : « Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Conventui monasterii Cartusiensis per Priorem soliti gubernari, Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Exultat in nobis Mater Ecclesia quod vos spiritu beatæ considerationis inducti supra fundamentum illud quod positum est, quod est Christus Jesus, ut vobis non manufacta domus sed æterna præparetur in cœlis, superædificamini tanquam lapides vivi, et spirituales domos per lucra sanctorum operum alta et solida fabrica stabilitis ; Ei cui nunquam sine remuneratione servitur, phialas odoramentorum plenas (ut Christi bonus odor sitis) Deo per sedulam devotamque orationum instantiam offerendo ; sicque desiderii passiones fulti divinæ protectionis auxilio per observantiam districtionis arcte reprimitis, quod virtuose de sæculi fatigationibus triumphatis, illius præmii recepturi mercedem quam operariis in Evangelio Dominus pollicetur, quos ad laborem vineæ vocationis suæ muneribus invitavit. Propterea vos et Ordinem ipsum sincera diligentes in Domino charitate, continua red-

*Litteræ incorporationis.*

dimur attentione solliciti ut status ejus ex nostra promotione concrescat, suique palmites ad divini nominis laudem et gloriam latius extendantur. Cum itaque domus de Bono-passu, Cavallicensis diœcesis, quæ dudum ad Hospitale Sancti Joannis Jerosolimitani pertinuit, autoritate Magistri et Conventus Hospitalis ejusdem nobis et Ecclesiæ Romanæ una cum quibusdam aliis bonis data, donata, tradita liberaliter et concessa, pro construendo monasterio vestri Ordinis apta fore noscatur : Nos volentes ut benevolentiam nostram et Apostolicæ Sedis vobis sentiatis fructuosam et utilem per effectum, domum ipsam pro hujusmodi monasterio construendo cum ecclesia et ædificiis, officinis, hortis, vineis, oliveto, insula, terris, possessionibus cultis ac incultis, pratis, pascuis, nemoribus, aquis, aquarum decursibus ac omnibus pertinentiis suis eidem domui adhærentibus, quæ respicit ab una parte versus flumen Durantiæ et ex alia parte versus nemus Restagni de Sabrans, necnon grangiam de Rei veto, dictæ Cavallicensis diœcesis, cum terris et possessionibus spectantibus ad eamdem, quatuordecim summatas bladi recipientes in semente, quæ ab ima parte respicit versus rivum Condalionis et ex alia versus viam publicam ; terram quoque seu possessionem sitam in territorio de Claperiis prædictæ diœcesis, quæ recipit viginti summatas bladi in semente, quæ respicit ab una parte versus viam publicam qua itur de Canismontibus versus civitatem Cavallicensem, et ab alia parte respicit versus iter publicum quo de ipso loco de Canismontibus versus Laveneriat habetur accessus ; et insuper quamdam domum quæ dudum ad quemdam Ordinem Templariorum pertinuit sitam in castro de Insula dicto, Cavallicensis diœcesis, juxta viam publicam ex ima parte et ex altera parte juxta hortum Raymundi Burgundionis habitatoris ejusdem loci de Insula ; omnesque alias possessiones, census, servitia, laudemia, aliaque bona et jura quæcumque quæ Domus ipsa de Bono-passu et prædictus quondam Ordo Templariorum antequam prohibitioni perpetuæ Apostolica fuisset autoritate subjectus, ac unum Hospitale præfatum in

ANNUS 1318

ANNUS 1318

quo fuerunt dicta bona, eadem Apostolica autoritate translata, ac fratres Hospitalis ipsius ratione dictæ domus in dictis civitate Cavallicensi ac Insula et de Canismontibus ac Chori Castris, dictæ diœcesis, eorumque territoriis dudum habebant, tenebant ac etiam possidebant, Nobis et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ autoritate prædicta (ut prædicitur) concessa, portu fluminis Durantiæ ad domum pertinente prædictam dumtaxat excepto, quem nobis et eidem Ecclesiæ reservamus, ad opus ejusdem monasterii vobis et Ordini vestro habenda, tenenda, possidenda perpetuo eadem Apostolica autoritate, de Fratrum nostrorum consilio, concedimus ac donamus. Volumus autem quod idem monasterium omnibus privilegiis libertatibus et immunitatibus vobis et eidem Ordini Apostolica vel alia quavis autoritate concessis plene ac libere gaudeat, ac si de monasterio ipso in eisdem privilegiis plena et expressa mentio haberetur ; quodque Prior et Fratres et personæ dicti Monasterii et familiares ipsorum liberum perpetuo transitum habeant per ipsum portum fluminis Durantiæ, cum animalibus et quibusvis sese moventibus ac aliis rebus suis, quoties eis eundo et etiam redeundo opportunum extiterit, absque exactione portuagii seu passagii cujuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere. . . . . Actum Avenione Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno secundo, et Christi 1318. »

PRÆCIPUI BENEFACTORES.

III. Permulti S. R. E. Cardinales dictæ Domus benefactores referuntur, inter quos Taleyrandus Petragoricensis qui hanc cartusiam transferre voluerat ad locum commodiorem ab ipsomet concedendum haud procul ab Avenione, ubi novum monasterium reædificaturus esset; Monachi vero primam non consenserunt relinquere habitationem.

Reverendissimus dominus Simon Langham, natione Anglicus, archiepiscopus quondam Cantuariensis, S. R. E. cardinalis episcopus Prenestinus, novam ecclesiam Domus Bonipassus construxit, in qua sepultus fuit anno 1376. Plures etiam officinas et alia ædificia ibi construi fecit : unde fundator secundarius nuncupatur.

Reverendissimus cardinalis Hierosolymitanus (?) in hac ecclesia elegit sepulturam ante altare subtus pedes presbyteri celebrantis, in quo sepulchro non sit nisi simplex sculptura imaginis et nominis sui cum capello subtus pedes, sine armis in memoriam suæ dignitatis.

ANNUS 1318

Hic quoque jacet Reverendissimus Philippus de Cabassole, qui primo fuit episcopus Cavallicensis, deinde Patriarcha Hierosolymitanus, postea S. R. E. presbyter cardinalis, tituli SS. Marcellini et Petri, mox episcopus Sabinensis, Legatus missus in Italiam ad gubernandas Ecclesiæ Romanæ terras. Ex testamento nobis dedit duo millia florenorum totamque bibliothecam suam. Obiit Perusii 6 Calendas Septembris anno 1372, cujus corpus delatum ac sepultum fuit ad hanc cartusiam Boni-passus.

Hic requiescit in sacello divo Laurentio sacro Reverendissimus DD. Martinus de Salva natione Navarrus, de civitate Pampilonensi oriundus, episcopus ejusdem loci Pampilonis, demum tituli Sancti Laurentii in Lucia presbyter cardinalis; obiit anno 1404.

*Vitæ... Cardinalium.* Ciaconius, p. 801.

Reverendissimus D. Michael de Salva, et ille Navarrus, Martini nepos, S. Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis, in eadem Domo et capella cum avunculo magnificam habet sepulturam, mortuusque est anno 1406.

Ibid. p. 834.

IV. Si fides Raissio sit adhibenda, cartusia Brugensis, de qua hic nobis sermo, « ædificata est ex collecta donariisque populi, nullo certo fundatore. » Statim idem Autor subjungit : « Nisi quis cum Marchantio historiographo velit ad Robertum Bethunium, comitem Flandriæ, ejus fundationem referre. » Sunt e contrario qui plures dicant fuisse fundatores, licet eos minime nuncupent. Nos vero hisce relictis opinionibus, documentis innixi authenticis, Chartis scilicet Capitulorum Generalium Ordinis nostri, pro certo habemus unicum hujus Domus extitisse conditorem quemdam sacerdotem nomine Joannem Van Coukelaere. Etenim legimus* : Obiit devotus sacerdos Joannes Van Coukelaere, qui anno 1318 aream *Coolstid* dedit pro erigenda, extra S. Crucis

CARTUSIA BRUGENSIS INCHOATUR.

Origines Cartus. Belg. pag. 26.

*Fundator unicus.*

* Ex Charta 1334.

ANNUS 1318

Portam civitatis Brugensis, cartusia in qua et sepultus est », cui nomen imposuit Vallem Gratiæ. Prædictus autem comes Robertus fundamenta prima novæ Domus ipse propria manu jecit more rituque solemni. Ejus nepos et successor in Comitatu, Ludovicus Creciensis, benignius astrum Domui huic affulsit.

*Litteræ Capituli S. Donatiani.*

Apud Miræum. *Diplom. Nov. Collect.* III. p. 431.

« Cum solum, a Joanne Van Coukelaere Nostris concessum, jaceret infra limites parochiæ S. Crucis quæ juris erat Capituli S. Donatiani Brugensis, accedere debuit et accessit ad novum cœnobium ædificandum præfati Capituli consensus, die trigesima Novembris præsentis anni, in hæc verba : In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Nos Decanus et Capitulum Ecclesiæ S. Donatiani Brugensis, Tornacensis diœcesis, ad honorem Dei et Domini nostri Jesu Christi ac gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus, almique confessoris B. Donatiani Patris ac Patroni nostri et totius Curiæ cœlestis ; ob honorem etiam et reverentiam sacri Ordinis ac venerandæ Cartusiensis Religionis, divini cultus augmentum, et sanctorum jugiter pro expiandis Fidelium peccatis orantium, ac præclara pœnitentiæ delicta delentis exempla præbentium, quibus mundus nunc indiget, numerum et ampliationem, piis et caritativis promovere desideriis affectantes : eisdem Religiosis, Cartusiensibus videlicet, plena diligentique super hoc habita deliberatione, concordi et unanimo consensu quantum in nobis est et ad nos spectat, salvis omnibus et singulis hujus S. Donatiani et S. Crucis prope Brugas ecclesiarum juribus, et sine præjudicio earumdem, infrascriptis duntaxat exceptis ; concessimus, et præsentium tenore concedimus ut ecclesiam, claustrum, domos et alia quæcumque ad habitandum, pro se et suis ad Deo serviendum eisdem opportuna fuerint, in loco jam pro ipsis incepto et interminato infra limites prætactæ parochiæ vel ecclesiæ S. Crucis prope Brugas ad præsentationem nostram spectantis (in qua ratione juris Patronus oblationum ad nos certa portio spectare dignoscitur), libere fundent, faciant, construant vel ædificent, aut fieri,

ANNUS 1318

fundari, construi vel ædificari procurent. Hoc, pro jam tactis excipiendis, acto specialiter, concorditer et expresse, quod præfati Religiosi singulis annis in principio mensis Octobris, in signum recognitionis nostri Patronatus in quo dicta eorum ecclesia fundabitur, ad honorem Dei ac B. Patris et Patroni nostri prædicti, quinque libras ceræ nobis aut ecclesiæ nostræ prædictæ mittent et offerent, de quibus fiet cereus vel tortitius in proximo sequenti festo ejusdem S. Confessoris ante feretrum ejus cum demissum fuerit comburendus. Item quod præfati Religiosi, de omnibus et singulis oblationibus ad manus sacerdotum vel ad eorum altaria, nec non de omnibus funeralibus ad eos undecumque et qualitercumque provenientibus, tribus inde quartis retentis, unam quartam integram inter nos et curatos dictæ S. Crucis ecclesiæ ac alios quorum interest, secundum æquitatis modulum dividendam bona fide, hoc est quolibet ingenio malo remoto, nobis aut alii qui ad hæc recipienda deputatus fuerit, in duobus cujuslibet anni terminis, videlicet in Nativitate Domini et festo B. Joannis Baptistæ, dabunt et solvent; exceptis Fratribus eorumdem Professis et aliis similiter qui Religionem ingressi et habitum ejusdem Ordinis deferentes, cum jam existerent infra Probationis annum decedent. De quibus eisdem Religiosis dictam quartam omnino remisimus, et liberali donatione concessimus, intuitu pietatis. Famuli tamen vel servitores eorum curatis dictæ S. Crucis ecclesiæ suberunt, et eis jura parochialia sicut cæteri eorum parochiani solvere teneantur.

*In signum recognitionis Patronatus quotannis cereum Capitulo damus.*

« Et nos frater Johannes de Maldengheem *, primus dicti Cartusiensis loci juxta Brugas, qui Vallis gratiæ dicitur, humilis Prior, ac frater Johannes, dictus Adam, monachus et Vicarius, et Lambertus dictus Clericus, monachus et Procurator ejusdem Domus, una cum dicto Priore Conventum ibidem quoad nunc facientes, omnia et singula præscripta nos et Ordinem nostrum tangentia, nomine ipsius Ordinis nostri ac pro nobis ac successoribus nostris, plena super his habita deliberatione, gratanter et humiliter dictis DD. Decano

* *Al.* Maldeghem.

ANNUS 1318

et Capitulo bona fide promisimus, ac eisdem solemni stipulatione nos et successores nostros efficaciter obligamus eadem firma et rata habere, conservare et adimplere, et non contra facere vel venire, per nos aut alium, aliqua ratione, causa vel modo, de jure vel de facto.

« Denique Reverendo in Christo Patri et Domino nostro G., Dei gratia Tornacensi episcopo, Nos decanus et Capitulum nec non Prior et Conventus prædicti supplicamus humiliter et devote, ut pietatis ac æternæ retributionis intuitu, suum præmissis adhibendo consensum, eadem ratificare dignetur, et sua autoritate ordinaria confirmare. In quorum omnium testimonium et munimen, Nos Decanus et Capitulum ac Prior et Conventus sæpedicti, præsentem scripturam per infrascriptum Notarium publicum fieri et duplicari fecimus, et nostrorum in materia ceræ sigillorum appensione muniri. Datum et actum Brugis in Capitulo ecclesiæ S. Donatiani prædictæ, anno Domini millesimo trecentesimo octavo decimo, penultima die mensis Novembris. »

PRIMI INCOLÆ.

V. Initiatores et dedicatores nascenti plantulæ missi sunt ex cartusiis Vallis S. Aldegundis et Montis Dei, spectatæ virtutis Religiosi, inter quos Domnus Joannes de Maldeghem, Prior, clarior cæteris fuit. Hic sicut magnes ferrum, ita vitæ suæ exemplo mox ad Cartusianam regulam plures non contemnendæ conditionis viros allexit quorum primi fuere :

Daniel de Alneto, primus Professus hujus Domus; de quo hæc legimus in necrologio Abbatiæ Sancti Martini Yprensis : « XI Kalend. Maii 1322, obiit magister Daniel de Alneto Ordinis Cartusiensis, quondam Præpositus hujus Ecclesiæ ».

Joannes de Backer Præpositus S. Andreæ juxta Brugas. Gallia Christiana de eodem sic ait : « Walter III de Wilde, ex Priore factus Abbas XIII monasterii S. Andreæ prope Brugas Ordinis S. Benedicti, præfuit annis viginti; cujus tempore viginti quinque monachi in cœnobio degebant, ex quibus Joannes de Backer, Prior : strictioris observantiæ zelo incensus ad Cartusianos Brugis non ita pridem stabilitos

Tom. V. p. 271.

convolavit, ubi cum non multo post Prior (secundus) evasisset, pristini sui monasterii Fratrum memor, eos omnium Cartusiensis Ordinis suffragiorum participes fecit anno 1325, » quo decessit, ut videre est in Kalendario Vallis gratiæ. ANNUS 1318

Robertus, Canonicus Regularis Vormezeelensis ecclesiæ.

His accesserunt alii atque alii haud minus præclari, ex quibus nonnulli magni recensentur benefactores, qui, cellis ædificatis reditibusque concessis, seipsos tandem humiles monachos Ordini dederunt.

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1319.

| Joannis PP. XXII Ann. 4. | Ordin. Cartus. Ann. 236. | Aymonis Pr. Cart. Ann. 7. |
|---|---|---|

BULLA JOANNIS XXII IN FAVOREM MAJORIS CARTUSIÆ.

Inter Privil. num. 73.

Vide ann. 1266.

I. ANNO Christianæ salutis millesimo trecentesimo decimo nono, Indictione secunda, Joannes Pontifex maximus declarat Domos Ordinis Cartusiensis recens fundatas debere frui privilegiis a Sede Apostolica olim concessis, circa decimas possessionum nostrarum; extat bulla quæ habetur ad calcem Statutorum Antiquorum edita. Aliam quoque bullam in gratiam Cartusiensium Maurbacensium hoc anno concessit, qua licet eis, post factam professionem, recipere paternam hæreditatem. Hujus Brevis Apostolici vi, quidam Augustinus monachus ejusdem cartusiæ Maurbacensis, cum ab hæreditate paterna violenter excluderetur, contra suos cohæredes evicit, circa annum 1454. Quæ vero mens sit Ordinis circa hujusmodi hæreditates alibi forsan declarabimus.

AMEDEUS SABAUDIÆ BENEFACTOR CARTUSIÆ.

II. Hoc anno, Amedeus comes Sabaudiæ Majorem invisit Cartusiam, et coactis in claustro Monachis, post longam ac sanctam cum eis habitam collocutionem, decem libras annuales, in unius monachi victum largitus est; ac vicissim in memoriam accepti beneficii, plenam bonorum spiritualium participationem Nostri Comiti concesserunt, scriptis hujus sanctæ associationis sequentibus codicillis :

« Nos, Amedeus comes Sabaudiæ, notum facimus quod considerantes quanta affectione quantaque devotione Viri venerabiles et religiosi Domni Prior et Conventus Cartusiæ, die

noctuque Jesu Christo Salvatori nostro famulari non cessant; cupientes, cum Dei voluntate, eorum orationibus, nos, liberos successoresque nostros participes fieri : sponte et ex nostra scientia damus præfatæ religiosæ Domui Cartusiæ decem libras viennenses de reditibus, talium videlicet viennensium qualium fit nobis solutio nostrorum redituum. Nos vero, præfati Aymo Prior et Conventus dicti loci Cartusiæ, considerantes et attendentes largitatem liberalitatemque nobis concessam per dominum Comitem supradictum, attendentes etiam quantis benevolis actibus quantisque liberalitatibus, tam ipse dominus Comes, quam prædecessores ejus, Domum nostram aliasque Domos Ordinis nostri in Comitatu existentes, maxime prosecuti fuerunt; Fratribus insimul congregatis, de unanimi voluntate et consensu, eidem domino Comiti, hæredibus et successoribus suis, in perpetuum concedimus eos participes fieri in bonis et orationibus quas fieri in posterum continget in Domo nostra : concedentes et omnino volentes quod in Domo nostra ex tunc et in perpetuum habeant unum Monachum Deo devotum, unamque cellam super prædictis decem libris et reditibus fundatam, qui in perpetuum pro animabus dictorum domini Comitis et successorum suorum tam in celebratione Missarum quam in aliis Officiis perpetuo famuletur. Nos vero Comes, attendentes benevolos spiritus Fratrum prædictorum, ut in perpetuum major sit connexitas Ordinis ad nos et successores nostros in posterum, eisdem Fratribus concedimus quod dicta Domus eorumque bona in nostra salva garda successorumque nostrorum semper persistat, nec aliquo casu per aliquem futurum Comitem a garda illius qui pro tempore Comes fuerit, aliqualiter relaxetur.... Nos Comes præfatus Priorque et Conventus prædicti, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum in Domo prædictæ Cartusiæ, die quinta mensis Septembris, anno MCCCXIX. »

ANNUS 1319

III. In Charta Capituli generalis hujus anni, inter mortuos legitur « D. Petrus Faverii qui habet tricenarium et duplex Officium per totum Ordinem ». Duplex Officium ei

PETRUS FAVERIUS PIE MORITUR.

ANNUS 1319

Dorland. lib. IV, cap. 19.

conceditur, eo quod negotia Ordinis procurans, in Curia Summi Pontificis obiisset. Beatam illius mortem sic enarrat Dorlandus: « Sub hoc Patre Haymone, Petrus Faverius monachus factus, egregium se inter cæteros militem gessit. Hujus cum esset summa religio, summa tamen illi inerat humilitatis devotio et devotionis discreta consummatio. Hic Prior Domus S. Crucis, quæ Romæ est*, institutus, pro morum suorum gloria et ingenii magnitudine Procurator Ordinis Generalis ad causas actitandas in Avinione institutus est. In hac civitate in qua tunc Papa erat, cum Ordini auxiliaturus degeret, contigit gravi illum ac peremptoria infirmitate teneri. Unde dum lecto decumberet moriturus, venit illum invisere, Dei nutu, Dominus Heribertus, Prior Boni-Passus nostri Ordinis, ut ægro esset solatio. Quem Petrus ut vidit, magno gaudio repletus, exultavit in Domino : « Gratulor, inquit, advenisse te, mi suavissime frater : nam et hoc corpusculum trades ocius sepulturæ. » Dehinc, facta confessione ac Corpore Christi præmunitus, sese ad exitum præparabat. Patre autem Heriberto, ob suas operas ab infirmo paululum digresso, ecce Sathan, humani generis acerrimus hostis, ad lectum jacentis se posuit, tetrum, asperum, formidabilem : et aperiens grande volumen quod tenebat manibus, in quo peccata omnia ipsius infirmi quæ unquam gesserat, stylo exarata tenebat ; tumque in faciem viri Dei, cum magna se protervia ingerens et stomachum movens, cœpit cachinnando et irridendo improperare illi sensim delicta sua omnia quæ patrarat. Hæc videns et audiens Procurator, et timore horribilis aspectus Satanæ plurimum conturbatus, agebat secum quid ad tam frontosam objectionem posset respondere. Sciebat equidem se peccatorem, sed longam et asperam egisse in Ordine pœnitentiam, nec quicquam damnationis esse his qui sunt in Christo Jesu. Verum quia judicia Dei abyssus multa, et « nescit homo utrum Dei amore an odio sit dignus ; » ideo sperabat et tremiscebat, fidebat in Domino et pavescebat. At Sathan modis omnibus operam dabat, ut in desperationis foveam præcipitem raperet mili-

* Mendose, agitur de Domo S. Crucis in Jaresio.

*Visione diaboli territus,*

tem Christi. Ille vero ex adverso acriter pugnans, fidei se clypeo protegebat, et sudans ac tremens psallebat et orabat, ac diaboli pectus spiritalibus telis transverberabat. At illa mitissima propitiatrix generis humani, omniumque afflictorum adjutrix promptissima, Dei Genitrix Virgo Maria, videns servi sui acre certamen, de supernis descendit, et inæstimabili claritatis luce refulgens, ad lectum jacentis se collocavit. Stabat formosa illa et omnium pulcherrima Virgo, puerum speciosissimum niveis complectens brachiis, oculisque mitissimis suum Petrum aspiciens. Quam ille ut vidit, supra quam credi potest exhilaratus, spiritu spem suæ salutis integerrimam revocavit. Porro zabulus Divæ Virginis lucem non ferens, obscuro quodam qui illic erat angulo se recepit. Tum suavissima Virgo, ostendens ægro suum Filium : « Noli, ait, mi frater, timere, noli pertimescere. Per hunc nempe puerum formosum omnia tibi peccata condonantur. » Hæc verba ut impius Sathan audivit, contabuit, et fuga elapsus confususque, in tartara se præcipitem dedit; at infirmo apprime consolato, in cœlestia regna Dei Genitrix remigravit. Redeunti vero Patri Heriberto, multa exultatione perfusus dixit Petrus : « Ego, mi Pater, tam magna nunc spei fiducia utor, tantaque sum mentis constantia animatus, ut nec mente concipere, nec verbo id dicere possim. Vidi enim, non in somnis sed vigil, et his oculis, Dei Genitricem suam unicam sobolem Jesum gestantem, et salva facta est anima mea. » Tum cœpit enarrare Heriberto quæ sibi paulo ante contigerant. Sequenti nocte, post Matutinas, cœpit ipse solus alacriter Litaniam decantare Sanctorum ; cui se conjunxit Heribertus ut succurreret laboranti. Inter psallendum vero, ubi ventum est ad locum : *Omnes sancti, orate pro nobis,* subito sursum porrectis ad cœlum oculis, manu dextera extensa, quasi Heriberto rem aliquam monstraturus, cum ingenti cordis lætitia ac sono vocis clamavit dicens : Omnes Sancti qui huc modo advenistis, orate pro me. Quam postulationem cum summo sæpe fervore resumens atque ingeminans, beatum spiritum in Sanctorum, qui illic aderant, manus emisit. »

ANNUS 1319

*A B. Virgine consolatur.*

ANNUS
1319

Ex chart. Capit. gener. 1313 et 1314.

Fuit Petrus primum Procurator Cartusiæ Majoris, suæ professionis, deinde Prior novæ Domus Calesii ab anno 1307 ad an. 1311, quo præfectus est Domui Sanctæ Crucis in Jaresio, diœcesis Lugdunensis, non vero Domus Romanæ, ut incaute scripsit Dorlandus. Annis sequentibus, institutus fuit Visitator provinciarum Provinciæ et Cataloniæ. Cum vero in Charta hujus anni non fiat mentio Prioratus S. Crucis, hinc conjicimus eum in Prioratu non obiisse, sed paulo ante absolutum fuisse ut liberius negotiis Ordinis vacaret. Præter rerum nostrarum scriptores, Petri meminerunt Bzovius, Joannes, Bonifacius, et alii exemplorum compilatores. In martyrologiis Usuardi et Canisii fit ejus memoria ad 3 Cal. Maii; sed hic dies ad libitum scriptorum designatus est, nam verus dies hactenus ignoratur.

JOANNES DALPHINUS OBIIT.

IV. In eadem Charta denuntiatur mortuus, « illustris vir dominus Joannes dalphinus, qui habet monachatum per totum Ordinem sub quarta Calendas Martii. » Fuit insignis nostri Ordinis et præsertim Majoris Cartusiæ fautor et benefactor, pro quo idcirco preces singulis annis per totum Ordinem decernebantur.

Post Dalphini obitum sequitur in Charta : « Item uxori domini Ludovici de Francia jam defunctæ conceditur tricenarium, etc. » Hæc videtur esse Margareta, uxor Ludovici comitis Ebroicensis, qui hoc anno, die 19 Maii, post uxorem decessit; et per Chartam anni sequentis, commendatur his verbis : « Ad requisitionem reginæ Mariæ (uxoris videlicet Philippi Audacis, de qua alibi diximus) conceditur domino Ludovico filio suo quondam comiti Ebroicensi, et dominæ Margaretæ quondam reginæ Angliæ, filiæ dictæ dominæ reginæ Mariæ, Tricenarium, etc. »

ORDINATIONES CAPITULI GENERALIS.

V. Ex constitutionibus in eodem Capitulo generali factis, hæc præcipua leguntur :

1. « Statuimus quod Priores qui reperti fuerint culpabiles vel negligentes in opponendo se ne mulieres intrent clausuras nostras, sint extra sedes suas usque ad Capitulum generale sequens; et in dicto Capitulo clament culpas suas, recepturi

disciplinas quas Capitulum ordinabit. Illi vero de Conventu Monachi et Conversi qui se ad idem non opposuerint, sint in disciplina generali usque ad Capitulum sequens ; et si habent obedientias, illas amittant. » Hæc severitas in causa est cur etiam nunc mulieres in nostra non ingrediantur monasteria.

ANNUS 1319

2. « Declaramus quod secundum Decretalem novam, nullus de Ordine Mendicantium, possit habere in Ordine Cartusiensi obedientiam aliquam vel administrationem.

3. « Item declaramus quod in Exaltatione Sanctæ Crucis, fiat dormitio secundum Antiqua Statuta.

4. « Item declaramus quod Hospites et Novitii, in his quæ dividuntur per Conventum, eamdem portionem habeant quam Professi.

5. « Jacobus monachus Repausatorii, qui est in Domo Melani, ad Domum suam revertatur aut profiteatur in Domo Melani, nisi Prior suus et Vicarius aliud ordinarent. »

Ex hac declaratione patet Monachos alteram professionem aliquando emisisse in Domibus Monialium ; sed nusquam reperimus Novitios e sæculo fugientes, exceptis Redditis et Conversis, ad habitum et primam Ordinis professionem ibidem admissos fuisse. Cum igitur aliquis Monachus in Chartis nostris dicitur professus alicujus parthenii, id intelligendum est de secunda non de prima professione.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1320.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 5. | Ann. 237. | Ann. 8. |

PRIMUM MAJORIS CARTUSIÆ INCENDIUM.

I. QUI novus volvitur annus millesimus trecentesimus vigesimus, Indictione secunda, miserabile cernit Majoris Cartusiæ incendium. Quibus vero in adjunctis istud suscitatum fuerit, accipe ex Chronico Priorum Cartusiæ : « Sub Reverendi Patris Aymonis Prioratu (quod reticeri non debet) Domus Cartusiæ fuit tota combusta ac fere ad nihilum redacta. Cum enim Dominus de Grandesono, pro una Domo Ordinis per ipsum ædificanda, pro licentia obtinenda ad Cartusiam venisset tempore Capituli generalis, famuli ejus incaute ignem in camera in qua dormiebant retinentes, totius Domus ruinæ per incendium causa extiterunt. Ob hoc Priores qui ad Capitulum venerant, necnon divites et pauperes, Nobiles et ignobiles, ejusdem Domus destructioni nimium condolentes, erga reparationem ipsius liberalissimi extiterunt. Nam subito de lapidibus eam ædificantes (quæ ante de lignis erat) sine comparatione in melius commutaverunt, ita ut non minus de ejusdem reparatione universi gauderent, quam de ipsius doluerant combustione. » Hoc fuit primum Majoris Cartusiæ incendium.

Cap. XVII.

*Quo modo evenerit?*

OTHO DE GRANDIS. FUNDATIONEM LANCEÆ PERFICIT.

II. Præfatus dominus de Grandison, Otho nomine, de quo supracitatum Chronicon, a multo jam tempore suum erga Nos studium ostenderat, acceptis pro mercede beneficiis spiritualibus, ut ex Chartis apparet : nam anno 1303 « Domi-

no Othoni de Granson conceditur fraternitas Ordinis », et anno 1309 « Orabitur pro Domino Othone de Grandissono ». Anno 1317 non modo venditionem nobis factam a domino Petro nepote ejus laudaverat, quin etiam in meram eleemosynam plurima donaverat; demum hoc præsenti anno 1320 ad Capitulum generale ascenderat, ut licentiam obtineret « pro una Domo Ordinis per ipsum » non ædificanda quidem, sed potius Monachis tradenda ad inhabitandum. Etenim Domnus Joannes de Monte Acuto, novæ Domus Rector, (ut conditionibus a Petro venditore faceret satis) statim operi manum admovens, jam die decima octava Aprilis 1318 ecclesiæ fundamenta jecerat et paulo post locum novis incolis paraverat : sed Othonis petitio, propter incendium ut probabile est, non fuit exaudita. Non tamen vacuus discessit Comes, nam Patres imprudentiæ famulorum ejus immemores, pro eo sic ordinaverunt in Charta : « Orabitur pro Domino de Grandisono. » Ad propria reversus, ut facilius quæ petebat impetraret, sequentem fundationis chartam scribi curavit :

ANNUS 1320

Vide ad annum 1317.

« In nomine Domini, Amen. Nos Ottho dominus Grandissoni, miles, Deum præ oculis habentes, notum facimus universis præsentibus et futuris, quod nos pro salute et remedio animæ nostræ et animarum prædecessorum ac etiam successorum nostrorum quorumcumque, dedimus et donamus; et nos pro nostris hæredibus et assignatis nostris quibuscumque, dedisse, cessisse, donavisse et concessisse imperpetuum et irrevocabiliter publice confitemur per præsentes, religiosis et honestis fratribus nostris Priori et Conventui beatæ Mariæ Sancti Loci prope la Lancy, Lausannensis diœcesis, Cartusiensis Ordinis, qui nunc sunt in dicta Domo per nos fundata, vel qui pro tempore futuro fuerint, donatione inter vivos perpetue valitura, res, possessiones et libertates in præsenti littera scriptas ac etiam declaratas, cum suis juribus, fundis, actionibus et pertinenciis universis et singulis : hoc est damus et concedimus dictis Fratribus in eisdem merum et mixtum imperium ac omnes actiones

*Litteræ donationis.*

ANNUS 1320

reales et personales, mixtas, utiles et directas nobis competentes, videlicet imprimis dedimus et donamus dictis Priori et Conventui de Sancto Loco, ut supra, medietatem grangiæ de Villar-Luczon, quam emimus a religiosis viris Abbate et Conventu Lacus Jurensis, Præmonstratensis Ordinis, Lausannensis diœcesis, ac omnium redituum, possessionum, jurium et pertinenciarum ejusdem medietatis, in quibuscumque rebus consistant et quocumque nomine censeantur, videlicet pro æstimatione quingentorum florenorum auri de Florentia, inclusorum in summa sex millium florenorum et deducendorum de eisdem, quam summam promisimus dare et solvere in puram eleemosynam pro fundatione et ædificatione dictæ Domus de Sancto Loco; necnon pro reditibus et possessionibus dictæ Domui acquirendis, aliam medietatem dictæ grangiæ dictæ Domui de Sancto Loco jam dudum dedimus, ut patet per litteras nostras inde confectas. Item dedimus et donamus dicto Priori et Conventui sive Fratribus de Sancto Loco, ut supra, terram existentem prope nemus de Seytis subtus fontem de la Lancy, sitam inter dictum nemus et cursum dicti fontis prout dicta terra protenditur usque ad lacum, ad construendum ibidem Domum, in qua perpetue tredecim Fratres dicti Ordinis morentur, Creatori altissimo ibidem sub observantia regulari dicti Ordinis servituri. Item dedimus et donamus eisdem Fratribus..... Devestientes nos et hæredes nostros de universis et singulis rebus et possessionibus nostris supradictis per præsentes, prædictos fratres nostros Religiosos de Sancto Loco investiendo corporaliter de eisdem, cum suis juribus, mero et mixto imperio et aliis pertinenciis universis superius declaratis. Promittimus bona fide nostra donationem per nos de prædictis factam dictis Religiosis de Sancto Loco perpetuo manutenere, defendere in pace ac etiam guerentire et contra prædicta vel aliquid de prædictis vel infrascriptis per nos vel per alium non venire aliquo modo, sed firmiter attendere et inviolabiliter observare contra omnes in judicio et extra judicium et in omni parte litis seu molestationis, nostris propriis sumptibus et expensis. Renun-

Vid. ad ann. 1317.

ciantes in hoc facto ex certa scientia nostra exceptioni doli, etc. Volumus etiam ad majorem hujus rei firmitatem quod dilectus nepos noster dominus Petrus de Grandissono, dominus Bellimontis, miles, universa et singula supradicta et tenorem præsentium laudet et ratificet et in præsenti scripto sigillum suum apponi faciat in testimonium præmissorum. Et nos vero præfatus Petrus de Grandissono, dominus Bellimontis, certificati de prædictis, qui omnia prædicta in præsentia nostra diligenter legi fecimus ac etiam examinari per sapientes, universa et singula supradicta laudamus, ratificamus et approbamus ut melius et sanius possumus, et promittimus bona fide nostra contra prædicta vel aliquid de prædictis per nos vel per alium non venire in futurum, sed firmiter attendere et inviolabiliter observare, cunctis exceptionibus juris et facti sublatis et remotis. In quorum testimonium omnium et singulorum præmissorum nos Ottho, dominus Grandissoni, et Petrus de Grandissono, dominus Bellimontis, milites prædicti, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum mense Julii, anno millesimo trecentesimo vicesimo. » ANNUS 1320

III. Anno sequenti in generalibus Ordinis Comitiis preces iteravit Otho, et per Chartam breve illud responsum accepit : « Domino Ottoni de Grandisono respondebitur competenter. » Utrum vero tunc postulata obtinuerit non plane constat, sed videtur probabile : nam in quodam Instrumento anni 1323, mense Aprili, mentio fit « de Priore et *toto* Conventu dicti loci de Lancea....... et Prior et Conventus *sigillum* Domus suæ apponunt..... » ; ex quibus aperte comprobatur jam Monachos plurimos inibi vitam regularem peragere. ITERAT PRECES AD CAPIT. GENERALE.

IV. E vivis excessit Dominus de Grandisono die quinta Aprilis anni 1328, juxta Necrologium Lanceæ : « Obiit Dominus Hocto de Grandissono fundator hujus Domus » ; in fragmento Chartæ Capituli generalis ejusdem anni legitur : « Obiit dominus Otho de Grandisono, feria quarta Paschæ, qui habet monachatum per totum Ordinem, » et in veteri Calendario Luviniaci signatur ad diem sextam Aprilis, quæ anno 1328 fuerat feria quarta Paschæ ; nam Pascha accidit PIE MORITUR.

ANNUS 1320

die tertia ejusdem mensis. Si autem Otho post Completorium feriæ tertiæ obierit, mors ejus juxta usum hujus temporis, vel ad diem quintam aut ad sextam adscribi potuerit.

Dominum Othonem de Granson fuisse virum celebrem et apud Regem Angliæ et Comitem Sabaudiæ gratia valuisse, reperio apud Scriptores. In antiquis Constitutionibus regni Angliæ collectis per Guillelmum Prynne et editis anno 1572 (Lib. 5, cap. 5.), honorabilis mentio habetur de Othone qui anno 1282 erat gubernator Insularum de Gernes et Geres* pro Rege Angliæ, a quo missus fuit Romam anno 1289 et 1305. Tanti eum faciebat Amedæus V comes Sabaudiæ ut Blancam, Ludovici baronis de Vaud fratris sui filiam, Petro Grandissono nepoti ejus dederit uxorem circa annum 1294. Cumque misisset Romam, anno 1301, Philippum Thomæ fratris sui filium, uxorem ducturum Isabellam de Villehardouin, Othonem nostrum ei dedit comitem, qui præsens adfuit investituræ quam Philippo de principatu Achaiæ fecit Carolus rex Siciliæ ; cujus Instrumentum reperitur apud Guichenonem, in quo post Archiepiscopum Lugdunensem Otho noster inter Nobiles primus nominatur.

*Guernesey et Jersey.

Quidam Guillelmus ex eadem prosapia in Angliam se recepit bonis fruiturus quæ ibi noster Otho acquisierat, ductaque uxore Domina Targossiæ filium habuit Thomam equitem.

ECCLESIA DEDICATUR.

V. Vix exequiarum Domini fundatoris ritus erat expletus, cum decimo quarto Kalend. Maii ejusdem anni 1328, ecclesia novæ cartusiæ « dedicata fuit a Reverendo Patre Domino Joanne episcopo Lausannensi, qui omnibus vere pœnitentibus et confessis dedit perpetuo quadraginta dies Indulgentiarum, si dictam ecclesiam visitaverint in die dedicationis et per octavam; altare quoque consecravit, reconditis ibi de Reliquiis beatæ semper Virginis Mariæ et beati Joannis Baptistæ. Similiter medietatem prati quod est infra ambitum cellarum, scilicet a parte superiori, in cœmeterium benedixit. In illo autem die quo hæc facta sunt, prohibuit idem Episcopus sub pœna excommunicationis, ne qua mulier

de cætero intrare præsumat clausuras dicti loci, secundum quod in Ordine Cartusiensi fieri consuevit. » ANNUS 1320

VI. Benefactores Domus de Lancea præcipui sunt : BENEFACTORES PRÆCIPUI.

Petrus de Grandissono, nepos Fundatoris et Blanchia uxor ejus, qui præter partem nemoris *de Setis* quam initio fundationis concederant (1317), tradiderunt insuper furnum de Ursins cum fructibus et juribus universis sub censu unius libræ ceræ annui reditus; donaverunt præterea quamdam domum seu turrim sitam infra mœnia Yverduni pro XII denariis lausannensibus census singulis annis solvendis.

Ludovicus de Sabaudia, dominus Waudi, pro remedio animæ suæ... dedit donatione pura falsam turrim sitam in sua villa de Yverduno.

Rodulphus, comes et dominus Novicastri, legavit quinque solidos lausann. annui et perpetui reditus.

Girardus de Montefalconis, miles, dominus de Vuillafans et de Orba, « attendens et considerans humanæ fragilitatis miseriam et quod homo natus de muliere brevi vivit tempore repleturque multis miseriis, quodque præsentis vitæ cursus non transitur sine sordibus peccatorum; sciens quod peccatorum maculæ quæ de terrenis contagiis animæ frequenter adhærent, per suffragia Sanctæ Matris Ecclesiæ, Sacramentorum virtutem et eleemosynas expiantur, nutritur gratia et augentur virtutes per quas acquiritur regnum Dei : patronatus ecclesiæ villæ suæ des Unens religiosis viris Priori et Fratribus B. Mariæ super Lanceam... sponte, pure... dedit, concessit et contulit in puram et perpetuam eleemosynam pro suæ, parentum, uxoris, hæredum et amicorum animarum remedio et salute. »

Nobilis domina, domina Maria de Cabilone, comitissa Novicastri et Friburgi ac domina de Chanlipte, quæ dedit nobis centum scuta regia cum omnibus aliis donationibus suis quæ sunt : primo 20 florenos Alemaniæ, argenteum jocale rotundum in quo sunt Reliquiæ XI * millium Martyrum et de legione Thebeorum, et parvum scrinium eburneum imaginibus circumdatum, et tres pallas longas et magnas pro ma- * *Al.* X.

ANNUS 1320

gno altari, et multa alia bona : pro quibus omnibus fiat Anniversarium cum Agenda sive in ecclesia sive in cellis.

In libro Anniversariorum, complures ejusdem Domus reperiuntur benefactores, Nobiles et plebani, minoris quidem notæ, sed haud minoris in nos munificentiæ, et a Nostris pari animi gratitudine decorati, ex quibus sequentes selegimus :

*Benefactores minores.*

« Joannes Chautemps annuatim dedit Conventui oleum olivarum. Guido Vianneys dedit novem libras de quibus facta cella ollogii (horologii ?). Bernardus de Spiamonte, curatus de Onens, qui dedit nobis curam de Onens, et Reverendus Dominus Prior de Mortua Aqua, qui fuit in causa quod habuimus dictam curam : pro ipsis et pro omnibus pro quibus tenentur fiat Anniversarium, quia bene meruerunt. Williermetus du Pont de Mocies dedit vestimenta sacerdotalia integra ad celebrandum. Nobilis domina Brasse dedit unum berale (baril) vini, mensuræ de Landeron. Humbertus Peter dedit unum bonum hortum et unum pratum, unde habemus XXIII solidos pro suo anniversario. Odetus Veluz de Grayaco qui dedit vestimenta pro monachis quolibet anno, valde bona et abundanter. Nobilis Jacobus de Bonovillario dedit annuatim huic Domui, donatione perpetue valitura, duas duodenas piscium pallatorum *. Poncetus Regnier, burgensis Grayaci, vestivit Conventum multis annis, et affectuose vestivit. Willelmus Viveys dedit duos solidos census perpetui pro quo, in die Nativitatis Domini, sacrista dicit ante magnum altare unam antiphonam de B. Maria cum uno versiculo et oratione : « *Deus qui salutis æternæ*.... Uxor Antonii Antoniæ de Staviaco dedit unam pulchram casulam rubeam. Dominus Wenceslaus pictor, monachus professus cartusiæ Portæ-Montis qui fecit imagines et tabulam quæ est in capella B. Mariæ, et alias multas. »

* *i.e.* Siccatorum.

* Prope Bernam.

Stetit hæc Domus usque ad diem XVII Martii anno 1538, quo monachi in exilium pulsi sunt. « Hujus cartusiæ bona, sicut didicimus cum Friburgi essemus anno 1617, ait noster Molinus, a democratiis Friburgensi et Bernensi alternatim

possidentur : altera enim per tres annos continuos reditu hujus Domus gaudet; altera vero totidem annos simili fruitur proventu ; constituuntque vicissim qui eis de prædicto reditu satisfaciat. Hoc nobis tunc temporis asseruit unus e magnis Friburgi præsidibus, qui vulgo nominatur *Grand Advoier*, et ille hoc anno concilio præsidebat. »

ANNUS 1320

Histor. ms. Ordin. Cart. p. 356.

PETRUS DE ACHTZPALT ARCHIEPISC. MOGUNTINUS.

VII. Hoc eodem anno pridie Nonas Junii obiit magister Petrus de Achtzpalt, medicus et archiepiscopus Moguntinus, vir per omnia magnificus qui cartusiam extra muros Moguntinos fundavit. Hujusce Petri præclare meminit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, quæ et repetit in Chronico Spanhemensi. Sic autem ille : « Ad Clementem V Papam Pictavis commorantem, Henricus comes Lutzemburgensis misit magistrum Petrum de Achtzpalt, medicum suum expertissimum, pro archiepiscopatu Moguntino, qui eo tempore post Gerardi archiepiscopi obitum vacavit, fratri suo Baldewino impetrando. Qui cum in Gallias ad Pontificem venisset, legationem Domini sui Comitis memorati exposuit, et pro impetrando archiepiscopatu Moguntino fratri Domini sui prædicto, preces multiplices effudit. Sed Papa, causis allegatis quam plurimis, noluit exaudire precantem, et Ecclesiam Moguntinam dare Baldewino comiti recusavit. Contigit autem interea ipsum Pontificem graviter infirmari, qui arte et ingenio ejusdem Petri curatus, de consensu Cardinalium eum in Archiepiscopum sæpe dictæ Ecclesiæ Moguntinæ ordinavit : datisque litteris et provisionibus necessariis ipsum cum pallio ad Moguntiam remisit, quem Clerus una cum universo populo mandatis Apostolicis obedientes, cum honore et reverentia susceperunt et in possessionem Ecclesiæ Moguntinæ pacifice admiserunt. Erat enim vir doctus et magnificus, ipso pontificatu dignus, qui multa in Synodis utilia moribus statuit, præfuitque strenue annis quindecim. Audiens hæc Henricus comes Lutzemburgensis, qui illum pro fratre suo Baldewino ad Papam miserat, iratus est, quanquam divina factum ordinatione totum postea confiteretur. Nam procuratione ejusdem Magistri, et Baldewinus

Chronicon Hirsaug. ad ann. 1305.

ANNUS 1320

postea factus est archiepiscopus Trevirensis, et ipse Henricus rex Romanorum. »

AUTOR CARTUSIÆ MOGUNTINÆ.

VIII. « Moguntinus Cartusiensium Eremus sive Claustrum originem suam debet isto præfato archiepiscopo Petro : quippe qui viso in Galliis, diligentiusque inspecto morum religiosæque conversationis quo D. Brunonis sodales utebantur modo, cum redux Moguntinensem insedisset cathedram, sua in diœcesi locum illis dedit; evocatis e Superiore Germania quibusdam alumnis, quorum unus Joannes, cognomento Polonus, novæ plantationis Rector a Capitulo generali designabatur.

Serrarius, *Rerum Moguntinens.* II. pag. 831.

*De tempore quo cœpit.*

« Circa annum 1308 id contigisse, Trithemius, Bruschius, Cratepolius aliique illius vestigia secuti tradunt. Idem docent Fasti Cartusianorum domestici, clarissimeque ostendunt census possessionesque quas Petrus postea anno 1320 tabulis peculiaribus complexus est, una cum loco habitationis, jam anno 1312 eorumdem in peculio fuisse, Domumque quam in Rhingavia excitare cœperant, Ordini eodem anno contributam, sive usitato loquendi modo, incorporatam.

DE PRIMO EJUS LOCO.

IX. « Locum autem pro asceterio statuendo eis adsignavit in Rhingavia, inter castrum Scharpfenstein et vicum Kidderich, eumque *Sancti Petri Vallem* appellari voluit : simul vero necessaria vitæ et cultui subsidia liberaliter attribuit benigneque, uti quidem tabulæ hæ enarratius docent :

*Carta fundationis.*

« In nomine Domini, Amen. Nos Petrus Dei gratia Sanctæ Moguntinæ sedis Archiepiscopus, sacri Imperii per Germaniam archicancellarius, omnibus in perpetuum. Quia dictum Apostoli dicentis : Omnia in manu Dei sunt et nos de manu ejus recepimus, jugi meditatione considerantes, advertimus quæ et quanta de manu Domini ex ejus largiflua bonitate receperimus licet immeriti; sollicite ac interne, inspiratione nobis collata divinitus, sine qua nulla bona mens conceditur mortalibus, cogitare cepimus quomodo et qualiter de talento nobis tradito divinitus Regi Regum fructum de hoc circa sui famulatus augmentum redderemus cumulatum. Consideratis igitur universis æterni Patrisfamilias dispensatoribus, quibus

ANNUS 1320

in regionem longinquam cœlestis patriæ nobis parare locum abiens, vineam suam (sanctam videlicet Ecclesiam) exemplis et doctrinis pro sui nominis et laudis incremento excolendam, pia dispositione constituit; humilis et sancta Fratrum Ordinis Cartusiensis vita et religio, quæ quasi exemplar vitæ Salvatoris omnium in terris quondam pro nostra salute degentis relucens, vitam sui Præcursoris ac deinde Patrum Sanctorum, quorum vita et conversatio eorum regula dignoscitur, clare et præ cunctis clarius et singularius exprimens, nostræ considerationi se obtulit, et devota quodammodo occupatione mentem nostram sic diebus involvit et noctibus, quod felices nos existimavimus si nostra ad hoc faciente sollicitudine, expensisque ac opportunis laboribus suffragantibus, eumdem Ordinem et Fratres ad partes Rheni, nostræ videlicet diœcesis Moguntinæ ubi dictus Ordo adhuc penitus erat incognitus, deducere valeremus, ut plebs ibidem nobis commissa eorum sanctis erudita exemplis, suæ devotionis proficeret incrementis. Quæsita et inventa opportunitate, Fratres dicti Ordinis non sine ferventi desiderio ad nostram evocavimus præsentiam, ipsius nostræ devotionis diu conceptum propositum circa eos et eorum Ordinem proponendo. Deinde Fratribus et Ordini prædicto juxta decursum Rheni, in Rhingavia, in valle quæ Nova Domus dicebatur hactenus, locum pro monasterio construendo et Conventu ibidem perpetuo Deo famulando dedimus et donamus, ac eisdem Ordini et Fratribus pro habenda ibi mansione perpetuo juxta distinctionem et limitationem terminorum per nos factam, in præsentia multorum devotorum et fidelium nostrorum, cum in dicto loco in honorem Omnipotentis Dei et gloriosæ genitricis Virginis Mariæ Sanctique Joannis Baptistæ, lapidem erigerimus fundamenti, et cum eumdem locum appellandum de cætero felici intitulatione Vallem Sancti Petri intitularemus ; quæ distinctio seu limitatio a fontibus inclusis usque ad finem pratorum dictæ vallis mediis hinc interclusis, videlicet agris, pratis, pascuis, rivulis et sylvis, et usque ad summitates montium quæ a

*Cartusiens. Ordinis præconium.*

ANNUS 1320

transeuntibus in valle videri possunt et non ultra se extendit, præsentis scripti patrocinio confirmamus : volumus tamen ut in nemoribus adjacentibus pleno participio lignorum et pascuis pro suis necessitatibus perfruantur, et ut dictus locus juxta nostram solemnem intitulationem Vallis Sancti Petri, ut prædiximus, appelletur. Et licet Ecclesiæ nostræ Moguntinæ ea sollicitudine et diligentia, prout decuit, Deo auxiliante præfuimus, sed potius notabiliter apparenterque possessionum et redituum sub nostro felici regimine profecerit incrementis, in fundatione tamen dicti monasterii quod pro remedio animæ nostræ fundavimus, nihil penitus de bonis dictæ Ecclesiæ nostræ Moguntinæ, quam solum locum, nulli prorsus utilitati sed cuidam venationi, imo potius vagationi deditum abstulimus, sed proventus de quibus dicti Fratres sustentari debent, eis de bursa nostra comparatos, duximus largiendos. Dedimus siquidem dictis Fratribus et donamus in villa Eschbach superiori tertiam partem decimæ, item in Eschbach inferiori de quibusdam agris viginti et quatuor octalia siliginis et tres modios, novem octalia avenæ et sex pullos æstivales. Item in terminis villæ Haussen de quibusdam agris et pratis duo maldera siliginis, tres modios et dimidium papaveris ; item ibidem quædam prata et nemora ; item de decima in villa Weilbach centum maldera siliginis, duo maldera pisarum, XXIV saccos avenæ mensuræ Moguntinæ, duas libras Hallenses.... Item quamdam insulam Reni, quæ est ex opposito villæ Waldassen ; item quosdam reditus in Ingelheim et Osterich, qui sunt devoluti ad nos per mortem Joannis presbyteri ex Hospitali in Oppenheim : quæ ipsis omnia et singula pro sustentatione eorum perpetua elargimur. In cujus rei testimonium et perpetui roboris firmitatem, præsentes litteras sigilli nostri appensione duximus communiri. Actum et datum Moguntiæ anno Domini 1320, XII Kalend. Junii. »

*Vallis S. Petri intitulatur*

DOMUS LUPATORIÆ INCHOATUR.

X. Alia, dum hæc geruntur in Germania, surgit Ordinis Domus, Lupateria (La Louvetière) dicta, Carcassonensis diœcesis, in Aquitaniæ provincia, quæ Historiographum habuit

nostrum Amabilem Chatard, e cujus manuscripto sequentia eruimus : ANNUS 1320

« Lupateriæ Domus, prius de Bello (forte per antiphrasim) loco nomen accepit; sed quia verborum vetus interit ætas, usu temporis Lupateriensis potius, a Lupateria sylva in cujus medullitis erecta fuit, velut a notiori appellata est; quæ quo primum ac præcise anno cœperit incompertum est : constat autem eam circa millesimum ter centesimum et vigesimum annum a reverendissimo domino Petro de Rupeforti, Carcassonensi episcopo, ipsomet a quo producta fuerat, extinctam, et a Summo Pontifice Joanne, hujus nominis vigesimo secundo, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo tertio ab interitu revocatam fuisse hoc ordine :

*Prius dicta de Belloloco.*

« Præfatus Carcassonæ præsul Petrus, perspecta Cartusianorum Ordinis et Religiosorum forma et fama, et arcto vitæ instituto, teneri cœpit desiderio eorum uno conventu suam diœcesim ornandi : unde et aptum quærens vitæ eorum solitariæ locum, in suam Lupateriensem sylvam injecit oculos; quæ in Occitana provincia et Carcassonensi diœcesi juxta Fontiani territorium constituta, duarum circiter leucarum ambitu, patulis quercuum fagorumque arboribus ac densis veprium et spinarum frutelis conferta, horrorem viatoribus (ut est publica versus Castras et Carcassonam via) non modicum præbet; ferarum potius lustrum quam hominum nisi forte misanthroporum domicilium : unde et ab illis ac potissimum a lupis habet nomen. Est autem in medio nemore (velut ossium medulla), vallis perexigua, hyeme nimis rigida, æstate autem satis jucunda, habens in septemtrionali parte fontem, cui *Brugidorce* nomen est, limpidum ac perennem qui eam influit, et a meridie eam dimittens, per declivem locum in rivuli ea parte prolabentis canalem dirivatur : delitiæ quidem illic præter fontem, rivulum et pratum, nullæ; non horti, non vineæ, non segetes, non frugiferæ arbores, sed aspectus circumquaque collibus ac inciduis insuper arboribus sic conclusus, ut desuper et a lateribus nihil videatur aliud nisi cœlum undique et undique sylvæ; frigoris asperitas et

*Locus horridus,*

*Mediis sylvis redactus.*

ANNUS 1320

nivium congeries magna et diuturna, cum cœli ardorem et Austri perflatum excelsæ arbores in orbem repellant; nullaque omnino ad humanæ, minus autem Cartusianæ vitæ subsidium commoda præter lignorum copiam ad repellendum frigus existant; urbes insigniores procul; oppida viciniora una saltem leuca dissita; quæ omnia in unum congesta vallis horrorem insigniorem reddunt. Hæc (ut omnis sylva) cum de Episcopalis mensæ dominio esset, in sui angulo et angusta area castrum habebat, cujus hac tempestate solæ supersunt maceriæ, cui præter pratelli virorem sola erat jucunditas, solum a sylvis emolumentum : hoc quidem ad venationem et ignem amplissimum, illa vero permodica, et a vicinis nimium arboribus adeo coarctata ut exinde tres velut pateat cœli spatium non amplius ulnas.

« Eo nihilominus frequenter satis Episcopus Carcassonensium turbarum et curarum affectus tædio, animi relevandi et ad Deum reducendi causa, æstivo potissimum tempore cum modico equitatu et familia divertebat : et cum illic socios ad Deum debitis extollendum præconiis quæreret, in Cartusienses, præcipuos tunc temporis solitariæ vitæ professores et indefessos divinarum laudum præcones, mentis desiderium et oculos direxit. Et protinus non longe a castro suo, ac solo prato intermedio, in editiore vallis loco qua ad occidentem vergit, ecclesiam in honorem Beatæ Mariæ de Belloloco a se nuncupatam, et cellas modicis expensis quamprimum construxit; omniaque brevi spatio contenta, muro ex duabus partibus ambiente a meridie scilicet et occidente conclusit, cum ex aliis partibus ecclesiæ et cellæ sine hortis ambitum monasterii seipsis efficerent. Ipsa vero ecclesia intra claustri spatium exstructa et cellis per quadratum xystum (ut moris est Cartusiensibus) circumvallata, illarum aspectum ex parte intercidens, loci angustias ostendebat; quem ne ullo careret commodo una re non neglecta ornavit Episcopus, cum collectis subtus monasterium (in medio prato ubi declivis subsidit locus) a fonte aquis, vivarium ad alendos si posset fieri pisciculos effecit. »

*Cellæ ædificantur.*

ANNUS. 1320

DOMUS MONACHORUM DE GOSNAYO FUNDATUR.

XI. Cartusiam Monachorum Vallis Sancti Spiritus hoc anno fundatam prope oppidum de Gosnay, non longe a Bethunia, in provincia Picardiæ et Atrebatensi diœcesi, sibi vindicat nobilis magister Thericus Dherico* vel d'Herico, Gallus, ex ducatu Borboniensi, dominus locorum de Heritione, Montelucio, de Vallo, de Champiniaco, de Bouqueto, de Guilliaco et cætera; clericus D. illustrissimi Roberti comitis Atrebatensis, et serenissimæ dominæ Mathildis ejus filiæ; et tandem, anno 1327, episcopus Atrebatensis prout constat in suo testamento sub his verbis : « Sepulturam meam eligo in ecclesia Domus Vallis Sancti Spiritus in Gosnariis, Ordinis Cartusiensis; quam quidem Domum ego in honore omnipotentis Dei, et reverentia beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ matris ejus et beati Joannis Baptistæ, ob remedium animæ meæ et parentum meorum, specialiter charissimi Domini mei Roberti quondam bonæ memoriæ comitis Atrebatensis, in bonis temporalibus præcipui creatoris mei, et excellentissimæ et charissimæ Dominæ meæ, dominæ Mathildis ejus filiæ, quæ mihi multa bona fecit et honores, de bonis propriis fundavi, ædificavi, et dotavi de centum libris terræ redditualibus turonensibus, quas eidem Domui et Fratribus inibi perpetuo Domino famulantibus assignavi in certis, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur; quibus Fratribus et Domui, in augmentum cultus divini et sustentationem Fratrum inibi Domino famulantium, legavi et lego totam terram quam ego acquisivi apud la Boussiére a domina de Huluch percipiendam et habendam ex nunc hæreditarie ac in perpetuum eisdem pacifice et quiete, prout in litteris quas habent super hoc plenius continetur, et in diplomate hujus Comitissæ. » Postmodum vero dictus Præpositus*, ad Dei laudem et honorem gloriosæ Mariæ matris ejus et B. Joannis Baptistæ, remediumque animarum charissimi genitoris sui et suæ, suorumque parentum et benefactorum, instauravit et ædificavit quoddam monasterium vocatum Vallem Sancti Spiritus, in viridiario (seu horto muris clauso) sito ante dictum castrum, Ordinis Cartusiensis.

* *Al.* d'Hérisson Herissonius.

*Ex Historia ms. hujus Domus.*

*Thericus d'Herico fundator.*

* Ecclesiæ Ariensis.

ANNUS 1320

*Mathildis comitissa fundatrix.*

« Vindicat et sibi serenissima illa Mathildis hanc fundationem, ut in Instrumento dictæ fundationis patet : « Excellentissima (inquit) ac potens Princeps bonæ memoriæ, Mathildis comitissa Atrebatensis et Burgundiæ, Palatina, ac domina Salinensis, ex pura devotione mota, aspiciens tamen ad retributionem vitæ æternæ, et cum consilio magistri Therici Dherico, qui dum viveret Præpositus erat ecclesiæ collegiatæ Ariensis et postea episcopus Atrebatensis, ejus secretarius et consiliarius, ædificavit monasterium Vallis Sancti Spiritus extra Gosnaiium, circa annum 1320, ecclesiam videlicet, parvum claustrum, Capitulum, refectorium tredecimque cellulas ad honorem Dei, gloriosæ Virginis Mariæ Sanctissimique Spiritus, voluitque illud appellari monasterium Vallis Sancti Spiritus prope Gosnaiium, quod completum est triennii spatio. »

« Quidquid sit, ædificaverat ille Reverendissimus Episcopus castrum de Gosnay suis propriis misionibus et expensis, quod anno 1325, donatione inter vivos dedit Mathildi. « Notum facimus (ait illa Comitissa in suo diplomate) universis præsentes litteras inspecturis, quod cum olim dilectus et fidelis clericus noster magister Therricus de Hiritione, præpositus Ariensis, castrum de Gosnay prope Bethuniam, Atrebatensis diœc., cum appenditiis et pertinentiis ejusdem castri, etc., fecerat et viridiarium ejusdem castri, prout se extendit de longitudine et latitudine, cingiturque muris circumquaque ; in quo viridiario accidit ut olim in palatio Vallis Viridis prope Parisios, et sic desinit vocari viridiarium Castri sed viridiarium Mali Spiritus ; et quia vim vi repellere licet, constructum est ibi monasterium Vallis Sancti Spiritus, ut propria potestate invasorem ad inopiam redigeret, illumque ad Tartareas dejiceret flammas : venit ergo novus Imperator qui vidit et vicit, malos male perdidit, et vineam suam de Gosnay locavit agricolis Cartusiensibus, qui reddant ei fructum temporibus suis. »

FUNDATIONEM EPISCOP. ATREBATENSIS APPROBAT.

XII. « Ut autem juxta Chronicon Domus, constructio novæ cartusiæ valida fieret, dominus Theodoricus instanter rogat

Reverendissimum episcopum Atrebatensem Petrum, ne cunctaretur decretam fundationem cognoscere, atque si ita sibi visum fuerit, approbare. Reverendissimus Episcopus, his acceptis litteris, quamprimum deputavit Reverendum dominum Uthericum, Vicarium suum generalem in temporalibus et spiritualibus, pro plena informatione negotii ; qui cum omnia diligenter exsequutus fuisset ac sigillo Vicariatus Curiæ Atrebatensis roborasset, tradidit Episcopo tertia Novembris anno 1320. Unde ad instantem supplicationem domini Theodorici, omnia diligenter inspexit ac mature examinavit cum omnibus et singulis contentis in prædictis litteris Vicariatus. Quapropter sua autoritate ordinaria, pro se et successoribus suis, tanquam provide et pie atque canonice facta laudavit, approbavit atque confirmavit, quarta Julii anno Domini 1322, suumque consensum benevolum et assensum in his interposuit pariter et decretum ; ac in ejus rei testimonium et memoriam perpetuam et munimen, præsentibus litteris sigillum suum apponi curavit anno et die quo supra. Quibus rite et juridice peractis, Reverendus admodum Theodoricus, populorum cum magno concursu gratulatione et applausu, continuo hujus sanctæ Domus fundamenta jecit circa medium Julii, anno ut supra, et quia locus prius vocabatur : Vallis malorum Spirituum, ab infestatione eorum, mutato nomine appellari voluit *Vallis Sancti Spiritus*.

ANNUS 1320

« Constructa itaque ecclesia, et aliis ædificiis ad formam Ordinis fere absolutis intra biennium, Reverendus admodum fundator Theodoricus mandat Reverendo Patri Aymoni se magno teneri desiderio ut Ordini incorporaretur, divinumque Officium ibidem inciperetur.

*Domus incorporatur Ordini.*

« Quibus intellectis, Reverendus Pater anno Domini 1324, sedente Capitulo, præficit Priorem huic novæ plantationi D. Joannem N., sine cognomine, ut erat simplicitas antiquorum Patrum, Convisitatorem Picardiæ, virum plane religiosum, pium, modestum, prudentem et exemplarem ; et hic adveniens, cum Monachis a Capitulo deputatis, animum fundatoris primo suo occursu ita sibi devinxit, ut præ nimio

ANNUS 1320

cordis gaudio statim ruerit in oscula singulorum; post, dulcia colloquia. Audiens ab eis pius fundator Theodoricus nihil sibi jucundius fore post quietem dilectæ solitudinis, quam divinis interesse laudibus, confestim urget ab Episcopo consecrationem loci. Adest igitur reverendissimus episcopus Petrus, circa finem Septembris hujus anni 1324, cum numerosa tam Ecclesiasticorum quam Nobilium turma; ac prima Octobris, in honorem Sancti Spiritus hæc Domus dedicatur, et ecclesia consecratur ad laudem et gloriam Dei et Beatæ semper Virginis Mariæ ac sancti Joannis Baptistæ, sub patrocinio S. Georgii martyris, patroni castri adjacentis; Comitissa Mathilde præsente ac mirum in modum exultante.

*Ecclesia consecratur.*

« Sequenti die, secunda scilicet Octobris, ecclesia hujus pagi de Gosnay ab eodem Episcopo consecratur ad honorem Dei ac Beatæ semper Virginis Mariæ, sub invocatione et patrocinio beati Leodegarii episcopi et martyris, cujus festivitas eo die celebrabatur, in magna populorum frequentia.

« Supra modum autem pius fundator Theodoricus ineffabili perfunditur gaudio dum videt votum suum quod tam diu animo conceperat adimpletum; et locum illum jam non Vallem malorum Geniorum ut antea, sed Vallem benedictionis, Vallem Spiritus Sancti, cujus cœlesti rore fecundata, tot viri virtutum, tot sancti Religiosi procreandi erant; nec spes eum fefellit, ut in sequentibus manifeste apparebit. Mirabatur enim in primis illis Patribus nostris, quos adoptaverat in filios, tantam modestiam, devotionem, jucunditatem, in divinis fervorem, ut verius se Angelos adoptasse cerneret quam homines.

*Concursus populi.*

« Igitur eodem die consecrationis templi, in tam nobili et celebri frequentia quæ cum Episcopo confluxerat ad hanc solemnitatem, cœptæ sunt Patribus nostris laudes divinæ, cum tanta animi devotione, cordis alacritate et vocis jubilatione, ut omnes in admirationem rapti, eorum pietate, modestia ac corporis religiosa compositione (qui erant velut albæ statuæ immobiles stantes in sedibus suis, solo motu labiorum excepto) vix satiari poterant; tanta rei novitate, primum qui-

dem ut fit, curiose contemplantes, deinde attoniti admirantes, ad invicem dicebant : « Utique Angeli sunt isti ». Unde plures moti eorum pietate, contulerunt de bonis suis ut piis eorum orationibus in æterna retributione juvarentur; inter quos fuit præcipuus Joannes de Blanquerape, Bethuniensis, qui dedit Patribus nostris in puram eleemosynam ac dono irrevocabili pro salute animæ suæ, viginti quinque mencodatos terræ sitos circa villam de Werquinœul. In quibus omnibus ineffabili afficitur gaudio pius fundator Theodoricus, simulque admiratur Dei providentiam qui tam felicibus auspiciis dignaretur locum sibi vindicare. At maxime hic paruit Mathildis munificentia, qua non solum omnes istas donationes approbare, verum etiam animo voluntario amortizare voluit et de bonis propriis amplificare, ac in perpetuam rei memoriam sigillo suo parvo et magno munire, in castro de Gosnay, anno 1325, die S. Georgii, martyris.

ANNUS 1320

THEODORIC. ELIGITUR EPISCOPUS.

XIII. « Interea dum deliciatur dominus Theodoricus in hac terra jam antea sterili et quasi maledicto proxima, nunc vero horto deliciarum ac voluptatis immensæ et Paradiso Angelorum (sicut appellabat Religiosos quos adoptaverat in hac valle Sancti Spiritus), hoc est inter filios Spiritus Sancti pietate plenos, diem clausit extremum Reverendissimus dominus episcopus Petrus, bonæ memoriæ, post duos annos a consecratione nostri templi. Cum ageretur de eligendo Episcopo, solus Theodoricus dignus est habitus cujus locum occuparet, summo Mathildis gaudio ac totius vulgi exultatione. Consecratur itaque solemniter in Cathedrali ecclesia Atrebatensi, concurrentibus populis et fausta acclamantibus, nec ipsa Comitissa defuit tantæ solemnitati propter dilectionem qua ad ipsum ferebatur.

« Post consecrationem pius Pastor totius gregis visitationem instituit ; qua peracta vir Dei descendit ut benediceret etiam domui suæ ; quod audientes filii occurrerunt venienti, ac humi prostrati optatam impetrant benedictionem, tum demum amplexatus singulos dixit : Patres mei ac filii dilectissimi, gaudium meum ac corona mea, testis est mihi Deus quomodo

ANNUS 1320

a multis annis ardenter vos desideravimus, et jam non sum fraudatus expectatione mea. Gaudeo igitur et iterum gaudebo de vestra religiosa conversatione ; ut autem habeatis certum dilectionis meæ testimonium, ecce impetravi vobis Apostolicam benedictionem cum Indulgentiis, nec solum vobis, sed et omnibus ut participes fiant consolationis nostræ ; tunc protulit diploma Apostolicum :

*Bulla Joannis XXII Indulgentias largientis.*

« Joannes, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Virgo venustissima et omnium virtutum floribus insignita, Virgo Dei Genitrix gloriosa, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, cujus precibus juvatur populus christianus, florem pretiosissimum, immarcessibilem et æternum Dominum nostrum Jesum Christum, humani generis Redemptorem, ineffabili Spiritus Sancti cooperatione produxit. Ob cujus reverentiam Virginis, loca ejus vocabulo insignita, sunt a Christi fidelibus merito veneranda, ut ejus piis adjuti suffragiis æternæ retributionis præmia consequi mereantur. Cupientes igitur ut ecclesia Domus de Gosnay Cartusiensis Ordinis, Atrebatensis diœcesis, ejusdem Virginis vocabulo insignita, quam Venerabilis frater noster Theodoricus episcopus Atrebatensis ad honorem Dei et Beatissimæ Matris ejus fundasse, et ei sufficientes dotes de bonis propriis assignasse dicitur, congruis honoribus frequentetur, omnibus pœnitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in ejusdem Beatæ Virginis ac beati Joannis Baptistæ festivitatibus, centum, eis vero qui per octavas ipsarum eamdem ecclesiam venerabiliter visitaverint, annuatim, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli autoritate confisi, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis relaxamus. Datum Avenione, Kalendis Septembris, pontificatus anno duodecimo, et anno Domini 1327.

« Mox affiguntur ipsæ Pontificis litteræ, quibus promulgatis, fit magnus concursus vicinorum ad ecclesiam nostram, non sine notabili Domus nostræ emolumento : jam enim religiosa Patrum nostrorum conversatio ubique percrebuerat.

ANNUS 1320

Adveniéntes omnes vix poterant satiari in consideratione tantæ devotionis, contemplabantur enim Patres nostros psallentes cum magna animi devotione et vultus serenitate ac corporis religiosa modestia ac compositione, sicut est laudabilis consuetudo : et ita admirantes sibi invicem dicebant : Deus est in loco isto, attoniti tanta rei novitate.... (Et post pauca Chronicon pergit in his verbis) : Cum advenientes omnes pro consequendis Indulgentiis tantam in Patribus pietatem mirarentur, curiosius intrantes claustrum non habebant spiritum, toti attoniti, dicentes : O Deus, quis unquam vidit huic simile ! Non est transitus neque clamor in plateis eorum. Si quibus licuit cellas intrare, stupentes considerabant illos totos inclusos cum Deo ac quasi consepultos intra quatuor parietes unius cellæ. Quare, exclamantes dicebant : O vere felices ! o ter beati Religiosi illi quorum conversatio semper est in cœlis ! Plurimi vero congratulabantur piissimo nostro Fundatori pro tam fructuosa ista fundatione, alii laudabant et felicem illum prædicabant quod tam familiariter sancto illorum frueretur contubernio... Sed non diu fruiti sunt hac consolatione sua Patres nostri, nam crudeli Parca superveniente ac incidente filum vitæ, decidit in languorem ; quo ingravescente, intelligit bonus Præsul se vocari a Domino. Congregatis itaque filiis, declarat quanto animi ardore fundationem istam susceperit, et cum Dei auxilio ad perfectum opus adduxerit. Et nunc ut videtis, o filii ac Patres mei dilectissimi ac desideratissimi, ingredior viam universæ carnis ; hoc unicum a vestra sanctitate deprecor ut memores sitis fundatoris vestri in orationibus, corpusque meum terræ reddite sicut ordinavi. Tunc, dispositis rebus suis ac testamento firmatis, descendit ad eum Mathildis quam ille instanter rogat ut dignaretur executionem testamenti suscipere sicut disposuerat, insuper et curam habere filiorum quos a quatuor annis adoptaverat. Non solum illa annuit ejus voluntati, sed amplius promittit dotem non parum aucturam, uti mox apparebit. Ita pius Præsul placide et pie inter orationes et suspiria filiorum emoritur mundo ut cæterum viveret cœlo,

*Inde concursus populi augetur.*

*Theodoricus moritur.*

ANNUS 1320

anno Domini 1328, secunda Novembris, Pontificatus anno primo et unico ; sepultus in tumulo ante summum altare elevato, in cujus circuitu inscribi voluit magno caractere, propter firmam spem quam habebat gloriosæ resurrectionis : Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum ; et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

« Plurimum hic dolendum quod scriptor Episcoporum Atrebatensium illius gesta tam breviter contraxerit.

HORTUM CONCEDIT MATHILDIS.

XIV. « Interea mœstis Patribus occurrit generosa princeps Mathildis ; solatur, erigit, polliceturque se optimam matrem deinceps ac fundatricem illis fore, eo quod illi multum placeret conversatio nostra. Quare illorum inopiæ consulere volens cum locum non haberent commodum pro horto olerum, alvetum illis dedit ut expresse habetur in ejus litteris in castro de Gosnay sigillo ejus munitis :

« Nos Mathildis comitissa Atrebatensis et Burgundiæ palatina ac domina Salinensis, etc... universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Attendentes quod Religiosi viri Prior et Conventus Domus Sancti Spiritus Ordinis Cartusiensis prope Gosnaiium, quam Domum reverendissimus in Christo Pater bonæ memoriæ dominus Theodoricus episcopus Atrebatensis ibidem fundavit, secundum Regulam Ordinis sui, aliquo tempore in cœna nisi solo pane cum herbis et fructibus uti possint, locumque aptum non habeant ubi plantare valeant herbas hujusmodi vel habere in puram eleemosynam : ad divini cultus augmentum, pro nobis et successoribus nostris, ac animæ nostræ remedio, quemdam alvetum situm desuper hospitale, sive Domum Dei contiguam Domui Cartusiensi prædictæ, itinere intermedio, quem quidem alvetum acquisivimus a Gervasio de Gere et Margareta de Gosdineul ejus uxore, continentem unam mensuram cum dimidia vel circiter, ad opus quod supra, eisdem Fratribus ibidem Domino famulantibus, ab ipsis et eorum successoribus in perpetuum tenendum et possidendum tenore præsentium concedimus et donamus. In cujus rei testimonium

his præsentibus litteris sigillum nostrum apponi fecimus. Actum in castro de Gosnay die 14 Januarii 1329.

ANNUS 1320

*Et paulo post obiit.*

« Cum adhuc multa sperarent ab ejus munificentia Patres nostri, vigesima septima Novembris hujus anni 1329 clausit diem extremum ipsa generosa domina Comitissa Mathildis, magno Patrum nostrorum dolore ; nec immerito, videbant enim se orbatos esse fundatore et fundatrice infra annum. Verum Venerabiles Patres sui Prioris piis sermonibus animati consolantur, et quia vir prudens erat, voluit mederi eorum mœrori non solum verbis sed magis donis spiritualibus. Idcirco impetravit a Summo Pontifice supradicto omnes Indulgentias quas hactenus concesserant omnes prædecessores ejus Ordini Cartusiensi, data sequenti bulla :

ALIA BULLA JOANNIS XXII.

XV. « Joannes episcopus, servorum Dei, dilectis filiis Priori et Conventui monasterii Vallis Sancti Spiritus per Priorem soliti gubernari, Ordinis Cartusiensis, Atrebatensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Annuere consuevit Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut privilegiis, immunitatibus et gratiis quibuscumque Ordini vestro Cartusiensi ab Apostolica Sede concessis et in posterum concedendis gaudere et uti libere valeatis, vobis tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo.... Datum Avenione, Kalendis Novembris, Pontificatus nostri decimo septimo, anno 1331.

« Idem Pontifex manifestare volens affectionem quam habebat pro Domo nostra, exemit eam a decimis ; unde ut firmaretur istud privilegium, commissus fuit a rege Franciæ Philippo anno Domini 1331, XXII Julii, Thomas de Sentiliaco collector decimarum ac perpetuus capellanus in Ecclesia Atrebatensi, ac deinde anno 1338, decima Octobris, ab Officiali curiæ. Postremo fuit confirmatum a Carolo rege Franciæ in Vincennii nemore anno 1369, XIX Januarii. In quibus omnibus manifeste declaratur in quanta æstimatione et veneratione erat apud Pontificem et tantos Principes Patrum nostrorum religiosa conversatio. »

ANNUS 1320

THEOBALDUS ANGLUS, SCRIPTOR.

XVI. Floruit hoc tempore Theobaldus, natione Anglicus, professione Cartusianus, cujus non meminit Petreius noster in sua Bibliotheca Cartusiana. Pervolvit labore infatigabili Sacram Bibliam legitque Vitas Sanctorum primitivæ post Christum Ecclesiæ, scrutatusque est Historias ecclesiasticas sequentium ætatum : collegit denique et in unum volumen (sub titulo : *De progressu Sanctorum Patrum)* redegit omnium pene sanctorum hominum præclare gesta ab initio mundi usque ad suum tempus. Scripsit etiam librum *De Vita contemplativa.*

DALPHINA BEATRIX, SOROR ORDINIS NOSTRI

XVII. In Charta hujus anni precibus Ordinis commendantur Joannes dalphinus nuper defunctus, et dalphina Beatrix Hungariæ regis filia, prædicti Joannis vidua ; quæ postea Saletarum parthenium est ingressa ut constat ex Charta 1331 in qua Ordinis nostri soror vocatur : « Item inclytæ memoriæ dominæ B. de Ungaria, dalphinæ Viennensi, *Moniali Balmæ,* conceditur quod pro ipsa dicatur in qualibet Domo una Missa de Spiritu Sancto, et quilibet Monachus et Clericus Redditus septem Psalmos cum Litaniis semel dicat, et quilibet laicus centum *Pater noster.* »

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1321.

Joannis PP. XXII Ann. 6. | Ordin. Cartus. Ann. 238. | Aymonis Pr. Cart. Ann. 9.

I. ANNO Christianæ salutis millesimo trecentesimo vigesimo primo, Indictione quarta, Patres Diffinitores optimum ac nostro Ordini honestum judicarunt, si cartusia, quam ab annis circiter quadraginta in Hibernia erectam vidimus, penitus desereretur. Id patet ex fragmento Chartæ capitularis, in qua de defectu hujus Domus hæc legimus : « Priores Angliæ veniant ad Capitulum generale statuto tempore (annis videlicet bissextilibus), et de Domo Hiberniæ extrahant quidquid poterunt in reditibus et pecunia, cum sit inutilis Ordini, et hoc faciant de consilio peritorum : nec ulterius mittantur monachi ad eamdem, nisi forte ad tractandum de prædicta permutatione facienda. » Cum quibus vero fuerit illa permutatio facienda non habemus, nisi forsan cum Equitibus Jerosolimitanis, in quorum gratiam hanc Domum, ante quindecim annos, distractam fuisse vidimus, sed, ut ex his conjicere est, sine ullo fructu aut effectu ; quam tamen circa istud tempus sortitam fuisse verisimile est : nulla enim posthac de eadem cartusia mentio inter Nos facta est. Cum ante aliquot annos Georgium Transamum, virum religiosum ac doctum, Anglorum Cartusiensium Priorem, de hac cartusia consuleremus, ipse nesciens an ea unquam extitisset, respondit : « se arbitrari « nunquam fuisse cartusiam in hac regione, » et hanc causam attulit, nempe « quod licet gens illa in montibus et sylvis nata

CARTUSIA HIBERNIÆ DESERITUR.

Vide ann. 1279.

Vide ann. 1306.

ANNUS 1321

et educata sit, mirum tamen in modum hominum societate delectatur ; et ipsa natura abhorreat a Cartusiana solitudine ». Nec temere id protulit, cum graves Historicos illius opinionis autores dare possimus. Sylvester Giraldus mores, naturam et cultum Hibernorum, ante annos fere quingentos describens, eos vocat : « gentem inhospitam, a primo pastoralis vitæ vivendi modo non recedentem, summas reputantem delicias libertate gaudere. » Sed Polydorus Virgilius duo hominum genera in universa Hibernia agnoscit : unum incultum et asperum, qui a neglectiore cultu rusticisque moribus sylvestres appellantur ; alterum genus, mite et urbanum. Ad hos, ut magis tractabiles, frequenter navigant vicinitatum Continentis mercatores negotiandi causa, et imprimis Angli, quorum mores illi facile imbibunt cæterorumque hominum familiaritate oblectantur. His potissimum de causis, hujusmodi homines, ut plurimum religiosæ solitudini impares sunt. Unde non mirum si nec inter civiliores neque inter sylvestres Hibernos, Cartusienses diutius morari potuerint. Ex hac tamen gente a nostro quantumvis Instituto aliena prodierunt identidem viri sancti, vitæ solitariæ adeo addicti, ut merito antiquis anachoretis comparandi sint. Inter eos non ultimum meretur locum, beatus ille vir Guillelmus Tynzbius cartusiæ Londoniensis professus, cujus mirandam vitam suo dabimus loco. Diu etiam ante eum, inter nos emicuerat, vir ille admirabilis Tundalus ejusdem nationis, de quo jam alibi diximus.

Sylv. Gir. Topogr. Hiberniæ part. 3. c. 10.

Polyd. Virg. lib. 13 et 26.

Vide ann. 1149.

HENRICUS DALPHINI CARTUSIAM MAJOREM TUETUR.

II. Hoc anno, Henricus, Dalphini patruus et tutor, in gratiam Majoris Cartusiæ sequentes scripsit litteras :

« Henricus dalphini, Dei et Apostolicæ Sedis gratia electus Metensis, regens Dalphinatum, universis et singulis Baillivis, Judicibus, Castellanis, Præpositis, Mistralibus, Cellarariis et cæteris familiaribus ac subditis nostris, salutem et dilectionem sinceram. Vobis universis et singulis damus per has litteras nostras patentes in mandatis, quatenus Domum Cartusiæ, Fratres, familiares, suspicione carentes in Dalphinatu, bona et res quascumque, ubicumque sint et undecumque

ANNUS 1321

sint, custodiatis. . . . . Præcipientes insuper vobis quatenus Priores quoscumque dicti Ordinis Cartusiæ, libere et sine aliqua injuria transire et ire per dictam terram nostram permittatis. Datum die 27 mensis Aprilis, apud Gratianop., anno 1321. »

ASSOCIATIO INTER CARTUSIAM LUVINIACI ET ABBATIAM LONGIVADI.

III. Hoc etiam anno, Joannes de Mota Prior cartusiæ Luviniaci et Conventus illius fœdus spiritale sanciverunt cum Guidone abbate et Monachis Longivadi, Ordinis Cisterciensis ; sanctam associationem approbantibus Aymone Priore Cartusiæ et cæteris Capituli generalis Diffinitoribus, ut ex sequentibus litteris apparet :

« Universis præsentes litteras inspecturis F. Guido dictus abbas de Longovado Ordinis Cisterciensis, Lingon. diœcesis, totusque ejusdem loci Conventus, salutem in Domino sempiternam. Quia omne bonum in commune deductum pulchrius elucescit, et orationum incensum tanto dulciorem odoris suavitatem aspergit, quanto totius se effundit; volentes nos et Priorem et Conventum Luvigniaci Ordin. Cartus., Lingon. diœcesis, sicut locis, ita animis, amicitiis et beneficiis esse nexu indissolubili copulatos, talem inter nos et ipsos societatem concordavimus : quod quotiescumque obitus alicujus Monachi, Conversi vel Redditi de Luvigniaco prædicto nobis fuerit nunciatus, quilibet sacerdos de Conventu nostro unam Missam privatim pro dicto mortuo celebrabit. Abbas vero primam Missam celebrare tenebitur in conventu. Illi autem qui non sunt sacerdotes unum psalterium, et Conversi ter centies orationem dominicam dicere tenebuntur pro eodem. Cum vero obitus alicujus Monachi nostri vel Conversi Priori et Conventui Luvigniaci prædictis fuerit nunciatus, Priore pro mortuo nostro primam Missam in conventu celebrante, singuli sacerdotes unam Missam privatim celebrabunt; singuli non sacerdotes unum psalterium, Conversi et redditi 300 *Pater noster* pro eodem mortuo dicere tenebuntur, sicut de nostris superius est expressum. Nos vero prædicti Prior et Conventus Luviniaci, volentes prædictam societatem firmam et stabilem permanere, supplicavimus Reverendis in

ANNUS
1321

*A Diffinitoribus approbatur.*

Christo Patribus D. Aymoni Priori Cartusiæ cæterisque Diffinitoribus Capituli generalis Ordinis nostri, sine quorum licentia hoc a nobis fieri non poterat ordinate, quatenus prædictam societatem approbarent. Et nos Prior et Diffinitores prædicti, istam societatem laudabilem stabili firmitate permanere volumus, et etiam confirmamus et approbamus. In cujus rei testimonium sigillum Capituli generalis cum sigillis utriusque Domus præsentibus litteris duximus apponi, anno Domini 1321, tempore Capituli generalis. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1322.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 7. | Ann. 239. | Ann. 10. |

I. SEQUITUR Christi annus millesimus trecentesimus vigesimus secundus, Indictione quinta, quo Alipdis de Monte acuto, domina Sancti Mauritii-Tirouaille, filia Guillelmi de Monte acuto et Mariæ de Barris, uxor vero Guillelmi de Juniaco, ob tanta beneficia cartusiæ Vallis Profundæ concessa nomen fundatricis ab Ordine meruit accipere. Anno 1332 per Chartam Capituli generalis precibus Ordinis commendatur his verbis : « Recommendatio dominæ Alexiæ, dominæ Sancti Mauritii, recipitur pro ipsa et pro domina Comitissa Hannoniæ pro qua rogavit; et orabitur pro ipsis, et recommendatur eidem Domus Vallis Profundæ quam velit promovere, et ejusdem negotia effectu semper dirigere salutari. » Anno vero 1335 quo obierat, die 27 (al. 28) Aprilis, ejus obitus denunciatus fuit in Charta his verbis : « Obiit nobilis domina, domina Sancti Mauritii fundatrix Vallis Profundæ, cui conceditur tricenarium per totum Ordinem. » Sepulta fuit in ecclesia hujus cartusiæ ante majus altare. Ejus beneficiorum memoria habetur in tabulario hujus Domus, ubi sequentes literæ reperiuntur de bonis hoc anno dictæ Domui concessis : VALLIS PROFUNDÆ BENEFACTORES.

« Universis præsentes litteras inspecturis, Alipdis de Monte acuto, domina Sancti Mauritii-Tirouaille vidua, perpetuam rei gestæ notitiam cum salute. Notum sit omnibus quod ego considerans et attendens quomodo Dominus noster pius et *Donatio Alipdis de Monte acuto.*

ANNUS 1322

misericors, mihi sua gratia de bonis suis temporalibus satis abundanter tribuerit, cupiens et affectans aliqua saltem modica retribuere de iisdem ad ipsius laudem et gloriam, et in honorem beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ matris ejus et B. Joannis Baptistæ et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei ; considerata etiam et veraciter cognita paupertate et insufficienti fundatione Domus Vallis Profundæ Ordinis Cartusiensis, Senonensis diœcesis, in augmentationem bonorum et redituum dictæ Domus, do et concedo Deo et eidem Domui Vallis Profundæ prædictæ ac Priori ac Fratribus in eadem institutis et instituendis, Domino perpetuo servientibus et servituris, pro remedio animæ meæ et nobilis viri Guillelmi de Joigniaco, domini Sancti Mauritii-Tirouaille dilecti consortis mei, nostrorum parentum, prædecessorum et successorum nostrorum, in perpetuam et puram eleemosynam, omnia quæ Gaudefridus de Trusiaco, armiger, vendidit nobili viro Guillelmo de Monteacuto et nobili mulieri dominæ Mariæ de Barris ejus uxori, carissimis parentibus meis defunctis : videlicet quamdam domum cum tota ejus porprisia et pertinentiis prout se comportat ante et retro et in lateribus cum terris circa dictam domum sitis, et cum omnibus ædificiis existentibus in porprisia antedicta a parte superiori ecclesiæ de Champigniaco... ; item quamdam petiam vineæ sitæ in eodem loco... ; item, quamdam petiam terræ sitæ in loco qui dicitur « es Tartillières »... ; item, duos denarios turonenses annui census percipiendos quolibet anno super quadam petia prati sita in loco qui dicitur « Felix »... ; item, quidquid ipse venditor habebat et habere poterat et debebat habere apud Champigniacum et in territorio et finagio ac pertinentiis de Champigniaco prædicto, sive sit in domibus, porprisiis, terris, pratis, vineis, hortis, virgulis, censibus, censivis, laudibus, vendis, emendis, sive sit in aliis rebus quibuscumque, prout continetur plenius in litera venditionis prædictæ. Devestiens me, hæredes meos, et a me seu hæredibus meis causam habentes et habituros, de omnibus et singulis prædictis datis et concessis ac de omni jure, dominio, posses-

*Hist. ms. Val. profundæ.*

sione et proprietate eorumdem. Et dictos Priorem et Fratres pro se et successoribus suis investiens per præsentes literas de eisdem ; et ad hæc omnia et singula supradicta hæredes meos et successores astringo, bonaque omnia mea obligo, et jurisdictioni ac coercitioni domini Regis Franciæ suppono penitus et submitto ; et ad omnes res et singulas supra garantizandas perpetuo contra omnes eidem Priori et Fratribus dictæ Domus qui pro tempore fuerint, obligo me, hæredes meos et successores quoscumque et omnia bona mea mobilia et immobilia, præsentia et futura, ubicumque sint et fuerint aut poterint inveniri, totamque terram meam cum fructibus et exitibus ejusdem et omnes reditus meos quoscumque. In cujus rei memoriam et testimonium sigillum meum præsentibus literis duxi apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, die sabbati ante Ascensionem Domini. »



Eodem quoque anno, præfata benefactrix donationum suarum confirmationem et amortizationem a Rege Franciæ obtinuit, ut ex sequentibus literis apparebit : « Karrolus Dei gratia Franciæ et Navarræ rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum Domina Sancti Mauritii nobis exponendum duxerit se donasse et concessisse pro sua et Guillelmi de Joigniaco quondam militis et domini de Sancto Mauritio maritique præfatæ Dominæ salute, religiosis viris Priori et Conventui Domus Vallis Profundæ, Ordinis Cartusiensis, 38 arpenta terræ arabilis vel circiter, ac decem arpenta pratorum cum uno arpento vineæ et una platea cum masura dudum ædificata, ac sex denarios annui et perpetui census ; quæ omnia præfata Domina se habere dicebat in parochia de Champigniaco, Baillivæ Senonensis, de nostro feodo moventia licet sub aliis dominis immediate teneantur : cumque præfata Domina nobis humiliter supplicaverit ut præmissis nostrum adjicere consensum, et donata concessaque ut præfertur prædicta taliter amortizare, quod eadem dicti Religiosi valeant in perpetuum possidere dignaremur : Nos, cognito per informationem super his de mandato nostro

*Literæ amortizationis Regis Franciæ.*

ANNUS 1322

factam de præmissis de eorum valore, et conditionibus, de commodo et incommodo nobis exinde perventuro et aliis circumstantiis circa hæc attendendo, habitaque super his consultatione debita, dictam donationem et concessionem ob causam prædictam commendantes et habentes gratam, consideratione divinæ collaudationis et Religionis salutaris quarum devotos incolas et ministros ope facultatum temporalium affectamus fulciri, ut proviso competenter eisdem de alimento vitali, in cœlestibus valeant tranquillius contemplari ; de speciali gratia concedimus per præsentes præfatis Religiosis, ad Dominæ supplicationem prædictæ, ut ipsi Religiosi et successores sui prædicta omnia donata et concessa, ut præmittitur, habere, tenere, et in perpetuum possidere ; suamque de ipsis ut de propriis voluntatem facere valeant, absque difficultate quacumque et omnimoda coactione, vendendi vel ponendi præmissa extra manus suas vel nobis successoribusve nostris : quod ut firmum sit et perpetuo valiturum, præsentes literas sigilli nostri fecimus impressione muniri, nostro in aliis et alieno in omnibus quolibet jure salvo. Actum in abbatia Pontigniaci, anno Domini 1322, mense Augusto. »

Deinde annis 1330 et 1334 alia bona immobilia adjecit Alipdis primæ donationi, pro anniversario suo et parentum suorum et mariti Guillelmi de Juniaco. Hic autem Guillelmus non fuit comes Juniaci sed filius minor natu Comitis Juniaci.

Audenardus de Monteacuto præfatæ Alipdis frater, fuit etiam benefactor hujus Domus in cujus Necrologio reperitur ad 29 Martii. Ad eum videntur referenda quæ habentur in Charta anni 1337 : « Orabitur pro Domino de Monteacuto et pro liberis ejus, et rogatur quatenus affectum quem ad nostrum Ordinem asserit specialiter se habere, ad Domum Vallis Profundæ pauperem effectu dirigat fructuoso. »

Hujus etiam Domus fautores annumerantur : Joannes de Bria Prior et professus hujus Domus cui multa bona fecit, ex Necrologio Domus ad 29 Martii ; vivebat an. 1331.

J. Cornu, miles, dominus Dordon, ex antiquissima et nobilissima Cornutorum familia, dedit omnia quæcumque possi-

debat in parœcia de Beon in qua sita est Domus hæc; Literæ donationis datæ sunt ann. 1336. Sepultus est in choro ecclesiæ et habet Anniversarium die 23 (al. 24) Aprilis. Pro eo forsan et pro aliis hujus Domus benefactoribus preces per totum Ordinem injunctæ sunt per Chartam 1348 in qua sic lego : « Pro omnibus benefactoribus Vallis Profundæ fiat unum tricenarium in singulis Domibus Ordinis, in quo sit prima oratio : *Inclina famulorum....* et ultima : *Omnipotens qui vivorum.....* »

ANNUS 1322

Dominus Galehaut Darguien miles, magnus benefactor et amicus hujus Domus, sepultus in ecclesia, habet Anniversarium undecimo Januarii, 30 Junii et 10 Octobris. Dedit terras de Perusio.

DOMUS MOGUNTINA ALIO TRANSFERTUR,

II. Hoc anno translata fuit Moguntina cartusia ex Rhingavia in alium locum; cum enim Fratres illic aliquot annis variis periculis expositi, perversorumque hominum depopulationibus afflicti vixissent, coacti sunt apud fundatoris successorem supplicare quatenus se ad tutiorem ac quietiorem locum transferre dignaretur. Rem sic enarrat jam citatus Serrarius : « Quum vero Petro fundatore fatis functo, a Nobilibus Rhingaviæ venatu per tractum istum exclusis, variis modis impeterentur Nostri, adeo ut vitam religiose tranquilleque secundum Ordinis regulas agere amplius haud possent, alias anno 1322 visum fuit quærere sedes.

*A Matthia de Buchek archiepiscopo.*

« Mathiam comitem de Buchek, Petri successorem in Moguntino archiepiscopatu, quem hac de causa reverenter compellabant, admodum experti sunt facilem. Simul enim ac alium sibi locum concedi rogarunt, Henrico de Hodenstein, Emelrico de Rudisheim et Joanni de Fontibus, ad ædem metropolitanam Canonicis, commissum est ut in rem diligenter inquirerent; et comperto ita se illam habere, Fratribus deferrent. Quod et factum, ut sequentibus manifestum fit litteris :

« Gotfridus Custos, Eberhardus Cantor, totumque Capitulum Ecclesiæ Moguntinæ universis tam præsentibus quam futuris, salutem in Domino sempiternam. Alma Mater Eccle-

ANNUS 1322

sia summi Patris vestigiis inhærendo, illos uberiori retributione prosequitur quos ferventi devotaque contemplatione, pœnitentiis, orationibus fructuosis, Hortum hujus labentis sæculi novit rigare aquis spiritualis gratiæ et doctrinæ. Hi sunt Fratres Ordinis Cartusiensis, in quibus nedum Religio, sed totum corpus Ecclesiæ exemplum regularis disciplinæ, velut in speculo castitatis et innocentiæ, possunt et poterunt intueri, lasciviæ tenebris profugatis. Propter quæ recolendæ memoriæ dominus Petrus, archiepiscopus Moguntinus, volens præfatum Ordinem adornare novellis plantationibus filiorum, eisdem Fratribus spirituali instigatione motus, pure propter Deum contulit locum, quem vocavit Vallem S. Petri (circa Scharpfenstein), cum suis appendicibus, et quosdam reditus et alia bona quæ in suis litteris plenius continentur, ad ædificandum ibidem monasterium, Domum, cellas et alia convenientia ad Conventum, secundum illius Ordinis regulam. Verum quia novis periculis emergentibus quæ convenit novis antidotis reparari, quidam eorum vicini eosdem graviter perturbant, in tantum quod divina ibidem pacifice celebrare non possunt; quare proponunt, necessitate urgente, ad alium locum, videlicet prope civitatem Moguntinam, magis eis congruam se transferre. Quibus donationi factæ per prælibatum dominum Petrum, ac translationi faciendæ, Concanonicis nostris per campanam solemniter convocatis in Capitulo nostro generali, scilicet in Vigilia B. Thomæ apostoli, unanimem consensum adhibemus, eumdemque sigilli nostri magni appensione munimus. Datum in Moguntia anno Domini 1322, Vigilia supra dicta.

*Propter vicinorum vexationes,*

« Delectus autem est mons prope Moguntiam, juxta S. Albani monasterium ; et quidem non sine singulari quodam viso sive ostento, ut vetus traditio habet, quam in lectoris gratiam referre juvabit, sicut nobiscum scripto fuit communicata. Vidit Religiosus quidam, integræque vitæ senex ac Pater in cœnobio divi Jacobi, nocturnis privatim vacans orationibus, in monte ab oriente monasterii sui, in loco ubi nunc est cartusia, scalam in cœlum usque directam, et

*In locum prope Moguntiam,*

*Ab Angelis præmonstratum.*

Angelos sursum deorsumque currentes, varia materiarum genera congerentes, ligna architectarum more malleis terræ infigentes, et ædiculas contruere gestientes; dumque sollicite secum perpenderet, quidnam divinæ innuerent admonitiones, timeretque ne cœlitus sibi oblatam visionem reticens Dei fortassis voluntatem impediret, visionem hanc Confratribus suis aliisque plurimis manifestavit.

ANNUS 1322

« Quocumque vero se res habet modo, id patet traditum ita fuisse vel istis jam temporibus ; sic namque reverendi quibus negotium Matthias commiserat Canonici : Quapropter reverendus in Christo Pater et dominus noster Matthias, archiepiscopus Moguntinus, ad prædictos Fratres pios oculos dirigendo eosque a tantis periculis cupiens liberare, nobis dedit per suas patentes litteras in mandatis, ut eisdem Fratribus de congruo et securo loco autoritate ipsius provideremus in diœcesi Moguntina. Fratres vero prædicti invenerunt non sine inspiratione Spiritus Sancti locum idoneum, pacificum et quietum, scilicet Montem juxta S. Albanum, Angelorum sibi visione ostensum, in quem sese transferre satagunt, ut ibidem in solitudine altissimo Creatori famulentur.

« Inde etiam factum, ut tum statim Catharina *zum Spiegel,* femina probi moris piaque admodum, vineas suas, totum cartusiæ locum occupantes, Fratribus solemni assignaret donatione. »

FRIDERICUS MAURB. CART. FUNDATOR IN CARCEREM TRUSUS.

III. De Friderico Austriaco Maurbacensis cartusiæ fundatore, hæc refert ejusdem Domus Chronicon ad præsentem annum : « Vix dum ex integro cicatricem hoc vulnus (mors Gerlaci) obduxerat, vix abstersæ filiales lacrymæ, cum gravior repente procella non cartusiam modo, sed Austriam prope universam obruit et evertit. Nam Fridericus rex, 4 Kal. Oct. 1322, decretorio sed infausto prælio collisus cum rivali et oppressus, non virtute sed stratagemate (dolus an virtus quis in hoste requirat), cruentas quinquaginta hostium cæde manus et palmam irato consobrino tradidit : a quo in triennali custodia habitus, longissimi luctus materiam et immedicabilis doloris segetem, qua Subditis etiam suis

ANNUS 1322

Chronicon Maurbac. pag. 14.

præbuit. Nemo in acerbissimo casu sibi similior quam Fridericus, qui utramque fortunam prosperam et adversam ex æquo ferre doctus, maluisset fœtori carceris (si res ita ferret) immori, quam per nefas sese in libertatem asserere. Cum enim nonnemo Principum, zelo majori quam scientia, necromantici opera cacodæmonem misisset in carcerem sub equitis specie, a quo Fridericus salvus et incolumis ex pacto raperetur in tutum : noluit Heros pientissimus, etsi promissa libertate et salute sua, compendia cacodæmoni debere ; sed certus fortunam Austriacam, etsi inclinatam, Deo cordi esse, monstrum exesse jussit, et vexillo sanctæ Crucis frontem et pectus muniens, spectrum in fugam compulit. »

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1323.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 8. | Ann. 240. | Ann. 11. |

I. ANNUS adest a redemptione humani generis trecentesimus vigesimus tertius post millesimum, Indict. VI, quo Joannes, Pontifex maximus, monasterium de Lupateria, in diœcesi Carcassonensi, circa annum 1315, ut ibidem diximus, nostro Ordini concessum, sed paulo post ablatum, nobis restitui jussit. Rem fuse et eleganter narrat Amabilis Chatard, professus cartusiæ Tolosanæ, in *Historia fundationis, progressionis et ruinæ cartusiarum Lupateriensis et Castrensis,* quam scripsit anno 1629, et ex qua Sammarthani videntur desumpsisse quæ de eadem Domo *in Episcopis Carcassonensibus* scripserunt. Hic igitur postquam multa de loci nomine et situ digessit, Nostrorum in eumdem locum introductionem, simulque et ex eo expulsionem ab ipso fundatore Petro de Rochefort, episcopo Carcassonensi, nimis leviter imperatam sic apposite describit :

LUPATERIAM NOSTRI ADVENIUNT.

Vid.ann.1320.

« Illic ergo convocatos ab Ordine Cartusiensi aliquot monachos in summa paupertate aliquanto tempore tenuit suoque ære vestivit et aluit, ac solo nemoris usu ad arcendam necessitatem cum dimidia parte fructuum quæ Rectorem spectabat ecclesiæ de Fontiano dotavit, sub spe tamen amplioris reditus ex testamento quandoque relinquendi. Sed qui vivens quæ debuerat omisit, moriens nedum perfecit ; quin potius in ea ipsa voluntate defecit, et nescio utrum vi morbi (qua plerumque cum sensus externi deficiunt, etiam interno-

*A fundatore expelluntur,*

ANNUS 1323

rum actio labefactatur), utrum animi levitate pios Patres aversatus, quæ sanus stabilierat, ægrotus evertit; et se Domus fundatæ tam cito exhibuit peremptorem quam parentem. Nam et illos citius fecit a loco recedere, et ne redeundi potestas esset, testamento condito edixit ut illorum loco decem sæculares presbyteri suscederent: quorum sustentationi emptam a se et admortisatam cum mero et mixto imperio villam quæ Rogerii Petri Bastida vocabatur, valoris quinquaginta librarum annuarum assignavit; pro reditibus autem emendis ter mille librarum summam legavit : quibus sic ordinatis, quanquam non ex omni parte peractis, diem clausit extremum.

« Hanc tam inopinatam, tam subitam, tam sine causa mutationem æquo animo Patres nostri non tulerunt : sed deposita apud Summum Pontificem qui tunc Avenione degebat querela et oblato supplici libello, junctis sibi prædicti episcopi Petri testamentariis exsequutoribus, intrusos recenter expelli presbyteros et se in suam, stabilita per annos aliquot possessione, Domum revocari jure postliminii poposcerunt.

*Sed a Joanne XXII*

« Anno igitur a Nativitate Christi millesimo trecentesimo vigesimo tertio, cum in Francia Carolus hujus nominis quartus cognomento Pulcher regni gubernacula teneret, et Reverendus in Christo Pater Domnus Jacobus de Viviaco Carthusiensi Ordini Præpositus generalis esset ; Joannes eo nomine vigesimus secundus Pontifex summus Avenione sedens, admissa exsequutorum defuncti Episcopi et Ordinis supplicatione, fundationem cartusiæ Lupateriæ non tam factam renovavit quam de novo fecit. Datis siquidem 15 Junii anni ab initio Pontificatus septimi litteris, et mutationem voluntatis in defuncto Episcopo improbavit, et ordinationem ejus in ultimo testamento irritam esse voluit : Cartusienses in integrum restitui, atque in eo loco unde injuria expulsi fuerant duodecim numero esse et perpetuo remanere voluit. Quibus alendis, præter partem fructuum Rectoris de Fontiano a defuncto Petro concessam, etiam ipsius Carcassonensis Episcopi partem integram assignavit; et eorum Conventui, reservata

*In possessionem restituuntur,*

ANNUS
1323

tantummodo perpetuo Vicario annua et congrua pensione in perpetuum, univit ; summam trium millium librarum reditibus emendis addictam ipsis redhiberi; Episcopo vero, ne quid damni ablatis sibi Fontiani fructibus pateretur, Bastidæ villam in compensationem remanere jussit; et aliis litteris per Abbatem S. Tyberii et Decanum S. Pauli Narbonensis prædicta sic a se instituta exequutioni mandari præcepit. Illi jussis obtemperarunt; et per subdelegatos, cum per se ipsi non possent, omnia perfecerunt.

« Itaque duodecimo Septembris anni supra millesimum ter centesimum vigesimi tertii, Venerabilis Pater Domnus Joannes de Monte Martyrum, primus novæ Domus Prior a Reverendo Patre institutus, in viduati monasterii possessionem per subdelegatos bullæ Pontificiæ Commissarios admissus, Fontianensem etiam ecclesiam et quidquid illius jurium erat cum fœnore recuperavit.

*Plaudente novo diœcesis Antistite.*

« Quæ omnia eo facilius peracta sunt quo Reverendissimus ejusdem diœcesis Antistes, defuncti Petri et officio successor et nomine, in Ordinem nostrum apprime affectus, non solum contra Apostolica jussa non reclamavit, sed manus etiam adjutrices (ut patebit infra) pro novæ Domus incremento præbuit. Qui quidem sicut in Nos benevolum, sic in ecclesiam Fontianam se justum ostendit; cum datis duodecima Novembris anni 1326 litteris, Officiali suo mandavit ut vocatis Priore et Conventu B. Mariæ de Bello loco Cartusiensibus necnon Capellano (seu Vicario) de Fontiano superiori, de reditibus ac proventibus ecclesiæ per Sedem Apostolicam Fratribus dicti Conventus assignatæ, provisionem ac pensionem annuam eidem Capellano et successoribus talem assignaret, ut inde sustentationem congruam habere, hospitalitatem exhibere, jura Episcopalia solvere, et alia onera ecclesiæ incumbentia supportare possent : quod sicut juste ordinatum, sic integre fuit absolutum.

« Die siquidem tertia Februarii subsequentis, anno eodem 1326 (cum annus olim usque ad Martii Calendas volveretur, et Februario clauderetur), D. Joannes de Pontio Prior, et

ANNUS 1323

D. Joannes Fabri scindicus (seu Procurator) dicti de Bello loco monasterii et Dominus Bernardus Geraldus Fontianensis ecclesiæ Vicarius perpetuus die dicta coram Officiali convenientes, divisionem fructuum ore judicis ea conditione habuerunt : ut Vicario frumenti ac secalis pars quarta, cæterorum vero omnium tertia obtingerent ; Conventui vero quidquid reliquum est obveniret. Quibus ita constitutis pax Conventum inter et Vicarium parta et indissolubili deinceps nexu compacta et firmiter colligata, in hodiernum diem perseverat. » Hactenus ex Historia ms. Lupateriensis cartusiæ, cujus benefactores sunt :

LUPATERIÆ BENEFACTORES.

II. Petrus Roderii, præfatus episcopus Carcassonensis, qui, anno 1327, die 24 Augusti, reditus auxit, donatione facta de quadam villa prope suum Lupateriæ nemus sita, quam de propriis pecuniis comparaverat.

Petrus de Jean, prædicti Roderii successor, septa monasterii litteris anno 1332, 28 Julii scriptis, extendi curavit, et fontem in medium claustri suis sumptibus induxit.

Gaucelinus de Jean, superioris consobrinus et successor, post obitum suum qui notatur in Charta anni 1347, habuit tricenarium per totum Ordinem ; unde colligimus eum vel benefactorem hujus Domus vel amicum ejus fuisse.

Gaufridus de Vaivolis, et ipse episcopus Carcassonensis, commemoratur in tabulis hujus Domus anno 1359, 8 Aprilis.

Stephanus Alberti, episcopus et cardinalis Carcassonensis, denunciatur mortuus in Charta anni 1470 ; de quo plura dicemus in descriptione Domus Avenionensis.

Petrus Gardesii, ejusdem Ecclesiæ præsul, anno 1373, 29 Junii, mandatum accepit a Gregorio XI quamdam ecclesiam mensæ conventuali hujus cartusiæ uniendi, quod et executus est anno 1375.

Petrus Bogis et Lucia ejus uxor, anno 1347, 20 Martii, quoddam territorium concesserunt.

Bernardus Blanchus, anno 1361, 14 Junii, quoddam feudum dedit cum censibus et directo dominio,

Petrus Auterius, patria Arragonus, cunctas possessio-

nes suas, testamento anno 1377, 20 Maii condito, cessit. ANNUS 1323

Bernardus Tournerius, Montis Olivi habitator, anno 1385 25 Octobris, simili affectus motu, cum filios non haberet, hujus Domus conventum, filiorum loco sibi succedere testamento decrevit; in gratiam maxime Arnoldi Tornerii, Clerici Redditi et sacerdotis hujus Domus, ejus vel fratris vel saltem consanguinei, cujus obitus reperitur in Charta anni 1398.

Martha Alberta, forsan ex familia cardinalis Alberti de quo supra, mulier nobilis, uxor Domini de Villaglino, anno 1393, 18 Februarii, legavit centum francos auri.

Joannes et Franciscus Vidalesii, fratres germani Fontianenses, anno 1397, 15 Februarii, quæcumque in Bernardi patris quondam sui bonis jura se contingebant, eidem Domui contulerunt.

Bartholomæus Ambrosius Fontianensis, anno 1405, 28 Aprilis, quoddam hospitium largitus est.

His donationibus Nostri non effecti ditiores, cum multam penuriam et alia incommoda ibidem paterentur, locum deserere cogitarunt; quapropter satius judicatum eos et eorum bona ad Domum Castrensem transferre, quod et factum anno 1424 narrabimus. Hactenus de Domo Lupateriæ.

CELLÆ ROBAUDI MONIALIBUS BENEFACIT JOANN. XXII.

III. Hoc etiam anno præfatus Summus Pontifex Joannes, erga Moniales nostras de Cella Robaudi bene affectus, quorum penuriam ipse, dum præerat Forojuliensi Ecclesiæ cui subest eorum parthenium, optime noverat, ecclesiam S. Martini de Arcubus eisdem adscripsit, datis sequentibus bullis : « Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus et Conventui monasterii de Cella Robaudi per Priorissam gubernari soliti, Ordinis Cartusiensis, Forojuliensis diœcesis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Apostolicæ Sedis gratiosa benignitas, prudentes virgines, quæ et carnalibus abdicatis illecebris, et contemptis hujus mundi vanitatibus, Virginitatem suam Filio Virginis dedicantes, se parant, accensis lampadibus, obviam Sponso ire, tanto propensioris consuevit prosequi studio caritatis, quanto

ANNUS 1323

eas propter fragilitatem sexus majori suffragio prospicit indigere. Sane nos necessitatem vestram, vestrique monasterii adeo rerum inopia temporalium prægravati quod de ipsius reditibus provenientibus et obvenientibus non potestis commode sustentari, sicut olim dum in minori ageremus Forojuliensis Ecclesiæ regimini præsidentes non absque compassione didicimus, pietatis oculis intuentes, et volentes pro utiliori relevatione necessitatis hujusmodi, vobis et eidem monasterio de aliquo subsidio providere, ut melius et quietius circa pedes Domini in contemplationis altitudine vivere valeatis, ruralem ecclesiam S. Martini de Arcubus, Forojuliensis diœcesis, etc. unimus et applicamus vobis et dicto Monasterio; non obstantibus, etc. Datum Avinione Kalendis Decembris, Pontificatus nostri anno VIII (Jesu Christi anno 1323). »

CARTUSIA ANTVERPIENSIS FUNDATUR.

IV. Hoc anno cartusia S. Catharinæ, juxta Antverpiam inclytam Brabantiæ Urbem, in vico seu pago Kiele, tunc in diœcesi Cameracensi, construitur et a Nostris habitatur, ut ex Calendario antiquo ejusdem Domus probatur, ubi hæc legimus : « Nono Calendas Aprilis, pridie Annonciationis Dominicæ, anno MCCCXXIII, adventus D. Joannis Bouchaut primi Prioris et Fratrum Ordinis Cartusiensis. » Et alibi, in eodem Calendario : « Advertendum quod primus Prior Domus hujus, Joannes nomine, fuit anno MCCCXXIII, etc. » Assensus quoque Decani et Capituli B. Mariæ Antverpiensis pro Episcopo Cameracensi, datus est tantum hoc præsenti anno, cujus sequitur exemplar.

*Assensus Capituli B. Mariæ.*

« Universis presentes litteras inspecturis, Decanus et Capitulum beatæ Mariæ Antverpiensis, Cameracensis diœcesis, ac frater Joannes primus Prior Conventus Domus beatæ Catharinæ Antverpiensis, Ordinis Cartusiensis, salutem et bene ordinata salubriter recordari. Universitati vestræ notum facimus quod in hoc consentimus et concordamus, nos Decanus et Capitulum ex una parte, et nos Prior et Conventus Fratrum Cartusiensium prædictorum ex altera, quod nos Decanus et Capitulum prædicti, propter honorem Dei

et augmentum cultus divini, et ut Christi fidelibus vivis bonum detur per prædictos Fratres pœnitentiæ, solitudinis, devotionis et sanctæ contemplationis exemplum, ac defunctis solatium suæ pœnæ et acceleratio gloriæ sempiternæ : concedimus et placet nobis quantum in nobis est, quod dicti Prior et Fratres sibi construant vel construi et ædificari faciant aut constructa sibi acquirant infra limites parochiæ nostræ Antverpiensis, in loco qui dicitur *Kiele*, ecclesiam, cellas et cætera ædificia sibi necessaria, ad serviendum Deo inibi die noctuque perpetuo secundum Regulam, modum et consuetudinem Ordinis sui Cartusiensis, talibus conditione et modo nobis et successoribus nostris reservatis, quæ inferius annotantur :

ANNUS 1323

« Primo quod dicti Prior et Fratres oblationes per manus sacerdotum in altaribus recipiendas, reportent vel remittant nobis vel nostro mandato.

« Item non poterunt dicti Prior et Fratres aliquem de nostris parochianis Antverpiensibus in eorum ecclesia vel cemiterio sepelire, nisi si quis ex ipsis parochianis usque ad decem solidos veterum grossorum turonensium bonorum et legalium, vel amplius, certorum annuorum redituum, vel ad valorem in augmentum dotationis ipsis Fratribus assignaret; quos tales ibi, dum tamen elegerint sepulturam, permittimus, absque funeralibus ad nostram ecclesiam deportandis, sepeliri : et de funeralibus talium ad ipsos Priorem et Fratres provenientibus ipsis medietatem concedimus generose.

« Monachos Fratres vero, tam Novitios quam Professos, in eorum monasterio commorantes, ac familiares manentes ibidem, necnon alienos quoscumque qui non sunt de parochia Antverpiensi, libere et absque aliqua exactione a nobis facienda apud se poterunt sepelire.

« Si quis vero de parochia nostra in infirmitate, de qua ipsum mori contigerit, Ordinem vel habitum ipsorum Fratrum petierit et eum ad Ordinem eorum receperint; funeralia cum illo, si eum apud dictos Fratres sepeliri contigerit,

ANNUS 1323

ad ecclesiam ipsorum Fratrum pervenientia, in quibuscumque rebus consistentia, integraliter erunt nostro usui reportanda.

« Volumus insuper nos Decanus et Capitulum, quod de omnibus terris quæ nobis et ecclesiæ nostræ sunt decimales, quæ cultæ sunt et nobis aliquo jure decimas debent, sive fuerint infra villam Antverpiæ sive extra villam, dicti Fratres nobis decimas solvant, cum ad hoc teneantur de jure : nisi fuerint novalia a memoria hominum non exculta, neque aratro aut fossorio ad colendum incisa.

« Salvo quod de terris suis infra clausuram suam, et oleribus vel hujusmodi et de nutrimentis animalium suorum quæ apud se nutriunt et conservant, nullas decimas penitus requiremus.

« Insuper si locum Antverpiensem interdici contingeret vel in eo cessari, nos Prior et Fratres prædicti, et nostri successores in perpetuum, nos per omnia conformabimus in observatione hujusmodi Interdicti vel cessationis Dominis Decano et Capitulo et eorum ecclesiæ antedictis.

« Et nos Decanus et Capitulum ex una parte, ac nos Prior et Fratres ex altera, volentes et promittentes prædictas conventiones omnes et singulas, necnon et omnia præmissa in perpetuum firmiter et inviolabiliter observare, ad robur et munimen omnium præmissorum sigilla nostra, videlicet nos Decanus et Capitulum sigillum nostrum commune, nos vero Prior et conventus Fratrum prædictorum sigillum Prioris nostri prædicti, præsentibus duximus apponenda in testimonium veritatis.

« Datum anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo tertio, sabbato post Dominicam qua cantatur *Oculi*. Stylo Cameracensi, adeoque stylo hodierno anno 1324, ante Pascha. »

Eumdem quoque annum designarunt Rosweydus et Garnefeldius noster in notis ad Mirœum. Unde arguuntur Haræus, Raissius et alii qui ejus fundationem ad alium annum, sive serius sive citius referunt.

FUNDATORES DOMUS.

V. Quod fundatores spectat, plures extitisse constat. Primi

fundatoris nomen hactenus latuit, quem cognominatum fuisse Hovorst discimus ex quodam Instrumento dato ab Arnoldo Hovorst qui fatetur « fundationem primævam Domus seu Conventus Fratrum Cartusiensium, prope villam Antverpiensem a patre suo factam, se tantum extendere ad tres libras cum dimidia grossorum veterum turonensium et nullo modo amplius. » Hunc Hovorstii patrem fuisse ipsum Duncardum Molnerium quidam autumant, sed sine ulla autoritate. Paucis a patre legatis reditibus Arnoldus quædam alia adjecit, sed ad necessariam Nostrorum sustentationem non sufficientia. Obiit Arnoldus die 12 Oct. post ann. 1345.

ANNUS 1323

*A. Hovorst.*

Alterum fundatorem Deus ipse suscitavit. Civis quidam Antverpiensis, Duncardus nomine, venationi sæpius vacabat; is ex more cum quibusdam suis comitibus et canibus venaticis stipatus, varia perlustraret terrarum defossa, ad quamdam specum cui desuper rupes imminebat devenit. Introgressum in eam ingens illum saxum intercipit, et decidens occludit. Attritum, oppressum nullus convenantium non putat. Clamor, luctus ubique. Inito ergo consilio in hac calamitate, unusquisque fossoriis instrumentis et qua potest vi et industria contendit eruderare speluncam hanc, ut defossum suum herum, quem plane extinctum vehemens suspicio erat, funerea pietate, terræ mandare liceret, rupe sublata. Humo effossa, refossa, vident ipsum, o miraculum! vivum, lætum, incolumem, nulla nota tabis in corpore, ne noxa quidem ex aggestu tam vastæ molis. Mirantur trepido gaudio universi, hominem tanta obrutum ruina salvum et superstitem esse. Demiratur et ipse gratiæ sibi collatæ munificentiam. Vix sciscitantibus, quibus adjutus a præsentaneæ mortis hujus discrimine salvus servatus fuisset, respondendi otium dabatur.

*Duncardus.*

*A morte liberatur,*

Tandem curiosulis silentibus et auscultantibus, ait : « Ut prospexi in me proruere rupem, qua licuit, devote supplico votis et invoco prece beatissimæ virginis Catharinæ opem; spes mea non irrita, virtute ejus illæsus suo onere substiti, evasi. Æquissimam servatrici meæ benignissimæ gratiam

*Invocata B. Catharina.*

ANNUS 1323

rependam. Opibus meis illi levari non opus, quæ nullius rei indiga summo jam bono perfruitur; officiosa eam gratulatione colere libet in iis qui sub ejus auspiciis Christo militant. Ubinam gentium essent ejus stationarii percunctanti, renuntiatur ædem pauperrimam Cartusianorum sacræ hujus virginis memoriæ dedicatam esse. Vis videre (pergit boni evangelista nuntii) eam prostantem in summæniis Antverpianis? Exultabundus Duncardus in has gratiarum actiones erumpit : « Laus tibi, Domine Jesu, meritis dilectissimæ tibi virginis divæ Catharinæ me mortis faucibus eripuisti. In gratia mea ne tantæ gratiæ munere indignus essem, Cartusianos tibi et Beatæ Catharinæ devotos mihi exposuisti. Tibi hi derelicti, sane et mihi, per singularem dignationem tuam pauperes hos delegisti, pauper pro nobis factus omnibus, ut ego quem facultatibus tuis ditasti, pauperum horum pater, adjutor et minister sim, suppetias iis pro virili redhibebo. » Contulit tunc et deinceps Duncardus in hanc cartusiam, fundos, agros, prædia, tanta munificentia ut præcipui fundatoris nomen jure merito promeruerit. Dies obitus Duncardi in Calendario Domus Antverpiæ habetur ad decimam Maii.

*H. Heltwagen.*

Tertius fundator extitit Henricus, advena Germanus, cognomento Heltwagen, mercator, cujus præcipue profusiori liberalitate Domus hæc erecta et constructa legitur. Qui trajecturus in Angliam, inevitabili fato correptus, ad extrema perductus est; dumque corpus infirmum laborioso curat officio nec cura proficit, ad certiora tandem conversus remedia, medelam a Deo quæsivit animæ suæ; nec Deus illi defuit, sed mentem pulcherrimam mortuo tunc immisit, ut pro remedio animæ suæ legaret aliquid huic Domui. Nihil igitur ille cunctatus, cum mortis urgeretur doloribus, auri centenaria non pauca testamento legavit, ex quibus ecclesia, Capitulum, cœnaculum, trichorum, murus ad Scaldim, et magna pars cellarum ædificata sunt. Henricus Heltwagen denunciatur mortuus ex supra citato Calendario, in ipso sancti Benedicti Abbatis festo, habens tricenarium per to-

tum Ordinem, sepultus in exteriore sacello, quia templum nondum perfectum erat nec consecratum. ANNUS 1323

Quartum suppetimus fundatorem nulli hactenus, nec ipsis Cartusiensibus Lyranis notum, cui tamen hic titulus denegari non potest, cum illum ab Ordine meruerit in Charta anni 1337 ubi ejus obitum his verbis legimus descriptum : « Obiit magister Joannes, dictus Trunckelandt, sacerdos et confundator Domus S. Catharinæ, habens tricenarium, etc. »

*J. Trunckelandt.*

BENEFACTORES DOMUS ANTVERPIENSIS.

VI. Benefactores hujus Domus sunt : Joannes Lotharingiæ, Brabantiæ ac Lymburgi dux ; fundationem hujus Domus approbavit deditque licentiam acquirendi usque ad summam decentarum librarum annui reditus. Litteræ datæ sunt Antverpiæ anno 1324, die Mercurii post *Divisionem Apostolorum*.

Hermannus, Hennensis episcopus, vices agens Guidonis Cameracensis episcopi, anno 1325, 3 Calendas Maii, consecravit sacellum ad plateam in honorem Sanctæ Crucis, S. Mariæ Virginis, S. Joannis Baptistæ, S. Andreæ apostoli, et S. Catharinæ virginis et martyris.

Stephanus Wilmaer, perpetuus Ecclesiæ Antverpiensis capellanus, in Capitulo sepultus circa annum 1342.

Godefridus de Brecht, eques, anno 1325.

Joannes Aleyn* nobilis, sacerdos, obiit anno 1352, 26 Decembris, sepultus sub gradum majoris altaris.

* *al.* Ædyn.

Petrus et Joannes Van de Dilft, pater et filius, sepulti in hac Domo circa finem sæculi quarti decimi.

Joannes de Wineghen anno 1350, plures reditus dedit.

Cæsarius a Rivo, eques, dominus in Linters et Haer, ædiculam ædificavit quam Henricus, Rosensis episcopus, Vicarius Joannis de Gaure Cameracensis præsulis, consecravit anno 1416.

Joannes de Ponte, decanus Antverp., obiit ex Chart. 1415.

Alandus Terlint, abbas S. Michaelis Antverpiensis, Ordinis Præmonstratensis, ex Charta 1454.

Antelmus, decanus Antverpiensis, ex Charta 1451.

Isabella Lusitana, uxor Philippi Boni, ducis Burgundiæ, duas cellas extruxit et fundavit anno 1448.

ANNUS 1323

Nobilis domicella Maria de Richoven, ex Charta 1480. Theodoricus de Tuldel, abbas Parkcensis, Ordinis Præmonstratensis, ex Charta 1498. Joannes Ward, abbas S. Michaelis, Ordinis Præmonstratensis, ex Charta 1500. Joannes de Becka thesaurarius ecclesiæ collegiatæ Antverpiensis, ex Charta 1503. Jacobus Elsaken, abbas S. Michaelis, ex Charta 1506, in qua et signatur Hermannus Hessek, habens Missam defunctorum in Provincia Teutoniæ. Catharina de Crombone, fundatrix unius cellæ, ex eadem Charta. Jacobus Imbreck, abbas sancti Michaelis, ex Charta 1516. Joannes Sixtini, utriusque juris doctor, habens Missam defunctorum in Provincia Teutoniæ, ex Charta 1520.

Stetit hæc Domus in hoc priori loco, usque ad annum 1542, quo tunc flagrante bello Geldro-gallico, prorsus eversa atque Lyram translata est, ut eodem anno dicemus. Porro, in hoc ipso vico et eo fere loco ubi steterat hoc nostrum monasterium, annis circiter 25 post ejus demolitionem, scilicet anno 1567, arx permunita a Ferdinando Alvaro, Albæ duce Belgiique gubernatore, extructa fuit.

CARTUSIÆ FONTIS B. MARIÆ EXORDIUM.

VII. Sub finem hujus anni exordium habuit cartusia Fontis B. Mariæ in Suessionensi diœcesi, ab urbe Firmitate-Milonis una leuca ad Aquilonem sita, in Valesia quæ est tractus Galliæ, in Insula Franciæ. Fundatorem ejus omnes agnoscunt Carolum Valesium orbi nominatissimum, filium, fratrem, patruum ac denique patrem Regum Franciæ. Quidam initium hujus Domus post biennium rejiciunt, dicuntque Carolum in extremis positum, ejus fundationem imperasse in satisfactionem necis Enguerranni de Marigny, qui ante aliquot annos, ipso agente et illius exitium urgente, odio magis quam jure damnatus, in publica furca strangulatus fuerat. Potest quidem fieri Carolum, pœnitudine tactum mortis infamis Enguerrano procuratæ, cartusiam nostram fundasse, sed constat eum jam duobus ante suum obitum annis illius fundamenta jecisse, siquidem videbimus anno proxime futuro Joannem Papam, ad illius instantiam, multa privilegia novæ plantationi indulsisse.

Bohic ad an. 1325.

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1324.

| Joannis PP. XXII<br>Ann. 9. | Ordin. Cartus.<br>Ann. 241. | Aymonis Pr. Cart.<br>Ann. 12. |
|---|---|---|

DONATIO EDUARDI SABAUDIÆ IN FAVOREM CARTUSIÆ.

I. REDEMPTORIS annus millesimus trecentesimus vigesimus quartus incipit, Indictione septima, quo Eduardus Sabaudiæ, majorum suorum pia æmulatus exempla, confirmat donationem ab Amedeo Cartusiæ factam anno 1319 et pinguem largitur eleemosynam, super qua R. P. Aymo cellam fundare statuit pro uno Monacho, qui « perpetuus orator et capellanus » quotidie Deum deprecaretur pro familia Comitum Sabaudiæ. Hujus ratificationis Instrumentum e veteri Cartusiæ Cartulario extractum subjicimus : Cart. I. 124.

« Nos Edoardus, comes Sabaudiæ, notum facimus universis quod donationem, quam fecit Amedeus prædecessor noster, cum omnibus aliis contentis in littera scripta in Domo Cartusiæ, die 5 Septembris anno 1319, ex certa scientia approbamus, ratificamus, pro nobis et nostris successoribus imperpetuum; et si quid forte in ipsa donatione minus firmitatis insertum est, volumus quod ex hac nostra confirmatione dicta donatio et omnia supradicta vires recipiant perpetuæ firmitatis. Insuper, Nos dictus Comes attendentes devotionem et affectionem quam habemus ad Domum prædictam Cartusiæ, et ad Fratres Ordinis supradicti et orationes ipsorum, pro animæ notræ et parentum nostrorum remedio, damus donatione mera, pura, simplici et irrevocabili inter vivos, venerabili viro domino Aymoni Priori Domus Cartusiæ supradictæ et Conven-

ANNUS 1324

tui ejusdem Domus, præsentibus et recipientibus in claustro ecclesiæ Domus prædictæ, nominibus suis et successorum suorum, decem libras Viennenses annui reditus imperpetuum : quas quidem summas pecuniæ solvere de recepta apud Montemmelianum, in festo Sanctorum omnium annuatim....

« Nos vero præfati Aymo et Conventus dicti loci Cartusiæ, considerantes et attendentes largitatem liberalitatemque nobis concessam de novo per dominum Comitem supradictum, attendentes quantis benevolis actibus quantisque liberalitatibus, tam ipse dominus Comes quam prædecessores ejusdem Domini, nostram Cartusiæ aliasque Domos Ordinis nostri in Comitatu existentes maxime prosequuti fuerunt : Fratribus insimul congregatis, de unanimi voluntate et consensu, eidem domino Comiti heredibusque et successoribus suis, imperpetuum concedimus omnes participes fieri in bonis et orationibus quas fieri imposterum contigerit in Domo nostra Cartusiæ supradicta; concedentes et omnino volentes quod idem dominus Comes et successores ejusdem, in Domo nostra Cartusiæ ex nunc et imperpetuum, habeant unum monachum Deo devotum unamque cellam super prædictis decem libris et reditibus fundatam, qui imperpetuum pro animabus dicti domini Comitis et successorum suorum tam in celebratione Missarum quam in aliis officiis perpetuo famuletur.

« Nos autem Comes prædictus, pro cella dicti monachi de novo facienda, eidem Priori quinquaginta libras bonorum Viennensium nostrorum semel donamus. In quorum omnium robur et testimonium, nos dictus Comes Priorque et Conventus prædictus sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum in Domo Cartusiæ, die decima tertia mensis Septembris, anno Domini millesimo tercentesimo vigesimo quarto. »

TRANSLATIO DOMUS MOGUNTINÆ CONFIRMATUR.

II. Ad Moguntinam denuo Domum sermonem convertentes, ex ejus Chronico sequentia eruimus.

« Eleemosynis itaque piorum largiter adjuti, Fratres operi

manus admovere, et relicta quam incoluerant Domo, anno 1324 huc se contulere, Mathia archiepiscopo his consensum suum præbente tabulis : ANNUS 1324

« Matthias Dei gratia sanctæ Moguntinæ Sedis archiepiscopus, Sacri Imperii per Germaniam archicancellarius, omnibus Christi fidelibus salutem in eo qui venturus est judicare vivos et mortuos. Candor lucis æternæ, Dominus in excelsis, in suæ visceribus pietatis, nostræ salutis (quam quidem proprio corpore mercatus est) clementer prospiciens incrementum, ut qui nostris demeritis in lacum demergimur, illorum piaculis sublevemur qui pro nostris reatibus diu noctuque devotis orationibus insistendo, iram Dei placare non cessant : hujus rei non immemor recolendæ memoriæ Dominus Petrus, archiepiscopus Moguntinus, prædecessor noster, more pii Patris et veri Pastoris, salutem subditorum velut propriam mente gerens, gemma devotionis nitidæ ingenti fervore decoravit diœcesim et provinciam Moguntinam, quæ humilitate perforata auroque contexta ornamento puræ conscientiæ vinculatur. Est enim gemma ista coruscans devotio Fratrum Ordinis de Cartusia, quos præfatus dominus Petrus ad alveum Rheni nostræ Moguntinæ diœcesis evocavit, eisque liberaliter intuitu divinæ Majestatis vallem, quam vocavit S. Petri, circa castrum Scharpfenstein contulit, et plura alia prout in litteris ejusdem domini Petri uberius continetur; sed propter perversorum anfractus et alias urgentes causas ibidem Domino, quod grave ferendum est, prout Ordo ipsorum edocet, quiete famulari nequibant. Quam ob rem Fratres prælibati nobis humiliter supplicarunt, ut autoritate nostra possent ad alium locum nostræ diœcesis magis pacificum se transferre.

*Ordo Cartusiensis commendatur.*

« Nos igitur, qui jugi sollicitudinis studio domum Domini ubertate fructuum cupimus abundare, ut nostræ plebis devotio eorum sanctis operibus erudita ad altiora conscendat, honorabilibus viris Henrico de Rodenstein, Emerico de Rudenshein et Joanni de Fontibus, canonicis Ecclesiæ Moguntinæ, devotis nostris, dedimus in mandatis ut si causa subes-

ANNUS 1324

set translationi et donationi prædictis, vice nostra, consentirent; Fratres vero prædicti locum magis quietum sibi acquirentes, divina gratia mediante, videlicet montem prope Moguntiam juxta S. Albanum versus Rhenum, qui non sine Sancti Spiritus oraculo Beati Michaelis archangeli nuncupatur, ibidem se transferentes, capellam, cellas aliquas et alia convenientia construendo, quibus omnibus prædicti nostri Commissarii causis legitimis eos moventibus autoritate nostra consenserunt; prædictis etiam omnibus Capitulum nostrum Moguntinum consensum unanimem adhibuit, prout in litteris super his confectis plenius est expressum.

« Quia vero, sicut eidem domino Petro in Pontificali dignitate Deo favente successimus, sic in affectus plenitudine in his quæ compendium subditorum concernunt, successisse debemus; translationem, ædificationem consensumque Commissariorum nostrorum ac etiam Capituli nostri Moguntini, necnon donationem seu donationes eisdem Fratribus per præfatum dominum Petrum factas, autoritate Ordinaria per præsentes in nomine Domini confirmamus; concedendo eisdem Fratribus ut libere ibidem divina valeant celebrare ac Conventum habere aliaque Dei opera exercere, secundum ipsius Ordinis tam privilegia quam Statuta et canonicas sanctiones; et quod capellam seu ecclesiam cum atrio, ubi suos defunctos sepelire possint, facere valeant consecrari per quemcumque Archiepiscopum vel Episcopum, habentem executionem sui Ordinis Catholicam, et gratiam Sedis Apostolicæ obtinentem. In cujus nostræ confirmationis testimonium evidens, et perpetuam roboris firmitatem, sigillum nostrum duximus præsentibus litteris apponendum. Datum et actum Pinguiæ (?), feria sexta proxima post Annuntiationem Beatæ Mariæ virginis gloriosæ, anno Domini 1324.

*Novæ Domus appellatio.*

« Novum asceterium, quod ita statuere Cartusiani, vocatur Domus in Monte S. Michaelis, sive, ut vernaculatim in litteris est: *Das Hus uff S. Michaelsberg by Menz, Carthuser Ordens.* Domus quidem, more loquendi Cartusiensis Instituti Fratribus sub prima statim Ordinis initia recepto; cæterum, a loco

ANNUS 1324

in quo suscitata fuit, Domus in Monte S. Michaelis; item Sacra Domus Ordinis Cartusiensis in Monte S. Michaelis extra muros Moguntinenses. »

DOMUS FONTIS B. MARIÆ INITIA.

III. Anno superiori pauca de Domo Fontis B. Mariæ retulimus; ejusdem exordia sigillatim nunc recensere juvabit:

Ex Historia ms. hujus Domus.

« Hujusce monasterii dignitatem concelebrant conditorum, dotatorum et benefactorum gloria, virtutes, inclyti generis dotes, alumnorum qui in ea Christo Domino religiose servierunt pietas, merita; præcipuo illustrat elogio B. Virginis Mariæ patrocinium. Primarius conditor censetur fuisse Carolus comes Valesius, orbi nominatissimus a sanguinis augustissimi origine, nepos sanctissimi Gallorum regis Ludovici, cujus in Cartusianos amoris hæres, intra septa et pomaria Borefontis castri locandam cartusiam destinat; tanta devotione constructionem ejus promovet, ut proprio die intra biennium, ecclesiam, claustrum majus, cum viginti quatuor cellis et aliis necessariis ædificiis absolverit, Cartusianos ibi incolas habuerit Dei cultui die nocteque vacantes; quorum consuetudo Principi huic religiosissimo ita cordi erat, ut ab ea ægre avocaretur, imo ut commodius sibi et sine eorum incommodo Officiis divinis tam diurnis quam nocturnis interesse posset, construxit fornicatam seu hypæthram ambulationem, qua ab æde sua in qua degebat ad chorum ecclesiæ se conferret cum maximo silentio.

« Dicitur vulgarius *Bourgfontaine,* a fonte Beatæ Mariæ qui e loco (quondam Bonusfons, vel Borefons, alias Burgusfons dictus fuit, jam dicitur Bensemont) emanans defluit in hanc cartusiam. Burgusfons fuit pagus quem plurimi incolebant et excolebant, sed a quodam (ut nonnulli autumant) Domino Valesio funditus excisus est et subversus, in horum mulctam qui cervum album hujus Domini occiserunt. Postea piacularis satisfactionis animo, ab eo Domino et Dynasta conditum fuit ibi cœnobium. Verum alii hanc historiam veluti fabulam rejiciunt.

*Carolus comes census assignat.*

« Hujus autem cartusiæ census sic fuit assignatus : Comiti Carolo et comitissæ Mathildi ejus conjugi, Comitis a Sancto

ANNUS 1324

Paulo filiæ, debebantur mille ducentæ libræ turonenses reditus annui, vita eorum sospite, ab Hospitalariis S. Joannis. Hujus reditus extinctionem seu moderationem spondet Comes, si sexcentarum librarum reditus perpetuos hi Hospitalarii assignaverint ipsi. Actum cum domino Elione de Villanova tunc ejusdem Ordinis summo Magistro qui, quod id in sui Ordinis emolumento cedere censeret, ex concessione seu mandato Sanctæ Sedis Apostolicæ rescripsit fratri Simoni Rati magno Priori Franciæ, ut ea, hac indulta licentia a Summo Pontifice, inquisitione super commodo et incommodo prius facta a reverendo domino Joanne Abbate S. Genovefæ Parisiensis, Jacobo de Prunino Hospitalis Hierosolymitani thesaurario, et nobili viro Guillelmo de Noë Commissariis a sua Sanctitate delegatis, addicat, et assignet fundos hæreditarios ex quibus reditus earum sexcentarum librarum turonensium comes Carolus perpetuo percipere valeat. Tres hujus Hospitalis domus, puta de Sennevières, Mortefontaine et Beauvoir his reditibus deputantur, traduntur Principi Valesio qui omnem supellectilem et ligna cæsui parata comparavit, et illico cessit tum domos has tres, tum supellectilem et ligna, cartusiæ huic suæ Fontis B. Mariæ in illius dotationem.

« Ampla munificentia : sed ab illustrissimo, Dei studiosissimo, christianissimo Principe emanans, qui profusione hac se multum sibi suisque promereri in nundinatione cœlorum optime callebat ; et his qui liberorum suorum facultates proderi et hoc extenuari mussitabant, respondere consueverat pauperes eos nunquam futuros, si timuerint et coluerint omnium bonorum Largitorem.

*Caroli fundatoris laudes.*

« Caroli magnanimitatem rerum Gallicarum Scriptores commemorant. Ipse enim Anglos bello vicit, et a tota Aquitania expulit, Gibellinorum factionem in Sedem Romanam Apostolicam constanter repressit, furorem et barbariem Vesperarum, ut vocant, Sicularum egregie ultus est, recuperato strenue armis et veris hæredibus Siciliæ regno, præclarissimus bello dux et prudentissimus pace, qui victoriam visus est sub signis habere ; semper vicit, providente Deo ut a Francorum cladibus

ANNUS
1324

semper abfuerit ; mansuetudine et comitate omnibus charus ; regno quam prope admotus nusquam id tenuit, nam Regum pater, frater et filius fuit : si quidem filius secundus Philippi tertii Gallorum regis dicti Audacis, frater Philippi quarti Galliæ regis dicti Pulchri, patruus regum Ludovici Hutini, Philippi Longi et Caroli Pulchri, et pater Philippi Valesii Franciæ regis. Dictus Rex Aragoniæ, ejus titulum aspernatus cum inanis foret, se sua sorte conscripsit nec ambitioni quid regium præter laudem præmisit. Sub obitum visus est pœnitere cædis Enguerrano de Marigny illatæ ; nam is quanquam juste cæsus fuerat, indicta tamen causa et ultionis libidine ad supplicium raptus. Ideo modestissimus Princeps jam extremo morbo suos jussit copiose stipem largiri pauperibus, atque admonere ut precarentur Deum pro domino Enguerrano de Marigny et pro Domino Valesio, sibi patibulatum præponens ; adeo christiana modestia triumphat de victoribus, et admotus ad mortem animus perspicacissime contuetur mortalia. Diem extremum clausit piissimus Comes anno 1325. Ejus obitus habetur in Charta anni 1326 his verbis : « Obiit 17 Cal. Januarii dominus Carolus comes Valesii, qui habet per totum Ordinem plenum cum psalteriis monachatum. »

PHILIPPUS REX FRANCIÆ FUNDATIONEM PERFICIT.

IV. « Philippus Valesius ejus filius, post Caroli Pulchri mortem, lege salica, anno 1328, Galliæ rex renuntiatus, fundationem hujusce cartusiæ quam e vivis Carolus excedens imperfectam reliquerat, perfecit et adimplevit ; assignavit insuper illas centum viginti libras super locum Bargui quas bonæ memoriæ pater illius volebat dare pro sustentatione quatuor Fratrum. Nonnullis ædibus sacris condendis, promovendis, instaurandis, munificentissime institit Philippus, speciali devotione hoc colens monasterium. Nondum absolutam et dicatam cartusiam munificentiæ auctariis magnificis illustravit, argenti et tritici obventus ei adjecit. Stagnum et fluvium, cui nomen *Ours* (Ourcq), qui ad civitatem quæ Miloniana Firmitas dicitur fluit. Egregia etiam jura et privilegia in eam contulit, puta in ea sylva percipiendi quid-

*Ejus beneficia in cartusiam Fontis B. Mariæ.*

ANNUS 1324

quid lignorum hujus cartusiæ incolis opus esset, tum ad focos cellarum, officinarum et aliorum locorum ejus cartusiæ, tum ad res ejus fabriles, ædificia construenda, instruenda, instauranda et quosvis alios usus; insuper et vim ducendi ad pascua quocumque tempore et servandi in ea sylva pecudes et pecora ejusdem cartusiæ ; sal etiam sumendi in horreis ejusdem Firmitatis Milonianæ et pro eo rependendi solum pretium mercatoris; immunitatem aliquid solvendi pro sigillo omnium diplomatum regiorum in omnibus Cancellariis hujus Regni; apparitorem specialem habendi, eum instituendi et destituendi, qui ubique regni Franciæ apparitione fungatur pro hujus cartusiæ monachis, subditis, colonis et domesticis. Procuratoribus et cæteris suis Magistratibus mandat ut negotia hujus cartusiæ procurent, gerant, tueantur impensis fisci Valesiani. Quin et sarta tecta ejusdem cartusiæ omnia ædificia servandi curam in se recipit.

« Philippus extinctus est anno vitæ quinquagesimo septimo, in Deum pius, liberalis in homines, in periculis fortis, domi gravis et mansuetus, ut paucas e Regum dotibus desideraret. Cujus obitus signatur in Charta Capituli nostri generalis anni 1351, his verbis : « Obiit 10 Cal. Septemb. Philippus rex Franciæ qui habet monachatum cum Psalteriis. » In vivis agens, ut cordi sibi maxime esse hanc cartusiam testatus est, ita extrema deliberatione statuit ibi cor suum condi. Ad summum altare monumentum extruitur ex marmore nigro cui superstructa Principis hujus effigies ex marmore candido fuit regia magnificentia, quod ibi substitit usque ad annum 1567, quo summo Regum Regi Christo et Christianissimo Galliarum Regi perduelles hæretici hanc cartusiam invaserunt, hora Matutinarum SS. martyrum Cosmæ et Damiani, 27 Septembris, cæteris impietatibus quas ibi nefarie perpetrarunt et hanc adjicientes, conditorium cordis Regis hujus diruerunt, iconem contriverunt, elogium oblitterarunt, et cordis ejus sacram sedem elocarunt funesto sacrilegio.

*Cor ejus ibi conditum.*

« Blanca Philippi regis uxor secunda, viri sui constanter vita, constanter matrimonio devotioni in hanc cartusiam vota sua

*Blanca regina benefactrix,*

adformans, superstes marito eam religiosissime fovit, servavit, amplians munificentias pristinas; quinquaginta librarum turonensium annuo reditu eam locupletavit, obnixe rogans quotidie celebrari ibidem Missam unam pro requie et salute animæ tum defuncti carissimi conjugis, tum suæ. Hæc toto vitæ cursu vidua perstitit, magna castitatis et temperantiæ laude : dicere solita Reginas Franciæ nunquam bis nubere; innuens, credo, indecorum esse et turpe feminæ a prima dignitate amore tori discedere. Postquam in insigni erga pauperes charitate, modestia, mansuetudine, sanctimoniaque vitam traduxisset usque ad annum ætatis sexagesimum sextum, feliciter cursum absolvit anno 1398, sepulta apud Sandionysiopolim in sacello Sancti Hyppoliti ; cujus obitus notatur in Charta Capituli generalis anni 1400, in hunc modum : « Obiit illustrissima D. Blanca regina quondam Franciæ, quæ habet tricenarium per totum Ordinem ; et quilibet celebrans dicat unam Missam de Defunctis pro ipsa, non celebrantes et laici sicut pro uno Breve. »

ANNUS 1324

« Nec omittendum Joannem Papam XXII, instante et exorante Carolo primario fundatore, hanc cartusiam Fontis B. Mariæ cum incolis suscepisse in protectionem sacro-sanctæ Sedis, datum Avenione Kalendis Februarii anno 1323. Dedit et bullam qua Domus Fontis B. Mariæ gaudeat eisdem privilegiis et libertatibus quibus gaudent alia monasteria nostri Ordinis. Dedit et bullam qua Prior et Fratres hujus Domus non teneantur ad quodcumque Concilium et Congregationem nec a quocumque possint compelli.

*sicut et Papa Joann. XXII,*

« Joannes Francorum rex, patris sui Philippi Valesii regis Galliæ studium erga hanc cartusiam æmulatus, privilegia ejus firmavit, auxit et cum filio suo Carolo quinto qui cognominatus est Sapiens, admortizavit fere omnia ejus bona temporalia, singula ejus cartusiæ jura et privilegia quibus a reliquis Regibus decorata est. Decessit Joannes Londini in Anglia 8 Aprilis, anno 1363. Cujus obitus legitur in Charta Capituli generalis sic : « Obiit dominus Joannes rex Franciæ, qui habet tricenarium per totum Ordinem. »

*et Joannes rex Francorum,*

ANNUS 1324

« Ludovicus dux Aurelianensis, Caroli quinti Galliæ regis filius, unam Missam perpetuam singulis diebus dicendam fundavit cum anniversario perpetuo singulis annis celebrando, ut habetur in ejus testamento impresso inter annotationes Dionysii Godefroy ad Historiam Caroli VI regis Franciæ, scriptam a Joanne Juvenali des Ursins. Per quod præterea testamentum fundavit in Domo Parisiensi anniversarium perpetuum. Hic Princeps a submissis a Burgundo Duce sicariis percussus multisque confossus vulneribus, misere periit Lutetia Parisiorum anno 1407; cujus obitus in Charta subsequentis anni describitur : « Obiit illustrissimus Princeps D. Ludovicus dux Aurelianensis, habens tricenarium per totum Ordinem. »

*necnon et Ludovicus dux Aurelianensis.*

ALII BENEFACTORES DOMUS.

V. Sunt alii benefactores quorum nomina notantur in Martyrologio Domus ; isti autem præcipue occurrunt in Chartis Capituli generalis :

Obiit Reverendus in Christo Pater D. Joannes episcopus Suessionensis, magnus benefactor Domus Fontis B. Mariæ et fautor Ordinis, qui habet per totum Ordinem plenum cum psalteriis monachatum. Cujus dies obitus sub prima Aprilis *.

Obiit magister Nicolaus sacerdos, sepultus in Domo Fontis, habens tricenarium per totum Ordinem *.

* Ex charta 1503.

* Ex charta 1332.

Laurentius de Theovilla, fundator unius Monachi ; qui pro se et Episcopo Constantiensi dedit nobis 200 florenos ad reditus emendos.

Oudardus de Noë eques, dominus de Bourneville et Joanna de Picquigny uxor ejus, domina dicti loci ; qui dederunt 24 arpenta in nemore de Sennevières, in partem fluvii d'Ourcq.

Ægidius dominus de Saucourt, de consensu regis Philippi Valesii dedit triginta libros annui reditus pro fundatione unius Religiosi.

Joanna regina, uxor prima Philippi Valesii regis, quæ testamento suo legavit nobis 24 libras parisienses annui reditus.

Focaldus de Nanteuil et Isabella uxor ejus elegerunt sepulturam apud nos et dederunt nobis unam domum et multas

terras sitas in territorio de Leviguen, cum duodecim libris parisiensibus annuis pro quatuor pitantiis dandis Conventui ad libitum Patrum Priorum. ANNUS 1324

Anno 1619 obiit in hac Domo D. Carolus des Frisches, sacerdos secularis parisinus, hujus Domus benefactor et unius Religiosi fundator, cujus corpus jacet in cœmeterio nostro.

Magister Joannes Offroy presbyter, sepultus in cœmeterio nostro, qui dedit nobis se et sua, et habet Missam in Conventu dicendam *de Quinque Vulneribus Christi,* circa octavas Visitationis B. Mariæ; decessit anno 1588.

Joannes de Noë eques, dominus de Bourneville et Maria Pomelain uxor ejus extinxerunt decimas quas vendidit nobis Reginaldus a S. Agatha, decanus S. Thomæ in vico de Tury.

DOMUS B. MARIÆ DE PRATIS FUNDATUR.

VI. Fundatur hoc anno Domus B. Mariæ de Pratis. Hæc, etsi sæpissime ob bella ad incitas redacta, tamen usque ad annum 1791 perstitit, semper Deo, Ordini et hominibus cara; quæ bis, licet non diu, sanctum Benedictum-Josephum Labre incolam meruit habere. Anno 1870, redimuntur, sumptibus Majoris Cartusiæ, rudera antiquæ hujus Domus novaque surgit, cujus Protoprior, vir artis typographiæ gnarus, domesticum disposuit prælum, e quo præsentes quos emittimus Annales prodeunt. Hujus Domus initium maxima sedulitate narraturi, duobus hucusque ineditis et magni momenti documentis innitemur.

*Primum* : ex opere manuscripto Ven. Patris nostri Domni Fr. Ganneron eruitur, cui nomen « *Tableau de la piété des Comtes de Boulogne.* » Eruditissimus Ganneron semel et iterum cartusiam Monstroliensem incoluit, anno 1624 ut Procurator, anno 1631 ut Vicarius ; et ex archivis (nunc deperditis) scite confecit Domus Historiam quæ adhuc desideratur : sic ex fragmento infra citando quoddam habemus breve compendium hujus Historiæ, ab ipsomet autore exaratum.

*Alterum* : illa est Analysis Annalium D. Le Couteulx, quam anno 1706 anonymus quidam Cartusianus confecit ; cujus ope, Autoris narrationem, summatim quidem, sed indubitato noscimus.

ANNUS 1324

Sinceris ergo fulti documentis, non tam nova quam certa, de exordio cartusiæ Monstroliensis lectori suppeditamus.

GANNERONII NARRATIO.

VII. « Demortuo, ait D. Ganneron, Roberto II, Boloniæ et Arverniæ comiti, filius ejus unicus Robertus successit : Magnus ob pietatem et animi virtutem cognominatus. Hic diem supremum clausit anno 1324, quo Monstroliensem cartusiam fundare cœperat..... Cum ergo præfatus Comes animadvertisset novas cartusias in vicinis suo Comitatui regionibus (puta : apud Anglos et juxta civitates Abbatisvillæ, S. Audomari, Bethuniæ.......) undique pullulare ; imo etiam nuperrime comitem Valesii Carolum ejus affinem (Roberti quippe filius præfati Comitis neptem uxorem duxerat) Domum Fontis B. Mariæ ædificasse, voluit et ipse unum monasterium Cartusiensis Religionis in territorio Boloniensi erigere. Mentem suam aperuit tribus ex intimioribus Consiliariis, nempe : Joanni Courteres * canonico Morinensi, primario ejus Clerico *, Guillelmo des Prez * camerario, et Guillelmo Mothier cancellario et thesauri præfecto ; qui, non modo Principem ad propositum perficiendum magis magisque incitarunt, sed etiam Joannes et Guillelmus camerarius fundum se præstaturos promiserunt, et Guillelmus Mothier pro nova Domo erigenda dedit prædium de la Parte. Quorum devotione perspecta, comes Robertus, ut nova Ordini aggregaretur fundatio, rogatorias litteras direxit ad Reverendum Patrem Aymonem Priorem Cartusiæ, a quo missus est Domnus Petrus de Berges, S. Aldegundis professus, qui recentem plantationem ex parte Ordinis reciperet eamque Protoprior moderaretur. Petrus itaque, duobus comitantibus monachis, accessit ad instruendam novam Domum quæ antea sat magnum fuerat prædium et feudum, quod dicitur gallice « des Préaux » juxta Novamvillam, non longe ab urbe Monstrolio situm. Illic Patres habitarunt, pro ecclesia amplo columbario disposito, donec ædificia prædii ad usum cartusiæ aptarentur. Vix tamen loci possessionem inierant, cum Robertus in gravem morbum delapsus est apud Hardrelo, Boloniensium Comitum sedem antiquam, prope No-

* *al.* Courterete.
* i. e. Eleemosynarius.
* *vel* de Pratis.

vumcastrum ad mare, et quatuor leucis Bolonia distantem. Sentiens dictus Comes se proxime decessurum, arcessivit D. Petrum de Berges, cui quamdam pecuniæ summam numeravit pro nova cartusia instituenda, Litterasque tradidit quibus concedebat X libras Parisienses annui et perpetui reditus per Thesaurarium Boloniæ expediendas, et insuper CC librarum Paris. amortizationem, quas in futurum acquirere valerent Cartusiani. Litteræ hujusmodi sunt :

ANNUS 1324

« Nos Robertus Boloniæ et Arverniæ comes, omnibus tam præsentibus quam futuris tenore præsentium volumus esse notum, quod nos ut de bonis quæ a Deo suscepimus eidem Creatori nostro placere valeamus, pro animæ nostræ, prædecessorum ac successorum nostrorum salute et remedio ; affectantes divinum cultum augeri ac Religionis augmentum in comitatu nostro Boloniensi, maxime Cartusiensium ad quorum Religionem de ipsorum precibus confisi in Domino gerimus affectionem sinceram ; cupientes ut in præfato Comitatu nostro fundetur unum monasterium Religionis ipsorum, ut ipsi qui tam arctam Regulam elegerunt devotius ac laudabilius sub ea Domino famulentur : ad fundationem ipsius, locum (in quo ecclesia B. Mariæ de Pratis sita est in Comitatu nostro juxta Novam Villam prope Monstrolum [et] Ordinis Cartusiensis claustrum, cellæ et cœmeterium Fratrum construuntur *) ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc amortizamus, alieno jure penitus salvo. Et eis in puram et perpetuam eleemosynam damus et concedimus pro fundatione dicti monasterii decem libras Parisienses annui reditus, solvendas anno quolibet in Natali Domini * per thesaurarium nostrum Boloniensem qui nunc est, seu qui pro tempore fuerit ; volentes ac præcipientes ex nunc easdem decem libras Parisienses anno quolibet, assignato termino, per thesaurarium qui pro tempore fuerit, prædictis Fratribus seu eorum certo mandato expediri Boloniæ, quousque certus locus pro prædicto reditu per nos vel per successores nostros eisdem Religiosis fuerit assignatus et amortizatus. Insuper in puram eleemosynam concedimus, volumus, et in hoc ex-

*Literæ donationis Comitis Boloniæ.*

* *al.* construantur.

* inde *la rente du Noël* vocabatur.

ANNUS 1324

presse de gratia speciali consentimus, ut dicti Religiosi ac honestæ personæ Prior et Fratres ecclesiæ Beatæ Mariæ præfatæ, in nostra gardia speciali existentes, illi scilicet qui nunc sunt seu eorum successores, temporibus nostris aut successorum nostrorum Boloniensium Comitum, in his quæ a nobis in Comitatu nostro Boloniensi, in feudo, retrofeudo, allodiis seu censiva tenentur, reditus usque ad summam ducentarum librarum Parisiensium, perpetuo titulo emptionis, donationis, seu quovis alio justo titulo, etiamsi eisdem in eleemosynam conferantur, acquirere possint et valeant ; inclusis reditibus jam acquisitis per eos, quos nunc habent. Et ut nos orationum suffragiis ac beneficiorum spiritualium quæ in prædicto loco et alibi per dictos Fratres et alios ejusdem Ordinis de cætero fient, cum nostris prædecessoribus et successoribus efficiamur participes ; prædictos reditus decem librarum Parisiensium, ac alios usque ad summam ducentarum librarum Parisiensium prædictam ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc amortizamus, alieno jure penitus semper salvo. Nos etiam in præmissis omnibus et singulis, gardiam, justitiam altam et ressortum pro nobis et nostris successoribus retinemus, nonobstante concessione et amortizatione supradictis. Tenebitur etiam Prior qui nunc est et qui pro tempore fuerit, in mutatione Domni vel Prioris, nobis et successoribus nostris fidelitatis præstare juramentum ; pro dicto tamen juramento ad aliquam finantiam minime tenebitur.

*Quæ sibi reservat Comes.*

*Juramentum Prioris.*

« Et ego frater Petrus de Berges, Prior illo tempore ecclesiæ Beatæ Mariæ prædictæ, præmissas concessiones, donationem et amortizationem, gratanter et humiliter acceptans, et in prædictis retentionibus et aliis consentiens, juramentum fidelitatis prædicto domino meo, domino Comiti, præstiti, ut teneor secundum retentiones et conditiones superius annotatas. In cujus rei testimonium, nos Comes prædictus sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Et ego frater Petrus, Prior prædictæ ecclesiæ Beatæ Mariæ prædicti Ordinis Cartusiensis, cum sigillo domini mei, domini Comi-

tis prædicti, præsentibus literis sigillum meum apposui in testimonium veritatis. Datum apud Hardrelo, quinta decima die Julii, anno 1324. ANNUS 1324

« Obiit continuo Robertus III, sed antea Cartusienses maxime commendaverat filio suo et Margaritæ Ebroicensi uxori ejus, quæ præ cæteris in novo monasterio promovendo eminuit.... *Obitus Roberti.*

« Quisquis hujus Monstroliensis Domus Historiam fusius enarratam legere voluerit, in nostris *Provinciæ Fundationibus* latino et gallico sermone conscriptam reperiet.

« Guillelmus, quem e Blancha Arverniensi Robertus genuerat, mortuo patre, Comitatum occupavit hoc eodem anno 1324...... Patris fundationem ratam habuit; cujus confirmationis literæ primum ab ipso Comite datæ sunt anno 1325 apud Hardrelo die XXI mensis Julii; dein a Senescallo Boloniensi, anno 1338. Haud diu superstes fuit Comes, annum enim 1332 non excessit, ut aperte liquet ex diplomate amortizationis dominii de la Parte in favorem Cartusiensium ad instantiam consiliarii et thesaurarii Guillelmi Mothier...... Margarita d'Evreux ejus uxor multum ei superfuit. Inter ejus ætatis nobiliores feminas devotione facile prima. Funditus extruxit reditibusque dotavit duas in claustro Monstroliensi cellas*, donatis possessionibus quas etiamnum habent Cartusienses, in vicis de Hanocq* et de Brecquessen*, et feudum in pago de Fosses; refectorium ædificavit, ecclesiam peregit, plura item paramenta, casulas ex panno aureo et vasa quædam pretiosa contulit. Cum Domnus Henricus de Villa-regia, Ordinis Cisterciensis in Abbatia de Valloliis* alumnus, qui Margaritæ erat a confessionibus, primus in eremo Monstroliensi vota monastica nuncupasset, Comitissa habere Confessarium et animæ Directorem V. P. Petrum de Berges exoptavit; quem ideo Capitulum generale ad suam instantiam absolvit ab officio. Obiit Margarita anno 1355, sepulta in sacello S. Annæ ecclesiæ B. Mariæ Boloniensis.

*Guillelmus ejus filius et successor.*

* signatæ A et N.

* *Enocq.*

* *Brexent.*

* *Valloires.*

« Ingerranus de Créquy, Morinensis episcopus, qui ecclesiam cartusiarum S. Audomari et Monstrolii dedicaverat,

ANNUS 1324

eodem fere anno quo Guillelmus comes mortuus recensetur.

« In Archivo cartusiæ Monstroliensis quamdam reperi cartam a Joanne II, comite Boloniensi, anno 1374, die 14 Julii, Compendii datam, qua donationem a Roberto Magno huic Domui factam ratificavit. »

DOMNI C. LE COUTEULX NARRATIO.

VIII. « Hoc quoque anno 1324, refert Le Couteulx, Robertus Boloniæ et Arverniæ comes, cartusiam erigit juxta Novamvillam, diœcesis Morinensis, non longe a Monstrolio, ad solvendum votum quod prius in summo vitæ periculo navigans spoponderat. Paucis abhinc mensibus Comes obiit, pecunia ante tradita D. Petro de Berges, Rectori, Domus ædificandæ causa. Paternam fundationem approbavit Guillelmus, cujus consors primam erexit et dotavit cellam, in qua omnium primum D. Henricum de Villeroy († 1340) voluit habitare. Joanna filia ejus et hæres, uxor Philippi Eudonis ducis Burgundiæ filii, aliam fundavit cellam, et Cartusiensibus in tantum favit ut, annuente Capitulo generali, Petrum de Berges a confessionibus meruerit obtinere. Petrus de Templo, vir nobilis et dives, cum cerneret novi cœnobii situm angustiorem esse et exiguum, ampliorem dedit ubi Domus superior * fuit constructa ; et idcirco Petrus iste *fundator* appellatur. Servata tamen sunt in usum Correriæ * ædificia jam facta in fundo quod obtulerant Joannes Courterète et Guillelmus de Pratis, unde hujus Domus vocabulum : Cartusia B. Mariæ *de Pratis*. »

* Ubi claustrum et cellæ Monachorum.
* Domus Conversorum.

SERIES FUNDATIONIS EVOLVITUR.

IX. Ita Ganneron et Le Couteulx : nunc ex prædictis integram fundationis seriem evolvere licet, quibusdam tamen adjectis.

Anno 1323, Boloniæ Comes scribit ad Cartusiæ Priorem pro nova inchoanda Domo, approbante Morinensium episcopo Ingerrano de Créquy ; adveniunt Monachi ; monasteriolum quoddam aptatur, columbarium ecclesiæ loco usurpatur : unde penuriam et angustiam loci suspicari potes. Vicina quidem exstabat Dei Genitrici dicata capella, remotior tamen quam ut in eam Patres pro Sacro faciendo con-

venire possent. Hæc de exordio cartusiæ B. M. de Pratis, erectæ in fundo a G. de Pratis (unde ejus vocabulum) concesso. ANNUS 1324

Anno 1324, Kalendis Februarii, Indulgentiæ conceduntur a XIV Episcopis in earum gratiam qui novæ Domui subvenirent. Eidem Domui Robertus comes, antequam moreretur, aliquot pecunias erogat et reditus, data carta apud Hardrelo, quintadecima die Julii. Hic observatione dignum : carta hæc non fundationis (ut minus recte scripserunt Sammarthani) sed pure donationis est. Quo enim pacto fundator, qui nullum fundum dederit ?

Robertum 17 Kalend. Novembris decessisse arbitramur : ejus namque obitus in Necrologio Sanctæ-Capellæ Vici-Comitis notatur ad festum sancti Geraldi, quod eo die celebratur.

Tunc temporis novæ cartusiæ ædificia tardius surgebant, cum in ipso donationis Instrumento Robertus dicat : « Cupientes ut in Comitatu nostro *fundetur* unum monasterium Religionis Cartusiensium....... » et concedit decem libras annui reditus « pro fundatione præfati monasterii..... ut claustrum, cellæ Fratrum ac cœmiterium construantur. »

Anno 1325, Roberti donatio a Guillelmo ejus filio confirmatur. Exeunte anno, Cartusienses munificum nanciscuntur benefactorem. Petrus de Templo, dominus de la Mote, novem jornalia terræ, ad jactum lapidis a prædio de Pratis sita, eis largitur. Altera statim Domus erigitur (in eo plane loco ubi hodie præsens cartusia conspicitur) ; priore non derelicta, sed ad usum Correriæ, ut mos erat, servata. Petrus de Templo jure fundator dicitur : fundator est fundi dator ; Guillelmus autem de Pratis promotor, qui locum præbuit ubi nostra fuit incœpta cartusia.

*Translatio Domus in locum hodiernum.*

Sunt qui putent Vestiarium * ecclesiæ nostræ, fundamentis antiqui sacelli B. Mariæ de Pratis superædificatum fuisse, quod minime nobis displicet.

* Sacristia.

PRÆCIPUI BENEFACTORES.

X. Opus a Guillelmo de Pratis et a Petro du Temple feliciter inchoatum, feliciter est consummatum ab ejus Domus benefactoribus, de quibus nunc agendum.

ANNUS 1324

Sanctissimus Dominus, Dominus noster Joannes papa XXII, ante annum 1332, Domui B. Mariæ de Pratis indulsit « ut immunitatibus et gratiis Ordini Cartusiensi ab Apostolica Sede concessis, gaudere valeret » ; dein XII Kal. Sept. 1332 et VI Kal. Novembris 1333, idem Pontifex multa privilegia a prædecessoribus suis in favorem totius Ordinis data, specialius confirmavit pro Domo Monstroliensi.

Kalendis Februariis 1324, Episcopi quatuordecim, e diversis mundi partibus Avenione congregati (nescio qua ducti ratione et a quo ad talia inclinati), « cupientes, aiunt, ut ecclesia B. Mariæ de Pratis, Cartusiensis Ordinis, Morinensis diœcesis, nuper fundata, a Christi fidelibus jugiter veneretur ; omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad dictam ecclesiam in quolibet festo infrascripto..... causa devotionis et orationis aut peregrinationis accesserint ; necnon qui ad fabricam, luminaria, ornamenta, seu quævis alia dictæ ecclesiæ necessaria, manus porrexerint adjutrices ; aut qui in eorum testamentis vel extra, aurum, argentum, vestimenta, seu quævis alia caritativa subsidia dictæ ecclesiæ legaverint, donaverint seu procuraverint, aut qui Matutinis, Vesperis aut aliis quibuscumque divinis Officiis, aut qui apud dictam ecclesiam elegerint sepeliri, in dicta ecclesia devote interfuerint ; aut qui in serotina pulsatione campanæ, flexis genibus, ter *Pater noster* et *Ave Maria* pia mente et devota dixerint.... » istis singuli eorum (Episcopi) quadraginta dies Indulgentiarum concedunt.

Ingerranus de Créquy, Morinensis episcopus, qui fundationem Domus approbaverat et ecclesiam dedicaverat, suprascriptis assensum præbuit, et « insuper ad augmentum cultus divini salutemque fidelium animarum.... omnibus benefactoribus ecclesiæ B. Mariæ de Pratis, vere tamen pœnitentibus et confessis, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer » relaxavit.

Guillelmus comes, ex testamento dedit et legavit Domui de *Chartrosa* in Bolonia, XL libras parisienses semel solvendas (scilicet CXX franc. annui census monetæ præsentis),

ad emendum reditus pro uno Fratre ibidem ponendo et sustentando. ANNUS 1324

Margarita Ebroicensis, præter plurima jam Nostris tributa, anno 1335 prædium quoddam in pago Mariævillæ * donavit, et in Charta anni sequentis hæc de ea leguntur : « Illustrissimæ dominæ Margaritæ comitissæ Boloniæ, quæ multa beneficia Domui B. Mariæ de Pratis contulit, conceditur tricenarium per totum Ordinem. »

* *Maresville.*

Joanna ejus filia unam cellam ædificavit.

Guillelmus Mothier (de quo supra) duas fundavit Missas quotidie imperpetuum celebrandas : quarum prima pro remedio animæ suæ, altera pro salute Domini Roberti comitis ; ea propter prædium de la Parte in agro Boloniensi contulit, cujus amortizationem comes Guillelmus concessit.

Nec silentio prætereundum quæ de G. de Pratis in Charta Capituli generalis anni 1336 referuntur : « Venerabili Domino, viro illustrissimo de Pratis, *Promotori* dictæ Domus, conceditur Fraternitas Ordinis. » Fraternitas, i. e. ut pro eo fiat per totum Ordinem quantum pro professo Ordinis nostri fieri consuevit.

*Fraternitas Ordinis, quid?*

Arnulphus de Cayeux, dominus de Longvilliers, et uxor ejus, duas cellas ædificarunt et XL libras parisienses annui reditus concesserunt ; sepulti in Capitulo. Arnulphus, mense Januario 1326, eleemosynam 9 jornalium terræ a P. de Templo nobis factam confirmavit et amortizavit.

Joannes de Hodicq, miles, et ejus consors duas cellas (signatas L et M) construxerunt et large dotarunt. Defuncta uxore, Joannes apud Nos se recepit et pie decessit in camera super Capitulum quod ipse ædificaverat. Ambo in ecclesia jacent.

Ingerranus de Hestrus cellam erexit et reditus XX librarum dedit.

Maria Muguelle, burgensis Monstrolii, ingentem pecuniæ summam largita est, qua decimam de Cormont comparavimus.

Joannes d'Acques, Monstroliensis scabinus, cellam G construxit et dotavit.

ANNUS 1324 Idona du Marais, Guillelmi Mothier ancilla, piissima et ætate provecta mulier, pinguem nobis dedit censum molendino de Selinghes in Comitatu de Guisnes fundatum ; ast prædictus census minime levari potuit antequam Calesium ab Anglo liberaretur.

Historici quidam, nota ad Chronicon Dorlandi (cum prodiret e prælo, anno 1608) indebite inserta decepti, fundationis Domus Monstroliensis causam autumarunt visionem cujusdam Salvatoris patientis tabulæ. De hoc fictitio, quantum ad nostram Domum attinet, prodigio, ne verbulum quidem apud Ganneron ; quid de hoc senserit Le Couteulx, ad annum 1392 quem propria exaravit manu Lector inveniet.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1325.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 10. | Ann. 242. | Ann. 13. |

GODEFRIDUS MAURBACENS. UTRUMQUE CÆSAREM RECONCILIAT.

I. MILLESIMUS trecentesimus vigesimus quintus annus Christi Redemptoris, Indictione octava signatus exurgit, quo Fridericus Ludovici Bavariæ Imperatoris æmulus, Godefridi Maurbacensis Prioris industria de carcere eductus, interdum ad suos Cartusienses divertit, eosque aliis cohonestat beneficiis, sicut enarrat prælaudatus autor Chronici Domus : « Ut Fridericus emanciparetur, urgebat Pontifex Romanus censuris, Reges exteri legationibus, Proceres Germaniæ precibus ; sed obfirmati animi victor Ludovicus neque hos neque illos audiebat ; quippe Godefrido Priori, conciliatæ pacis et libertatis Principis gloria debebatur. Indefessis ille precibus et gemitibus cum universo Religiosorum cœtu, et quotidianis corporis macerationibus divinum sibi Numen placaverat, cum ea fiducia Ludovicum aggressus, aheneum illud pectus singulari dexteritate penetravit, et fundatorem suum iis legibus, quas a victore non expectes, nempe ut imperarent pari ambo potestate, impetravit ; quod tamen displicuit Summo Pontifici qui Carolum regem Franciæ Imperio potiri peroptabat. Sistitur Ludovico Fridericus, et angelo pacis Godefrido præeunte, stipulantur dexteræ ; atque præter amnistiam præteritorum juratur concordia, necnon in sacrosancti fœderis æternum robur, Godefridus utrumque Cæsarem delicta confitentem Sacramento expiat et in magna Principum corona,

Chron. Cart. Maurbac. p. 15 et sqq.

ANNUS 1325

Sacris operatus, ex eadem numero Hostia communicat utrumque; qui sumpto amoris Sacramento, mutuos charitatis iverunt in amplexus, plaudente Germania, triumphante Bavaria atque Austria, piis vero Religiosis mixtas gaudiis lacrymas ex animi teneritudine non tenentibus, quod præter suavissimum suum Fundatorem, viderent Romani etiam Imperii fasces a cucullo monastico pacificationem admittere.

« Ita restitutus Austriæ Fridericus, apud Godefridum et suos Cartusianos, asceticæ vitæ delectatus dulcedine, magnam deinceps temporis partem exigere; cœlestium quam sublunarium regnorum potiorem habere rationem; curis et sollicitudinibus coronæ tam infidæ, tot aculeis armatæ, tot spinis horridæ quot radiis illustri Ludovico permissis, Augustus ipse diadema et ingentia quæ sursum sunt æternitatis spatia comparare; placando Numini tam ipse sollicitus allaborare, quam viros religiosos deprecatores adhibere cœpit.

CARTUSIA SCHNALSENSIS FUNDATUR.

Hist. ms. Ord. Cart. p. 409.

II. Henricus Carinthiæ dux, Bohemiæ ac Poloniæ rex, fundator hoc anno extitit cartusiæ Montis Omnium Angelorum, in valle quæ Schnals appellatur, Tirolensis comitatus et diœcesis Curiensis, quatuor leucis versus occidentem ab oppido Tiroli distantis. Est in altissimis montibus rupibusque inaccessis, aliquot horarum spatio vix pervia : adeo ut sit locus horroris et vastæ solitudinis. Nova Domus Ordini incorporata fuit anno sequenti et multis ab Henrico privilegiis condecorata, quæ D. Molinus summatim recenset in hæc verba : « Henricus, divina favente Clementia, Bohemiæ et Poloniæ rex, Carinthiæ dux, Tirolis et Gorzen comes, Aquileiensis, Tridentinensis, Briximensis Ecclesiarum Advocatus, omnibus in perpetuum. De propria salute cogitans, cupiensque terrena in cœlestia et transitoria in æterna felici commercio commutare; pro me progenitorumque meorum animarum salute, monasterium in proprio fundo, videlicet in valle quæ Schnals vulgariter nuncupatur, Curiensis diœcesis et Ducatus Carinthiæ; ad honorem Dei et gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum, et specialiter in honorem et sub nomine Omnium Angelorum, de bonis propriis

instituere et fundare intendo.... » Et post assignationem bonorum, addidit Fundator : « Quorum bonorum assignationem fecimus in manus religiosi viri fratris Godefridi Prioris Vallis Omnium Sanctorum de Maurbach, nomine Domus et claustri in Schnals, Ordinis prænotati. » Prior hujus Domus est Capellanus natus Principis et inde annuo ditatus proventu : quæ omnia Joannes XXII confirmavit anno 1331, sui Pontificatus anno decimo sexto.

ANNUS 1325

Erat vero hæc Domus in provincia Alemaniæ Superioris a principio, deinde inter Domos Provinciæ Thusciæ adnumerata fuit usque ad annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum secundum, quo revocata fuit ad numerum Domorum Provinciæ Alemaniæ Superioris per Capitulum generale ejusdem anni his verbis : « Contemplatione illustrissimi Principis et DD. Sigismundi ducis Austriæ, et ad sui ferventem instantiam, ordinamus quod Domus Omnium Angelorum in Schnals Ordinis nostri amodo non sit sub Provincia Thusciæ, sed sub Provincia Alemaniæ Superioris, sicut alias consuevit . » Et obiter advertendum (quia hic fit mentio Domus Austriacæ) Comitatum Tirolensem in Domum Principum Austriacorum translatum et adjectum fuisse anno hujus seculi septuagesimo per Rudolphum Alberti ducis Austriæ filium, ut annotavit Ortolius : in tabula Comitatus Tirolis.

Ex Charta anni 1452.

Plures hujus Domus extitere benefactores. Anno 1620 Maximilianus Austriæ, electus Poloniæ rex, 10,000 ducatus moriens Nostris dimisit. Anno 1635 Leopoldus archidux Austriacus, magnus nuncupatur benefactor.

Cæterum Henrici fundatoris cartusiæ in Schnals celebris est memoria apud Historicos, præsertim eos qui de Bohemiæ et Poloniæ rebus scripsere. Ex Nauclero sequentia exscribimus. « Wenceslaus Othocari filius, Bohemorum rex VI, imperium sibi oblatum fertur respuisse : subjecit sibi Polonos a quibus invitatus diadema suscepit, expulso Wladislao Loctico. Deinde trigesimo tertio ætatis suæ anno ex tabe obiit, mortem ejus Bohemis magno mœrore prosecutis. Ei successit

*Plura de Henrico recitantur.*

Apud Bohic, ad ann. 1326.

ANNUS 1325

filius ejus Wenceslaus qui duodeviginti annos natus, in quadam Moraviæ civitate, dum solus in Domo decani pontificalis ædis perambulabat, tribus vulneribus confossus interiit.

« Venerat forte eo tempore Pragam dux Carinthiæ et comes Tirolis Henricus, cui ex sororibus regis altera, Anna natu major, jampridem nupserat. Hunc Bohemi regem sibi deligunt. Id ægre fert Albertus Imperator ; qui repente coactis copiis, Bohemiam ingressus, Henricum regno deturbat, Rudolphumque filium suum Regem constituit. . . . . . Post obitum Rudolphi, dissidentes inter se Bohemi, alii Fridericum Rudolphi fratrem, alii Henricum (quem dejecerant) petierunt. Vicit Henrici factio, trucidatis alterius partis autoribus ; et quamvis Albertus Imperator cum magnis copiis Bohemiam ingressus, regionem longe lateque afflixerit, Henricum tamen dejicere regno non potuit, prius a nepote suo Joanne 1308 occisus. Anno porro Domini millesimo trecentesimo nono, Henricus Imperator (eo nomine VII) Elisabeth alteram Wenceslai sororem decem et octo annos natam, clam jussam ad se venire, apud Spiram Joanni filio suo quatuor annis minori matrimonio conjunxit, eumque mox de regno investivit, ac Pragæ in Regem coronari fecit per Petrum archiepiscopum Moguntinum, ad quem spectat. Rex eodem tempore exercitum ex Franconibus Boairiisque comparatum, duce Petro archiepiscopo cum filio, in Bohemiam misit. Et pugnatum est in Bohemia pluribus locis : cum alii Bohemorum Joannem regnare cuperent, alii Henrico Carinthio studerent..... Obsessa est denique Praga diuque oppugnata, cum Henricus et Marchio Misnensis haud impigre mænia tuerentur. Ad extremum proditione Joanni tradita, hostis in arcem sese recepit, Henricus in Carinthiam fugit. » Hæc Nauclerus de Fundatore cartusiæ Schnalsensis.

CŒMETERUM DOMUS ANTWERPIENSIS DEDICATUR.

Ex Calend. Domus Antwerp.

III. « Anno 1325, ut legitur in Calendario Domus Antwerpiensis, dominus Hermannus Dei gratia Hennensis episcopus, vices gerens in Pontificalibus domini G., Dei gratia Cameracensis episcopi, consecravit III Kal. Maii hic in capella B. Catharinæ altare in honorem et venerationem Sanctæ

Crucis, S. Mariæ semper Virginis, S. Joannis Baptistæ patroni nostri, S. Andreæ Apostoli, S. Catharinæ Virginis et Martyris et omnium Sanctorum. Et aream infra capellam prædictam et locum extra circumquaque (excepto loco orientali), et viam qua itur de dicta capella ad cellas, ac etiam ambitum sive quadrangulum et pratellum cellis circumcinctum, pro cœmiterio dedicavit. Et instituit deinceps diem consecrationis et dedicationis hujusmodi singulis annis Dominica prima post Inventionem Sanctæ Crucis celebrari; assignans et pie conferens ipso dedicationis die et per Octavas ejusdem, omnibus confessis et contritis ibidem accedentibus, altare quoque dictæ capellæ devote visitantibus, quadraginta dierum Indulgentias perpetuis temporibus duraturas. »

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1326.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 11. | Ann. 243. | Ann. 14. |

IMMUNITATES A S. HUGONE CONCESSAS EPISCOPUS GRATIANOPOL. CONFIRMAT.

I. NOVUS Christi annus millesimus trecentesimus vigesimus sextus exoritur, Indictione nona, quo Aymo, Prior Cartusiæ, die 16 Maii, in præsentia Notarii publici, exhibuit in judicio (ut habetur in Instrumento) R. P. Guillelmo Gratianopolitano episcopo, tunc apud Majorem Cartusiam commoranti, litteras emanatas a sanctissimo viro, piæ recordationis beato Hugone, quondam ejusdem Ecclesiæ episcopo, quibus litteris dictus S. Hugo omni mulieri transitum, hominibus armorum gestationem, piscationem, venationem intra Cartusiæ terminos, sub pœna excommunicationis, ut sub Guigonis temporibus vidimus, prohibuerat. Guillelmus vero sancti Hugonis dignissimus successor, visas easdem ac, cum reverentia qua decebat, receptas litteras publicavit et insinuavit, ac sequendo voluntatem ipsius almi Confessoris, eas eorumque libertates non solum confirmavit et illæsas conservari voluit, sed præterea « quia merita residentium in dicta Domo postulant et requirunt quod eorum libertates favorabiliter amplientur ; idcirco, intuitu pietatis condecentis et benemeritæ, donat, cedit omnia jura tam jurisdictionis quam superioratus si quæ habeat et habere possit infra eosdem terminos. Et quia nonnulli æmuli, diabolica instigatione, aliquoties dictos bonos Viros, res et jura eorumdem, Dei cultores et servos inquietant et perturbant intra dictos terminos et extra, Dei timore

postposito ; idcirco, ad conservationem et declarationem jurium dictæ Domus et servitorum ejus, et ad eorum tuitionem et pacem, sub interminatione anathematis inhibet et injungit idem dominus Episcopus omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne intra terminos antedictos, eosdem Fratres inquietent, perturbent, molestent. Actum Cartusiæ, testibus fratre P. de Avalone, Domno Raymundo Priore Bonæfidei, D. Jacobo Vethone monacho ejusdem Domus Cartusiæ, et D. Jacobo de Vivey Procuratore dictæ Domus, cum sigillo Guillelmi episcopi. » Ex his conjicere est Patres Cartusiæ a vicinis suis molestias passos fuisse, unde et Guigonis dalphini Viennensis auxilium etiam implorantes, tabulas ab eo tutelares, die 14 Julii obtinuerunt, in quibus inter cætera sic loquitur : « Domum sanctam de Cartusia cupientes in pacis tranquillitate vigere, ipsamque patrum et prædecessorum nostrorum sequentes vestigia, volentes benevola gratia prosequi, præcipimus, ut fortius possumus, et mandamus universis Baillivis, Judicibus, etc., quatenus dictam Domum, Fratres, Conversos, familiares, homines et bona, quos et quæ sub alarum nostrarum protectione et custodia esse volumus et jubemus, ab omnibus injuriis, molestiis, offensis, oppressionibus et extorsionibus quibuscumque eisdem per gentes nostras vel subditos inferendis, defendant ac viriliter protegant. »

ANNUS 1326

*Guigo dalphin. Cartusiam tuetur.*

Præter Guillelmum episcopum Gratianopolitanum, alter Præsul singularis nostri Ordinis fautor, Domum quoque Cartusiæ sua texit protectione : is est Jacobus de S. Andrea, Bellicensis episcopus, qui præterea concordiam cum quodam suæ diœcesis curione et Aymone, Priore Cartusiæ, ante octo annos Joannis ejusdem Ecclesiæ Bellicensis interventu actam confirmavit, apposito litteris dictæ transactionis suo sigillo in Vigilia S. Matthæi : unde discimus Jacobum citius quam hactenus Scriptores crediderunt, ad Sedem Bellicensem evectum fuisse. Dum sic Nostri injurias sibi illatas æquo animo ferunt, benefactores in patientiæ suæ remunerationem nacti sunt, inter quos eminet vir nobilis et potens,

*Bellicensis episcopus Cartusiæ amicus,*

ANNUS 1326

*et Albertus de Viriaco.*

Albertus de Viriaco, Fabricarum dominus, qui liberaliter jura cessit quæ in res Cartusiæ in ejus dominiis sitas habere poterat, scriptis in suæ cessionis argumentum et robur litteris apud Augustam in cœmeterio B. Clari, coram testibus Ludovico Revoyri domino Domayssio, Sibaudo Alemandi milite, Gileto de Ponte domicello, et aliis Nobilibus; hanc gratiam, nomine Cartusiæ, recipiente fratre Petro, Clerico Reddito ejusdem Domus.

DECRETUM PRO DEFUNCTIS MONTIS DEI.

II. Hoc anno Cartusienses Montis Dei, fratrum suorum accelerandæ e Purgatorio liberationis studio incensi, decreverunt ut in posterum, præter orationes quæ unicuique ex Statutis nostris debentur, singulare Tricenarium, singulis annis pro cunctis fratribus ejusdem Domus defunctis solemniter fieret, scriptis in hunc finem tabulis sequentis argumenti :

Ex Hist. ms. Montis Dei.

« Ad memoriam præsentium et futurorum hujus Domus Montis Dei habitatorum. Nos frater Joannes Prior totusque Conventus Domus istius, præsenti scripto notum facimus quod nos omnes de communi et unanimi consensu ordinavimus et instituimus, ut pro animabus fratrum ac sociorum nostrorum professorum, videlicet Monachorum, Conversorum et Redditorum hujus Domus defunctorum, in quolibet anno fiat Tricenarium post festum Sanctæ Trinitatis vel alio tempore quum opportunum videbitur inchoandum. Cujus oratio prima dicetur *Deus veniæ largitor* cum cæteris, sed secundo loco dicetur *Inclina*. Quam ordinationem seu institutionem volumus et approbamus imperpetuum firmiter observari. Actum anno Domini MCCCXXVI, mense Julii. »

Quædam aliæ Domus, ad imitationem Monachorum Montis Dei, pari pietatis zelo erga suorum fratrum salutem moti, simile decretum sanciverunt.

CAPITULI GENERALIS DECRETA.

III. Multa hoc anno, in comitiis Ordinis decreta promulgata sunt, inter quæ hæc habentur insigniora :

1. « Ordinamus ut jejunia Quarti Temporis in Septembri fiant a personis Ordinis sicut est in regione vel diœcesi qualibet consuetum.

2. « Item, Monachi frangentes silentium in mensa, septem psalmos cum litania dicere teneantur : et sicut pro prandio, sic pro cœna pœnam incurrimus memoratam. ANNUS 1326

3. « Item, nulla occasione in refectorio ad cœnam Conventui pitantia detur, aut ab aliquo in Conventu comedatur ; qui contrarium fecerit aut fieri permiserit, prima die sequenti sine Capitulo, a vino abstinere teneatur.

4. « Ordinamus ut tribus diebus Capituli generalis non liceat alicujus Domus Ordinis nostri Monachis exire de suis Domibus extra clausuras. Habeant tamen post Nonam colloquium de bonis. Et si contingat aliqua ex causa per licentiam terminos Domorum dilatari, Monachi non exeant terminos antiquos. » Hodie, excepta die spatiamento deputata, non eximus nec colloquium habemus. Ex ultima parte hujus Ordinationis videtur ortus usus assignandi terminos pro spatiamentis.

5. « Item, diebus abstinentiæ deputatis, Monachi extra proprias cellas non laborent, nec tunc eis spatiamenta concedantur.

6. « Item, nulla occasione, Monialis vel Conversa aliqua ad Missam serviat ullo modo. » Hinc non absurde conjici posse videtur Moniales Sacro ministrare, absentibus clericis, sibi licitum esse credidisse : ad id forsan inductas ex quadam consuetudine (dicam an abusione?) in quibusdam regionibus, maxime in Belgio, jam tum forte recepta qua Sanctimoniales et aliquando laicæ Virgines, modo vigesimum non excesserint ætatis annum, aquam et alia hujusmodi parva obsequia sacerdotibus privatim celebrantibus ad hæc usque nostra tempora dare permittuntur, ut a quibusdam viris doctis et fide dignis audivi, licet nihil simile uspiam legerim. Quinimo Theodulphus Aurelianensis, et post eum Atto Vercellensis episcopi, Ecclesiæ morem et spiritum secuti, in suis Capitularibus admonent « ut feminæ, Missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant. » Nec dubium quin nomine « feminæ » tam virgines sæculares quam Sanctimoniales comprehendantur : cum et ipsas Diaconissas quarum multi- Theod. Cap. 6. Atto. Cap. 11.

26 *d*

ANNUS
1326

Morin. de Sacr. Ordin. p. 3. Exerc. 10. c. 3.

Joann. de Lapid. cap. v. art. 3.

Stat. Nov. p. III. capit. 4. num. 23 et c. 2. num. 6.

plicia erant in Ecclesia Orientali ministeria, ab altari propter menstruorum inquinationem repulsas esse constat. Quod certe Sacrorum Canonum autoritatibus consentaneum est. Unde Joannes de Lapide, cartusiæ Basilæensis monachus, in *Resolutorio dubiorum circa Missarum celebrationem occurrentium,* cum Glossa concludit « nulli feminæ, etiamsi Sanctimonialis sit, licitum esse ad Missam ministrare. » Et noster Raynaldus in suis Statutis prohibet ne « Moniales unquam serviant ad Missas. » Imo « nec Conversi, nec Redditi Laici, » his temporibus, « nisi de Præsidentis licentia et in necessitatis articulo, ad Missas servire præsumebant. »

Nova Collectio, II. P. cap. 24. n. 19.

7. « Item, ordinamus ut nullum instrumentum musicum vel sonorum, cujuscumque generis, etiam monocordium, in nostro Ordine de cætero habeatur : et nulla persona nostri Ordinis habens utatur. » Huic ordinationi consentiunt moderna Statuta, quæ « instrumenta musica librosque universos discantus seu cantus figurati interdicunt universis ». Non quod musica sit malum, sed quia videtur repugnare spiritui pœnitentiæ quo sancte acti monachi omnem a se eliminant oblectationem, eligentes potius, juxta sancti Hieronymi doctrinam, plangere quam canere. Unde apud Ruthenos et Moscovitas, monachi qui cithara aut alio musicæ instrumento utuntur, gravissime puniuntur, ut refert *Praxis Criminalis,* cap. 25. Neque his contrarii sunt Sacri Canones, ut colligimus ex Concilio I Romano (sub Agathone) statuente atque decernente « ut Episcopi, vel quicumque ecclesiastici Ordinis religiosam vitam professi sunt, citharædos non habeant vel quamcumque symphoniam, nec quoscumque jocos vel ludos ante se permittant. » An propterea quicumque monachi musicam deserere debeant, quam Benedictini jam temporibus Lanfranci optime calluisse scimus, non est meum decidere : licet eos non condemnem qui privatim in cellis inter opus cantilenas spirituales, ut vocant, nuda voce concinunt.

Vid. ad ann. 1330.

8. « Orabitur pro Venerabili viro Helyone, magistro Hospitalis Jerosolimitani. » Frater erat sanctæ Rossolinæ de Villeneuve-Trans, Monialis Ordinis nostri.

9. « Item, Guillelmo filio Guillelmi de Albona, et parentibus suis, his quos voluerit intelligere, vivis pariter et defunctis, conceditur unum tricenarium per totum Ordinem, quod de præsenti persolvatur cum oratione *Inclina*... et ultima *Omnipotens qui vivorum*..... » Hic est frater Jacobi de Viviaco monachi et postea Prioris Cartusiæ (dictus etiam Marmetus), qui fratris intuitu quosdam reditus Majori Cartusiæ anno 1327 contulit. Deinde ejus exemplo et adhortationibus commotus, relictis magnis opibus, monachum etiam induit in eadem Domo ubi anno 1337 fuit ex numero Diffinitorum Capituli generalis. Deinde factus Procurator, in eodem officio expiravit ; cujus obitus in Charta cartusiæ Trevirensis sic denuntiatur : « D. G. de Viviaco, monachus et Procurator Cartusiæ, qui habet associationem cum primo anniversario et obiit pridie Idus Augusti. » Notandum vero quod in litteris anno 1327 factis de donatione quorumdam redituum, dicitur Marmetus de Albona, sed ad frontem litterarum talis suscriptio legitur : « Domnus Guillelmus de Albona de Viviaco, monachus hujus Domus, dedit nobis dum adhuc esset secularis octodecim sextarios censuales vini percipiendos post mortem patris sui Guillelmi. »

ANNUS 1326

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1327.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 12. | Ann. 244. | Ann. 15. |

VICINORUM RUSTICORUM VIOLENTIÆ.

I. ANNO millesimo trecentesimo vigesimo septimo, Indictione decima currente, Aymo, Prior Cartusiæ « zelum suum et sinceritatem, » ut cum Chronico loquer, pro Domo sua et ejus tuendis libertatibus demonstravit. Per ducentos et amplius annos Major Cartusia, tum ex Summorum Pontificum privilegiis, ac singulari Episcoporum Gratianop. protectione, tum etiam ex liberali Comitum Sabaudiæ et Dalphinorum aliorumque Dominorum concessione, superiori ac inferiori jurisdictione per totum suum desertum quiete potita fuerat, ac speciali præfatorum Principum gratia, ut alibi vidimus, nulli armato fas erat terminos intrare, nisi prius armis depositis. Verum ab aliquot annis quidam vicini hanc Nostris obturbare possessionem multis modis conati sunt. Et hoc præsertim anno, dum Comitia celebrantur, plures e proximioribus pagis, armis instructi, per pontem irruunt ; et a quibusdam Nobilibus, ut par est credere, instigati, omnes sibi obviam factos, non solum minis sed etiam ictibus appetunt. Interea Priorum famuli, ne audaciæ reprimendæ imprudens teneret cupido, in Correria *, ubi solent tempore Comitiorum demorari, inclusi detinentur. Quidam nihilominus e monasterio illuc rediens, ab hujusmodi sicariis, quod forsan eorum insolentiam tacitus non ferret, impetitur ac plagis afficitur. Accurrit ille ad Correriam sociorum animos ad ultionem inflammaturus, sed

* *La Correrie.*

*Armati Domum inferiorem invadunt,*

ANNUS 1327

janua a Fratribus Conversis præclusa, petulantiorum ardor compescitur. Hunc satellites insecuti, transcensis muris, fores occlusos cæteris aperiunt sceleris consortibus : in eumdem famulum irruunt, percussisque ac vulneratis qui eorum furori se opponebant, captum abripiunt et in carcerem apud Intermontes contradunt. De violentiis statim inquirere Aymo jussit, ut patet ex multis judiciariis tabulis, quæ adhuc apud Cartusiam asservantur. Deinde lata in reos sententia excommunicationis, publice ac nominatim a curionibus pronunciatur. Septem ex eis hoc fulmine territi, ad cor rediere, qui ad Majorem Cartusiam venientes personaliter, ut acta loquuntur, « coram Venerabili viro D. Aymone Priore constituti, seipsos ei præsentarunt necessitate compulsi, eo quod in ecclesiis suis publice coram populo excommunicati, denunciati fuerant ad instantiam religiosorum virorum Patres et Conventus Cartusiæ, propter hoc quod cum quibusdam aliis arma portantibus, violenter et malitiose venissent infra terminos dictæ Domus ; et intrassent tempore Capituli generalis proxime celebrati, manu armata, in locum inferiorem Conversorum aliunde quam per portam, videlicet per clausuram, ubi verberaverant et vulneraverant usque ad effusionem sanguinis plurimos garciones Priorum qui venerant ad Capitulum generale ; et ceperant garcionem Prioris Montis Benedicti quem violenter extraxerant extra dictos terminos, et captum duxerant usque ad castrum novum domini Aymari de Intermontibus. Qui omnes sponte et volentes, confessi sunt se errasse et injuriam dedisse dictæ Domui in prædictis et in multis aliis, et se teneri erga dictam Domum ad emendam injuriæ secundum quod per Curiam dictæ Domus pro dictis offensis fuerint condemnati ; recognoscentes quod delinquentes infra dictos terminos debent puniri per Priorem dictæ Domus vel ejus Curiam. Quam ob rem ultro se præsentarunt coram dicto venerabili viro D. Aymone Priore, petentes ab eo beneficium absolutionis de sententia excommunicationis quam incurrerunt propter prædictas offensas, et generaliter propter qualescumque alias injurias quas commiserunt contra

*et famulum quemdam in carcerem contradunt.*

*Excommunicatione plectuntur,*

*a qua petunt absolvi.*

ANNUS 1327

dictam Domum, semel vel pluries infra dictos terminos et extra temporibus retroactis, et se dicti Prioris misericordiæ et arbitrio totaliter supponentes. Qui Domnus Prior promisit emendam eorum se recipere, etc. Actum hoc anno, die 19 Junii et aliis sequentibus. » Ægrotabat tunc Aymarus Intermontium dominus, qui famulum captivum statim ad Cartusiam remiserat et reos ad culpam suam agnoscendam fatendamque coegerat. Sed eo, post suum testamentum die 8 Novembris conditum, defuncto, Guillelmus ejus consanguineus et hæres, non solum suam jurisdictionem ex famuli liberatione læsam credidit, sed eam intra terminos Cartusiæ extendere nisus est, ut anno sequenti videbimus.

G. TORNERIUS CARTUSIÆ BENEFACTOR.

II. Dum his occuparetur Aymo, res suæ Domus privatas non neglexit; quasdam igitur donationes a vicinis Nobilibus sub regimine sui Antecessoris factas ab Eduardo comite confirmari curavit, quasdam etiam sibi oblatas non recusavit. Gerardus namque Tornerii de Viviaco, Joannis viri sancti Cartusiæ monachi pater, « tam pro remedio animæ et uxoris suæ Alixiæ quam omnium animarum a corpore exutarum, Dei misericordiam expectantium, et omnium posterorum suorum et specialiter contemplatione fratris Joannis monachi prioratus Cartusiæ carissimi filii sui, sexaginta solidos usualis monetæ bonorum Lausannensium perpetui census contulit, cum quibusdam conditionibus quas Aymo recepit. »

DOMUS VALLIS PACIS INITIUM.

III. Circa hæc tempora initium habuit cartusia Vallis Pacis in diœcesi Lausannensi, non longe remota a Domo Lanceæ. Ejus notitiam ex solis Chartis Capitulorum generalium eruimus, in quibus nomen fundatoris reperitur primum ad annum 1328, ubi uxor illius defuncta denuntiatur his verbis : « Obiit domina Alisia, uxor domini Ermandi, fundatoris Domus Vallis Pacis, quæ habet tricenarium, etc. » Et in Charta anni 1332, iterum de fundatore talis habetur mentio: « Domino Episcopo Lausannensi et domino Hermanno de Tressio militi respondebitur per Priores a Capitulo revertentes. » Et inferius satis indicatur hunc Hermannum ipsum fuisse Vallis Pacis autorem, cum paulo post subditur : « De

facto Domus Vallis Pacis respondebitur per Priores Angionis et Sancti Loci domino Episcopo Lausannensi et Militi fundatori. Et Prior Sancti Loci reducat Domnum Borcardum, monachum suum, qui ad dictam Domum ivit; et ibi contra præceptum Prioris Cartusiæ manere præsumpsit usque nunc. » Et in Charta anni 1333 : « Domnus Joannes Pirusset, monachus Domus Vallis Pacis qui hactenus in eadem Domo contra voluntatem et Ordinationes Ordinis remansit, Ordini inobediens existendo, remittitur ad Domum Sancti Loci; in eadem professionem (secundam pro more horum temporum) facturus. » Ex quibus Chartarum verbis colligere debemus hanc novellam plantationem tanquam non sufficienter a fundatore dotatam, vel ob alias causas gravissimas ab Ordine fuisse derelictam; sed præfatos monachos, Borcardum videlicet, virum inter Nos non incelebrem quippe qui pluribus Domibus olim præfuerat, et Joannem Pirusset, non statim ab ea recessisse, sed ibidem remansisse coactos forsan ab Episcopo Lausannensi et Milite fundatore, sub spe pinguioris fundationis vel removendarum causarum quæ obstabant et illius effectum impediebant. Verum Capitulum generale quod solet obedientiam omni temporali utilitati præferre, dure eos increpat et tanquam suæ Ordinationis contemptores punit. Nec posthac quidpiam de hac Domo occurrit in nostris Chartis.

ANNUS 1327

IV. Hoc anno, quarto nonas Novembris, obiit Jacobus rex Aragonum, cognomento Justus, benefactor cartusiæ Scalæ Dei quam sui antecessores fundaverant. Obitus ejus reperitur in Charta anni sequentis : « Obiit bonæ memoriæ dominus Jacobus, rex Arragonum, qui habet tricenarium per totum Ordinem. Pro ejus vero filio nunc regnante orabitur, et ei tricenarium per totum Ordinem impertitur, nempe post illius obitum solvendum. »

REX ARAGONUM MORITUR.

V. Pauca hoc anno in comitiis decernuntur quorum hæc præcipua sunt:

CAPITULI GENERALIS ORDINATIONES.

1. « Committitur Priori Cartusiæ quod ipse requisitus, possit licentiam indulgere ut admittantur ad professionem

ANNUS 1327

faciendam infra annum, personæ quarum sufficientia juxta ejus arbitrium hoc requirit.

2. « Item statuimus ut personis Ordinis quas secundum voluntatem Ordinis de Domo ad Domum vel alibi contigerit proficisci, ministrentur expensæ sufficientes, quas modo qui sequitur moderamus : scilicet ut eunti pedes cum famulo, pro quinque leucis, quas pro dieta taxamus, detur unus grossus turonensis ; pro equite vero et famulo cui octo leucas pro dieta assignamus, tres turonenses ministrentur ; nisi considerata personarum, Domorum et regionum qualitate, Domnus Prior Cartusiæ vel Visitatores aliud viderint ordinandum, quod eorum arbitriis est commissum.

3. In fragmento Chartæ quæ asservatur in cartusia Montis Dei, et creditur esse hujus anni vel superioris, legitur sequens Decretum : « Ordinationem contra esum carnium juxta antiquissimam consuetudinem Ordinis nostri, devota, laudabili et honesta, diligenti et continua observantia ab origine Ordinis custoditam, renovamus ; qui contra fecerit tanquam criminosus puniatur, etc. »

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1328.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 13. | Ann. 245. | Ann. 16. |

I. MILLESIMUS trecentesimus vigesimus octavus, Indictione XI, exsurgit annus, quo dominus Intermontium Guillelmus, magnus baro Comitatus Sabaudiæ, occasione cujusdam jurisdictionis quam infra terminos Cartusiæ habere contendebat, sub ipsius prætextu, tempore Capituli generalis, cum satellitibus suis non est veritus januam pontis Cartusiæ infringere et spoliare Correriam : inde vi et armis in Cartusiam proruens, omnibus commotis, passim dilabitur dicens se suo tantum jure uti. Tota hujus rei series invenitur in quodam Instrumento ab ipso Aymone statim confecto in hæc verba : « Anno 1328, die lunæ, secunda die mensis Maii, qua die celebrabatur Capitulum generale in religiosa Domo Superiori monachorum Cartusiæ, ibidem et eadem die, multis et infinitis Patribus Prioribus, monachis et religiosis personis congregatis ad prædictum Capitulum generale, et eisdem hora prandii ad mensam refectionis existentibus, clausis et firmatis januis dictæ Domus more solito, venit ad januam primamque portam dicti monasterii vir nobilis et potens Guillermus de Intermontibus miles, dominus castri novi Intermontium et Montisbelli, cum magna sua societate et multitudine gentium, equitum, peditum et cum armis : scilicet domino Jacobo de S. Mauritio milite, Rolleto ejus filio, Jaquemeto de Foraz, Jaquemeto et Aymoneto Richard fratribus; Joanne

INTERMONTIUM BARO JANUAM CARTUSIÆ FRANGIT,

*tempore Capituli generalis.*

ANNUS 1328

et Artaudo de Chalauderia fratribus, Aufuso Ginnelli, Petro Guillermeti, Joanne et Aymaro Ysuardi de Couz fratribus, Perroneto de Lucrins, Petro Vachiz, Thomasseto de Chambirez, Amblardeto Lardan, Aymoneto Constantini, Johanneto dicto Billaz et Jayeto ejus fratre et dicto Jarzino de Fraceta et multis et infinitis aliis complicibus, hominibus et subditis suis, quibusdam armatis et quibusdam sine armis. Et quidam de familiaribus et gentibus suis prædictis, scilicet dicti Billaz, Jayetus ejus frater et Jarzinus de Fraceta supergredientes muros portæ et clausuræ dictæ Domus, contra defensionem et resistentiam porterii aliorumque Familiarium hujus loci, vidente etiam nec prohibente dicto domino Guillielmo de Intermontibus, et per ipsius ejusque societatis et complicium prædictorum vim et potentiam, dictam januam superiorem monasterii effregerunt, seras catenasque ferreas, ac plures escendolas* muri et coopertura dictæ portæ abstulerunt et diruperunt, dictamque portam sic effractam ipsi domino Guillielmo et toti ejus comitivæ aperuerunt. Et supervenientes coram me Notario et testibus, viri religiosi Domnus Jacobus de Vivesio monachus, et frater Petrus de Salenchia Clericus Redditus Domus Cartusiæ, et Domnus Jacobus Vethone Prior Excubiarum, multique alii Priores et Religiosi Domus et Ordinis ; auditoque clamore et prædictorum tumultu, suis propriis dictique Capituli relictis negotiis, per effractionem prædictam dictæ portæ quam apertam invenerunt, obviaverunt dicto Guillielmo et ejus comitivæ intrantibus et insequentibus dictam familiam suam, continuando prædictam violentiam quam fecerant et faciebant. Cui et quibus, prædicti de Vivesio, de Salenchia et Vethone aliique Priores, ex parte Prioris Cartusiæ, Conventus et Capituli, requisiverunt expresse ut emendarent violentias injuriasque factas et illatas in janua pontis hujus Domus, effringendo et violenter intrando tam dictam januam quam Domum, et cellas Patrum et Conversorum fractas et violatas ; asserentes illum nullam ibi habere jurisdictionem vel dominium.

* Tegulas ligneas.

*Spreta quorumdam Priorum inhibitione,*

« Qui dictus Guillielmus nonobstante inhibitione illorum-

que requisitione, in suis injuriis perseveravit, intrando per effractam januam infra clausuras monasterii ; dicendo quod nonobstante inhibitione intraret et exiret, iret, rediret et faceret intra dictam Domum Cartusiæ, prout per terram suam propriam ; multique de gentibus, complicibus et satellitibus suis, cum eo intraverunt et fuerunt infra Domum per galileas et circuitus cellarum Monachorum et coquinam.

ANNUS 1328

*et totam Domum perlustrat.*

« Dicti Patres petierunt et præceperunt mihi infra scripto Notario fieri publicum Instrumentum ad opus dictæ Domus. Acta fuerunt hæc ad dictam Cartusiam, extra et infra et prope dictam portam superiorem effractam, ubi testes ad hoc præsentes, videntes et scientes, fuerunt Domnus J. de Rubeomonte Prior Siligniaci, D. Franc. Prior Montisbenedicti, fr. Petrus de Avallone Clericus Redditus Cartusiæ, Guillielmus Amblardi de Intermontibus, Petrus Richardi notarius, Johannes Vethone de Scalis magister, Petrus rector scholarum Bunaci (?), Guillermetus de Rumiliaco clericus ; plures alii Religiosi et clerici et laici. Et ego, Jacobus de Champo de S. Albano, autoritate imperiali publicus notarius, qui una cum prædictis Religiosis et clericis et gentibus præsens fui, et hanc cartam rogatus et requisitus ut supra scripsi fideliter, signoque meo solito signavi et tradidi. »

« Cumque, ait chronicon Cartusiæ, dictus Prior timeret hanc imposterum injuriam Domui Cartusiæ effici in detrimentum vel ruinam, Comiti Sabaudiæ et Delphino Viennensi hanc violentiam studuit intimare ; de et super præmissis petens justitiæ complementum. Sed non proderat ei hujusmodi sermo contra dictum Baronem, quem multum diligebant. Tunc dictus Prior perspicacis ingenii, zelo domus suæ accensus, hanc violentiam Regi Franciæ studuit intimare. » Quid autem Rex decreverit, anno sequenti dicemus.

*Aymo Regem Franciæ appellat.*

II. Eodem quoque anno, cum Ordinis nostri inimici Dominum Papam efflagitassent, ut carnium abstinentiam pro infirmis Cartusiensibus abrogaret ; ille Statuta nostra præclaro Joanni Andreæ Juris utriusque Doctori examinanda commisit, qui eorum religionem et moderationem valde miratus, de-

MIRACULIS APPROBATUR NOSTRA CARNIUM ABSTINENTIA.

ANNUS 1328

trahentium ora prorsus oppilavit. Circa hæc tempora, sancta illa abstinentia corroboratur miraculis, quorum sequentia ex autoribus fide dignis selegimus.

Sutor, *De Vita Cartusiana*, fol. LX.

« Cum venerabiles quidam magnaque autoritate viri, in quibus fuit Gratianopolitanus Antistes, in Majorem Cartusiam spiritalis consolationis gratia se contulissent, nonnullosque Monachorum debilitate, alios vero ægrotatione affectos comperissent, putassentque ob defectum carnium hujuscemodi detrimenta contigisse ; Priori suadebant ut suis alumnis carnes vel suæ præsentiæ contemplatione ministraret, addentes in casu necessitatis omnes carnibus uti debere, quod et passim observaretur ab omnibus, et docti viri ita faciendum censerent, qui ob nimiam quoque asperioris vitæ observantiam Cartusianis ipsis timerent. Quod cum Priori minime persuaderi posset, utpote qui carnium esum prorsus detestaretur, et tanquam nefas in Israel perseveranter exhorreret, miserunt nihilominus servos suos qui carnes Gratianopoli emptas deferrent. Obedientes Dominis servi, Gratianopolim adeunt, carnes emunt, fideliter deferunt, apertisque saccis quod intus latebat ostendunt. Mira res ! Non carnes sed veri pisces, in quos emptæ carnes animalium fuerant cœlitus commutatæ cunctis apparuerunt. Odor enim, color, sapor, aliaque id genus veros esse pisces luculenter indicabant. At vero Domini ipsi servis suis plane fidem non tribuentes, sed humano more arbitrati non carnes sed pisces emptos fuisse, curaverunt per legitimam inquisitionem plenius effici certiores. Quid plura ? Inquisitione diligenter effecta compertaque veritate plenissime, divinum Numen, quod veras carnes in veros pisces converterat, demirantes, quos ante carnibus uti volebant, ne id facerent prorsus adhortabantur ; asserentes (quod verum est) potentissimum Dominum sine carnium esu servos suos alere, atque incœpto proposito sine vitæ graviorisque periculi discrimine conservare posse. »

*Carnes in pisces commutatæ,*

Aliud exemplum ex quodam Manuscripto, cui titulus : « Recollectiones factorum et virorum illustrium cartusiæ S. Martini supra Neapolim », deprompsimus.

ANNUS
1328

« Diversimode diversisque temporibus ad confirmandam corroborandamque nostram a carne abstinentiam, omnipotens Deus mirabilia operatus est. Cum enim in hac Neapolitana cartusia quidam Monachus infirmaretur, quidam sæcularis ejus affinis, eadem sæculari misericordia motus, asportabat illi gallinas quasdam aqua coctas et bene conditas : cumque septa monasterii sæcularis ille ingressus esset, statim gallinæ illæ vermibus scatere cœperunt ac putrefieri, unde sæcularis ille novitate facti perterritus absque mora extra monasterii septa putrefactas gallinas projecit, atque Monacho non aliter de prædictis conscio, veritatem aperuit, qui sæcularem acriter reprehendens, Deo Optimo Maximo se commendavit pro recuperanda sanitate quam infra paucos dies perfecte obtinuit. »

*vel in putredinem versæ.*

Tertium demum miraculum sic enarrat Dorlandus noster : « Et quia de non edendis carnibus jam mentio facta est, dignum duxi, quod nuper legi exemplum, relatu dignissimum, subjicere, quod tale est. Ante hæc nostra tempora venit ad Ordinem Cartusiensem Novitius quidam, vir multæ probitatis, cui diabolus talem ruinam est machinatus : Immisit illi gustandarum carnium appetitum tam vehementem, ut ille vix ferre prævaleret. Luctabatur nihilominus contra hanc virulentam immissionem, sciens carnalia desideria adversus animam justi militare ; interdum tamen, uti fragilis, quæ aspernabatur, appetebat. Lex namque carnis contra spiritum præliabatur. Unde quodam die, post longa certamina, diabolus credens hunc jam facile cessurum, speciem formosi juvenis induens, assas simul et elixas carnes palam illi ad mensam inferens, ubi solus prandii tempore residebat in cella, ait : Surge ocyus, surge, et cupitas jamdudum escas, atque optime præparatas carnes, pro tua voluntate manduca. En vide quam molles, quam delicatulæ sint ! Ille nihil territus (etsi sciret diabolum esse) ait illi : Exspecta paulisper, ego ad te citius revertens, faciam quod hortaris. Statim ille per git ad Priorem, insinuans quid secum diabolus actitasset et quas illi extruxisset fraudes. Interrogat autem Patrem, an

Chronicon Cartusiense Lib. v, cap. 29.

*Fictæ carnes a diabolo præsentatæ, evanescunt.*

ANNUS 1328

etiam carnes debeat appositas manducare. Ille uti vir erat spiritualis, sciens dæmonem nihil sua calliditate contra obedientiæ virtutem prævalere posse, jussit Novitio, ut appositas carnes, nihil hæsitans, manducaret. Qui reversus ad cellam, ait diabolo : Adfer huc carnes tuas, et ocyus eas manducabo. At zabulus cernens astutias suas obedientiæ virtute evacuari, cum fantasticis cibis repente disparuit, et mirantem juvenem, liberum vacuumque reliquit. Quippe qui didicerat technas omnes et fraudes callidissimi hostis, sola perfectæ humilitatis obedientia posse superari : si modo tentatus suas velit impugnationes et virulentas dæmonum immissiones suis aperire Superioribus, et nihil apud se in mentis suæ angulis occultare. Antiquum etenim præceptum est SS. Patrum et vere tutissimum, ut si volumus a dæmonum deceptionibus tuti atque integri perdurare, tentationes nostras omnes illis aperire non vereamur qui nostrarum curam gerunt animarum. Odit namque diabolus omnes, qui immissas sibi suggestiones accusantes semper palam efferunt. »

INCIPIT VITA BEATI PETRI PETRONI.

III. Cartusiensium professionem hoc anno in Domo Maggiani amplexus est Petrus Petroni, nobilis Senarum dominus, de cujus vita, hic et in subsequentibus annis, excerpta quædam intexemus. Licet nonnunquam Beatus appellatus sit, caute tamen advertendum, illum non hoc nomine ab Ecclesia, sed potius a populi voce fuisse decoratum. Vitam ipsius, cui iste præfigitur titulus : *Vita gloriosi Sancti Petronis Christi Confessoris*, scripsit italice S. Joannes Columbinus, fundator Ordinis Jesuatorum, adjutus a Nicolao Vincentio, Francisci Vincentii germano. Fuerunt hi ambo intima amicitia cum B. Petro conjuncti et optime omnia perscrutati. Utrique suam vel maxime operam contulit Joachimus quidam, cui jussu divino, diebus ante obitum suum quindecim, B. Petrus arcana multa, suas extases ac revelationes aperuit : eidemque mandata dedit ad varios de vita corrigenda monendos; quorum etiam secreta intima revelabat Joachimo, ad fidem ei apud ipsos conciliandam. Hanc Vitam ex italico latinam fecit Bartholomæus Scala Senensis, discipulus

S. Philippi Nerii, postea cartusiæ Florentinæ monachus. Cardinali Carolo Medici inscripta, 1619 Senis in lucem prodiit. ANNUS 1328

« Petrus, e gente Petrona, apud Senas, præclaram inter Etruscos urbem, anno ab orbe redempto tercentesimo undecimo supra millesimum nascitur, patre Gulielmaccio, matre vero Agnete Malavolta, pro seculi ac patriæ more, *Nese* vocitata ; ambo generis nobilitate, opibus et gloria inter primarios civitatis apprime florentes. Qui cum infantem, jam tum ab ipsis incunabulis ex se primo natum, aspicerent egregiam animi indolem præ se ferentem, quamdamque etiam illi divinitus insitam ad probitatem naturam, singulariter illum atque unice diligebant. Quippe ejusmodi plerumque eorum qui genuerunt ingenium esse solet, ut filiorum virtus acriores in eis impetus cieat benevolentiæ et caritatis : quam sane parentum erga Petrum caritatem quis dubitet auctam, ad summumque perductam non esse ejus cum educatione, tum accessione ætatis, simul et Christianæ virtutis ? Etenim cum alienis uberibus nutriendus traditus esset, paterna cœlestis Numinis providentia rem moderante, factum est, ut tanto erga Deum incensam studio, tantaque vitæ sanctimonia præditam nancisceretur altricem, ut quoties ubera illi sugenda præberet, flexo in sanctam quamdam lætitiam ore, hunc in modum puerum alloqueretur : Eia, fili, suge, suge, in nomine Jesu ; sicque una cum lacte nutrix suo, suam pariter virtutem Christianamque pietatem infanti paulatim instillabat : eumque tenera adhuc ætatula uni Deo jam educabat.

*Natus anno 1311.*

« Ex quo id vel in primis in eo suspiciendum, oppidoque admirandum jam tum fuerit, ut divino afflatus Spiritu cœperit innocens puellus re et verbis ostendere, se ad præclara Religionis facinora a Deo electum atque inspiratum. Bimulus namque, prout exploratissimum fuit, vaticinandi dono fulgere cœpit. Mater enim ejus, cum iterum masculæ prolis cupiditate flagraret, apud se statuit pollicitaque est (modo benigne illi Deus annueret) filio nascituro Francisci nomen se illico

*Bimulus prophetiæ dono fulget.*

ANNUS 1328

facturam. Nec irrita sane ad superos vota. Etenim, divina piis ejus optatis aspirante aura, contigit ipsam, sui ipsius conceptus prorsus ignaram, concepisse. Quod ut ad cumulatam absolutamque lætitiam præstanti mulieri cederet, effecit præpotens ipse Deus, ut filiolus Petrus leni attactu quandoque parentis uterum demulceret, eique infans vix avulsus ab ubere, cujus lingua nondum sonabat eloquium, blando hoc indicaret affatu : Est tibi, Mater, ventre hic occlusus Franciscus. Quibus mox pueruli verbis femina in stuporem acta, utpote quæ nulli hactenus mortalium cogitatum suum patefecerat, ipso concepti fœtus motu eodem temporis momento intra se jam perfectum esse cognovit, quod Petrus lumine collustratus divino præviderat prædixeratque. Quocirca ingenti Agnes voluptate perfusa, exoptatum infantulum in tempus effudit, eumque Francisci nomine ad sacros Baptismi latices pro voto insigniri jussit. Qui cum postea Petro triennium dumtaxat superstes extitisset, suum a germano fratre divinitus prædictum exortum libenter, quemadmodum ab ipsa parente jam inde ab adolescentia acceperat, narrare solebat.

*Quinquennis oratione vacat.*

« Infantili adhuc ætatula Petrus, quinque nempe annos natus, natum se, profecto eximiæ indolis infans, (uti paulo ante diximus) ad beatudinis opera exequenda reipsa commonstrabat. Siquidem divinitus agitatus, secreta ad orandum domi investigabat loca ; atque domesticorum aspectum declinans, libero solutoque animo, diu multumque sacris precationibus vacabat. In quo quidem precandi studio ita se serius gerebat puellus, ut senilis in eo jam tum maturitas appareret. Interea primæ ætatis crepundiis depositis, Præceptori octavum vix annum agens, una cum Francisco fratre sexenni, primis litterarum rudimentis traditur instruendus. Quibus ediscendis ea lege operam se daturum arbitratus est, ut nunquam pietatem a vulgaribus illis studiis sejungeret : quin etiam id illi cordi fuisse constat, ut nihil prius aut antiquius sacris precationibus haberet. Sic prorsus, ut (quemadmodum eodem Francisco fratre referente vulgatum est) sub vesperam cubitum cum discederet, nocte dein concubia e

ANNUS 1328

lectulo vigil exiliret, atque flexo humi geniculo, divinarum rerum commentationi ante Christum Cruci suffixum totum se daret; ac lacrymarum salsugine plenus, integras ferme noctes insomnis duceret. Quod si longa fatigatus vigilia, sopore quandoque deprimeretur, in storea intra cubiculum humi strata, pronus ipse prostrata membra damnabat, parentibus provida solertique pueri circumspectione, rei factique penitus insciis. Exin cum jam decimum annum ageret, nihil eo amabilius, nihil comius : quippe qui sortitus animam bonam, eam gravitatem morum præ se ferebat, ut facta ejus ad divinæ legis normam sensu plane mirabili dirigeret; atque eo fiebat, ut mens ejus indies magis magisque illustraretur, et ad pietatis officia obeunda ita ferveret, ut inter orandum lacrymarum usus ei inoleverit, rerum cœlestium dulcedine delibuto. Id ubi malus dæmon animadvertit, ejus perturbandæ quietis avidus, dolis illum petere aggreditur, torvum in eum defigens obtutum, quod tantam adhuc tantillus puellus supernarum rerum adeptus esset cognitionem. Eo itaque acerrimo orantem odio prosequebatur : ad cœlestia illius animum inhiantem terriculamentis truculentus pulsare, lacessere, metumque incutere; ac eo denique impudentiæ nocte quadam devenit, ut vitreum lychnum, e summo cubiculi tholo ad Crucifixi schema dependentem, diffregerit; multas inde ei molestias creando, quo terrore expavefactus, tandem aliquando ab incepto desisteret. Ceterum tantum abfuit, ut hisce nequissimi impostoris technis de sententia beatus puer deduci se pateretur; ut etiam obfirmato constantique animo, in arrepto uni Deo corpore et animo vivendi proposito, in dies singulos sese iteratis studiis confirmaret, hanc vigilandi orandique normam ad septimum decimum ætatis annum secutus.

*Decennis insidias dæmonis patitur.*

« Interea dum in hæc religionis et pietatis studia, quam intensissima cura Petrus incumbit, iis familiariter utebatur, qui cum provecta ætate, tum honesta morum institutione ac rerum spiritualium peritia, ad virtutes capessendas inflammare illum poterant : speciatim autem magnus cum iis,

ANNUS 1328

*Familiaris piis et pauperibus,*

quoad ejus fieri poterat, usus illi intercedebat, qui Christianam humilitatem et sensibus intimis colerent, et moribus exprimerent ac vita. Ultro etiam familiarius ob id ipsum sese cœtibus atque colloquiis egentium ac mendicorum quotidie inserens ; ratus haud dubie hujusmodi sorditatorum hominum consuetudine suam indies animi submissionem, ad Evangelicam disciplinam induendam, cumulatius excultum iri. Quod cum Gulielmaccius pater resciret, vel in eum quandoque, ut fit, inter pauperum ac pannosorum greges confertim versantem incurreret; dici vix potest, quam iniquo id ipse ferret animo, asperrime hac eadem de causa Petrum frequenter accipiens : quippe qui ardenti humanæ laudis studio, et quotidianæ nobilium virorum consuetudinis impetu abreptus, eum primarios inter ephebos comparere expetebat, qui munditiarum atque urbanitatis articulos tenentes, opibus, elegantissimo corporis vestitu, formaque præstantes, illius haud absimiles essent. At Petrus nihilominus non modo cum iisdem ipsis amicitiam instituere non induxit animum ; sed si qua jam incepta conciliataque cum illis quoquomodo esset, eamdemmet dissuere, eosdemque pariter aversari non dubitabat : videlicet veritus, ne dum interim eorum lenocinia atque in moribus mollitiem sectaretur, profanos inde paulatim hauriret spiritus. Amicitiarum etiam tunc scientissimus puer noster eximius, etiamsi vim illarum et usum necdum per ætatem esset expertus, quandoquidem inter multa secularium amicitiarum genera illud unum verum, illud solidum, firmum atque insolubile denique illud sit, quod sola virtutum similitudo devincit. Ergo sui ipsius despicientiæ amore incensus Petrus, atque veræ Christianæque humilitatis perquam studiosus, id in ore frequentissime habebat ; nimirum ingenti sibi molestiæ atque adeo pœnæ splendida vestimenta esse ; quod ea quidem pauperum ac miserorum consuetudinem sibi mutilam redderent, prorsusque labefactarent. Tantum aberat, ut de constantia graduque humilitatis ullo unquam tempore, per minas et convitia, seu per verba atque verbera, dimoveretur.

*cum indignatione patris.*

*Humilitatis studiosus.*

ANNUS 1328

« Cum indies juvenis noster angelicus divini amoris ardore æstuaret, secumque reputaret identidem, non posse se sua desideria suaque pariter studia pietatis ad voluntatem explere, tot inter hujus seculi nequam discrimina positum ; quandoquidem nihil sibi prius aut antiquius esset, quam ut sanctiorem perfectioremque degendæ vitæ cultum sibi sequi liceret, eumque ad extremum usque tenere ; cœpit secum ipse serio varias excogitare vias, quibus rem ex sententia ipsemet gereret. Ob id ipsum itaque mens ejus versatur crebro in ambiguo, et quid interdum consilii capiat, aut quo se vertat nescit. Nam cum plura, eaque subinde per speciem absolutissimæ sanctitatis, ad quam unam persequendam omnes curas suas cogitationesque omnes conferebat, ejus animo obversarentur ; eo plerumque adducebatur, ut summi Dei clementia fretus, difficillima quæque, ad novum vitæ genus victu cultuque in primis asperrimum instituendum, aggredi non dubitaret. Ad rursus eadem, quæ jam generosa alacritate in se ipso excusserat, ad calculos dum per otium revocat, liquido animadvertit, nequaquam solutam expeditamque sibi rationem esse, ad eum vivendi cursum tenendum, quem propensione, quin etiam voluntate quadam abreptus conceperat, sibique facillimum proposuerat : ignarus adhuc noster adolescens earum artium, quibus ad decipiendas incautas mortalium mentes utitur dæmon, eorum potissimum, qui in rebus spiritualibus nimio plus sibi fidentes, suam voluntatem suumque duntaxat judicium sequi decernunt. Quoniam admirabili quodam studio ad Christianam ex Evangelio paupertatem colendam concitatus, magno tenebatur desiderio longinqua terrarum petendi spatia, ubi nullius congregationis cœtusve legibus aut sacramento adstrictus, inter infimæ plebis quisquilias lacernatus incederet inglorius, et Alexii sanctissimi viri patritiique Romani instar, sub dio vel certe in aliquo sacrarum ædium vestibulo noctes exigeret, omni humano solatio destitutus ; sicque sine lare familiari mundus pro domo illi esset, pro tecto cœlum, pro lecto solum ; ac pauperum insertus gregi ostiatim precario stipem colligeret ;

*De statu vitæ amplectando sollicitus,*

*propendet ad imitandum S. Alexium,*

ANNUS 1328

*Sed respectu patris absterretur.*

ut exin libero solutoque animo, quidquid ab hujuscemodi emendicatione superesset otii, in templis sacris, effundendis precibus id totum insumeret. Cæterum pii adolescentis consilia in tam ardenti rei expediendæ desiderio ad nihilum ut reciderent, unus ejus pater Gulielmaccius effecit, cujus videlicet insectationes maxime formidabat. Quippe cum illum dudum frementem ob sordidatorum in ipsa patria sede, atque adeo intra ipsos paternos lares, contractam consuetudinem puer esset expertus ; tum vel maxime temporis eumdem sibi magis tetricum asperiusque furentem concipiebat animo : ut qui potentiæ viribus ferox, atque ingenio contumax, nec non augendæ indies gentis Petronæ avidus, nullo pacto tanto dedecore clarissimum suæ familiæ genus, ex filii sordida atque contemptissima vitæ ratione, affici passurus esset.

« Hisce igitur anxio curis Petro, et ad Christi Sanctorumque vestigia sectanda optima quæque expetenti, saniora consilia a Patre luminum submissa sunt, ut inde veluti efficaci salutarique remedio mentis suæ solicitudini tandem aliquando consuleret : quod utique fuit ejusmodi. Quartus decimus jam tunc agebatur annus, cum amplissimus pariter doctissimusque vir Riccardus Petronus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, titulique S. Eustachii diaconus cardinalis, Senensis, non minori munificentia quam pietate ac religione in rem monasticam, ex testamento quatuor cœnobia, scilicet Monachorum Cartusiensium unum, Cisterciensium alterum, tertium Monialium ex ordine Prædicatorum, postremum vero Minorum divæ Claræ dicatum, a fratris filio Joanne, quem anno hujus seculi millesimo tercentesimo decimo quarto, XVII Kalendas Februarii, Genuæ heredem dixit, ubi tum decessit, e pretiosa sua tantummodo supellectili, atque grandi auri argentique magnifice celati pondere, intra Senarum ambitum, vel certe in ipso circumjecto territorio civitatis, extruenda legavit. Quorum Cartusiense id nostrum cum principem obtineret locum, solum in areas descriptum Patribus Ordinis cœnobii ædificandi causa, in agro Maggiano, non longius ab urbe patria quam quingentos passus, attribuit,

*Cartusiam Maggianam adire solitus.*

duobus post annis ab interitu præstantissimi testatoris, vir florentissimus Bindus, Bindi filius Falconisque nepos, Senensis : qui, ut ejusdem Cardinalis consobrinus, ejusque supremæ voluntatis executor impiger fuit; ita opere sumptuque, magnificentissimus extitit imitator; quando et ipse Pontinianam cartusiam, edito gratoque ad aspectum tumulo sitam, ad tertium ab urbe Sena lapidem, anno post Christum natum millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, a fundamentis excitavit; ejusque Monachis alendis proventus prædiaque assignavit. Ergo Maggianum id cœnobium, ab sua familia constructum atque perfectum, adire frequenter consueverat Petrus : quo enim propius aberat ab urbe, eo facilius ad id excurrere se posse putabat. In quo degentium Monachorum, cum in ecclesiæ odeo frequentando, tum in rebus divinis tractandis, admiratus erga cœleste Numen reverentiam, in eam mentem denique occulto quodam instinctu acriter se sensit impelli, ut patriis bonis focisque relictis, ad eos quam primum sese aggregaret.

ANNUS 1328

« Nec irritus plane hanc sibi divinitus instillatam mentem complexus est. Siquidem per multas preces consulto ac propitiato Domino, uti cœptis suis in tam ardenti divinæ gratiæ promerendæ studio perbenigne adesset, ad Cartusiam semel tandem profectus est, patria incunabula ultra non repetere fixum habens. Quoniam quidem per hanc plenam sanctimoniæ fugam in spem veniebat fore, ut voti compos effectus, qua parentes omnino desereret, qua se totum, pariter a publicis domesticisque actis segregatum, Deo dederet : et cum eo, qui solus purissimus est, purissima, quoad humana mortalitas fert, consuetudine vitæ conjungeretur : atque ex jugi oratione, sacrarum rerum contemplatione, sacrorum librorum familiari lectione, splendorem veritatis hauriret. Eo proinde consilio ad Patrum cœnobii pedes, divinum tum quiddam spirans, supplex provolutus Petrus, eos, ut in suum contubernium admittant, enixe rogat. Qui Patres, primum ejus annos ad munera Ordinis subeunda nimis teneros causati, subsistunt paululum : tum egregia in Deum ejus pietate.

*Afficitur Ordini,*

*ad quem annos natus 17 admittitur.*

ANNUS 1328

verecundia, summaque existimatione, atque eximia quam præ se ferebat indole permoti, eum, annos natum septemdecim, in suum Ordinem admittendum putant; quamquam Ordinis decreta viginti ut minimum annorum ætatem in suscipiendo exquirant alumno, ut juxta Domini præceptum ad sacra possit bella procedere. Tum demum excipitur, atque detonso capillo, quem tum pro seculi more promissum impensius comere ac alere consueverant mares, regulari tunica, sacro Monachorum agmine concinente, induitur: moxque, in Nostrorum gregem adnumeratus, regularibus itidem disciplinis præceptori traditur instruendus. Tirocinii autem anno de more circumacto, juravit Petrus, et solemnia Religionis vota in Galgani Vannis (qui tum domui præerat) verba, cœnobii Maggiani nomine castissime suscepit: plus utique splendoris sua eidem cœnobio sanctimonia allaturus, quam in eo condendo nominis attulisset Fundatoris amplissimi beneficentia.

« Quanta vero dein sedulitate, quod Deo sanctissimo spoponderat sacramento, reddere conaretur; quanta pietate, quanta religione ad Christianæ perfectionis culmen ascendere niteretur; ut in obedientiam, castitatem, paupertatem, ut in taciturnitatem et solitudinem incumberet; uti reliqua omnia, quæ religiosum decent ordinem, admirabili alacritate obiret, longum esset enarrare. Verum hoc unum in præsentia missum facere sine scelere non queo, quod simul atque monasterium est ingressus, usque eo patrias opes omnes omniaque clarissimæ familiæ insignia ab se abdicavit, ut intra cellulæ parietes solitarius ex instituto latitans nunquam vel parentum affiniumque congressum excipere voluerit: quin cum ad eos, gravi morbo correptos (qui morbus vitam hausit) officii causa adire quandoque potuisset, Patrum nimirum concessu; nunquam tamen adduci se passus est, ut carni daret et sanguini, quod virtuti debere se confitebatur.

*Declinat parentum colloquia et aspectum.*

« Atque eo factum est, ut nuntium de ipsorum obitu ita forti ac constanti animo tulerit, ut nullo doloris morsu perstrictum sese cunctis exhibuerit; satius arbitratus impietatis erga pa-

rentes insimulari, quam semel propter immortalem sui omniumque parentem Deum, arreptum solitudinis propositum temerarie violare. Neque hisce tantum contentus, quin omnia quoque propinquitatis jura, sublimium appetens, aspernatus, ne contra Christi legem omnium sibi vel primam et antiquissimam, carnis assensum illis quandoque cogeretur præbere; nihil de rebus temporariis, quæ ad eosdem parentes et affines pertinerent, vel ipsis ille auribus haurire, vel sermonem coram inferri noluit unquam. Secum enim sæpissime reputabat, nondum ex animo se Dei jussa fecisse, si, cum corpore propriam domum reliquisset, mente tamen eam incoleret, parentumque simul (etiam tum illorum cupidus) oblectaretur affatu : aut juxta Evangelii præceptum, si quis patrem, matrem, fratresque jam volens ac lubens deseruerat, uti Christi dignus haberetur discipulus; adhuc etiam se vexari induceret animum, cum seu domesticorum blandimentis delinitus, seu quadam humano generi natura insita mollitie adductus, ultro ipsemet illos admitteret colloquentes.

ANNUS 1328

« Qua quidem Petri erga suos severitate factum est, ut parentes tantam ejus animi firmitatem ægre molesteque ferentes, se penitus contemni putarent : eo maxime quod se suaque nihili ab eo fieri ac repudiari cernerent. Contra vero dici vix potest, quanta ille perfunderetur voluptate, quam solidos quotidie, ex hujusmodi gravitatis disciplina, tranquillitatis ac internæ pacis fructus carperet : haud ignarus suique ipsius experimento apprime eruditus, non posse quemquam intra Cartusiana septa divinarum rerum delicias animis percipere, nisi præmissis omnibus instar Jacobi solus remaneat, ut facie ad faciem Deum videat, et benedictione simul et nominis in melius mutatione felix efficiatur; neque Moysis in modum frui Dei colloquiis in solitudine, ni prius hujus mundi excalceatus affectibus, carorumque nexibus expeditus, nudus ad nudum Christum accedat : quando, Divo Hieronymo teste, nudos tantummodo amat eremus. Hanc Petri affectuum in res humanas nuditatem omnino me posse clarius demonstrare diffiderem, nisi auctores gravissimi pla-

*Omni erga eos affectu nudatus,*

ANNUS 1328

nis ac disertis verbis, uti cætera, quæ hactenus demonstravimus, memoriæ illam tradidissent : quorum verba hoc loco vel præcipue referre libet, quo planius cunctis pateat, nihil Petrum rebus humanis solatii nihilque præsidii ullo unquam tempore sibi constituisse. Si quando vero (aiunt illi) germani ejus fratres, parentibus e medio jam sublatis, aliique qui cognatione nomen ejus et genus attingebant, strenas, munuscula, atque alia id genus humanitatis xenia ad Cartusiam interdum benignitatis causa mitterent ; nunquam Vir beatus, æque in illos ac in se ipsum graviter severus, adduci potuit, precibus etiam adactus, ea ut acciperet, sed obstinato prorsus animo rejiciebat ; cum ut votivæ paupertatis religiosa professio constaret, tum ut re ipsa ostenderet, nullam se cum illis rationem habere : quoniam eatenus eos amabat, quoad et ipsi Deum caritate officiisque religionis prosequerentur. Id simul atque illis cognitum fuerat, aliorum nomine, qui sive quotidiana amicitiæ consuetudine ei intimi essent, sive alio quovis pietatis studio erga eum afficerentur, ea ipsi dona deferri curabant ; rati nimirum haud aliter ac agebant ab eo eadem acceptum iri ; quæ nihilominus tamen, non nisi Christi nomine injecto, accipienda censebat. Cæterum ut primum prophetiæ spiritu manifestius clarere, futuraque simul et longinqua divinitus prospicere cœpit ; tantum abfuit, ut ei ullo unquam tempore imponere possent ; ut etiam omnia acta factaque illorum perinde, quasi propter oculos ei essent, longissime puro mentis intuitu prospiceret inclusus. »

*nec xenia ab eis oblata acceptat.*

IV. Hoc præsenti anno, sex novæ Domus nostro acquisitæ sunt Ordini.

SEX CARTUSIÆ HOC ANNO FUNDATÆ.

1. DOMUS BASSÆVILLÆ.

*Prima* fuit cartusia Bassævillæ, vel Sanctæ Mariæ Vallis S. Joannis, in ducatu Niverniensi, diœcesi Autissiodorensi, et parochia de Sorgiaco, una leuca ab oppido Clamecio, vergens ad Orientem, amne Icona intermedio ; in loco tantæ amænitatis sita, ait Molin, ut Paradisus Ordinis a quibusdam nominetur. Cujus fundator fuit dominus Joannes Grandis, canonicus ecclesiarum Claromontensis et Furnensis, rector ecclesiæ parochialis de Sorgiaco et capellanus Ludovici co-

Histor. Cart. pag. 396.

mitis Flandrensis et Niverniensis (qui cecidit in pugna Creciensi XXVI Augusti anno 1346). Rem paulo altius repetamus. Anno 1320, die prima Augusti, Ludovicus comes « ad devotam et humilem supplicationem Joannis Grandis (sunt verba Cartæ) ac pietatis intuitu, omnimodam terram de Bassavilla amortizavit », ea tamen lege ut in ea dictus Joannes ædificium religiosum sive hospitale erigeret. Hanc amortizationem confirmavit rex Philippus apud Vincennum, eodem anno, mense Octobri.

ANNUS 1328

Illis ergo privilegiis munitus, præsenti anno, dominus Joannes cartusiam in terra de Bassavilla construxit. Litteræ vero fundationis hujusmodi sunt : « In nomine Domini. Amen. Ego Joannes Grandis, canonicus Furnensis et Rector ecclesiæ parochialis de Sorgiaco Altissiodorensis diœcesis, ex intimo cordis considerans, quod cum Dominus pius et misericors me sua gratia bonorum temporalium sufficienti abundantia ditaverit, mihi suo sacerdoti indigno sui Sancti Spiritus gratia misericorditer inspiravit, ut sibi et mihi coadoptivos filios spirituales studerem quantocius procurare, templum sanctum eidem in hæreditate propria construendo ; ita quod per misericordiam Redemptoris una cum ipsis filiis, templum cœleste et Sanctorum tabernacula possim jure perpetuo possidere. Cui sanctæ inspirationi anima mea adhærens cum ingenti gaudio et corde devoto, deliberavi in animo diligenter perscrutando quod alta Cartusiensis Ordinis disciplina, licet non modicum aspera torpidis videatur extrinsecus, ipsa tamen utut levis propinat fervidis quoddam oblectamentum dulcoris intrinsecus, quo mundum allicitur cor humanum ad ea quæ in mundo sunt totaliter fugienda et cœlestia totaliter appetenda ; quodque Fratres ipsius Ordinis tam sapidæ contemplationis inebriati dulcedine jugum hujusmodi disciplinæ portantes suaviter cum humili devotione, divinum officium ac sanctum sacrificium juge offerunt pro peccatis. Hinc est quod inter cæteras Ordinum Domos, ab ætate tenera Prioratum Ordinis Cartusiensis deliberavi in animo construere et fundare, atque terris, vineis, pratis, ne-

Apud Bohic, ad hunc annum.

*Ordinis encomium.*

ANNUS 1328

moribus et aliis bonis temporalibus juxta formam Ordinis ita competenter secundum possibilitatem meam dotare, quod Fratres in ea commorantes inde possint commode sustentari, cum aliis beneficiis et eleemosynis quæ ab aliis Christi fidelibus poterunt ad invicem recipere, Domino concedente, prout sibi hæc beneficia hujusmodi piis locis de novo fundandis consueverunt misericorditer elargiri.

« Ad laudem igitur et honorem Omnipotentis Dei et Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, et gloriosæ Mariæ Matris ipsius et B. Joannis Baptistæ, et B. Joannis evangelistæ atque omnium Sanctorum et Sanctarum, pro remedio animæ meæ et omnium antecessorum meorum et benefactorum vivorum et defunctorum animarum, prædicti Ordinis Cartusiensis prioratum fundo in fundo meo de Basseville, qui hactenus vocatus est in illis partibus Basseville, ex nunc autem et in posterum vocabitur Sancta Maria Vallis S. Joannis. Et dono in primis Ordini, prioratui, Priori et Fratribus ipsius prioratus, omnimodam terram meam de Basseville sitam in parochia mea de Sorgiaco in quibuscumque rebus existat, amortizatam per claræ memoriæ dominum meum carissimum, dominum Ludovicum quondam comitem Nivernensem, ac per serenissimum Principem dominum Philippum regem Francorum confirmatam ; dono, inquam, omnes vineas, terras, prata, riparia, nemora, cum omnibus juribus, pertinentiis et appenditiis, et cum omni jurisdictione alta et bassa pertinente ad dictam Domum. Et cum his illud jus usagii et saisinam quam habeo, et habere, possidere, valeo in omnibus nemoribus de Petier, tam in nemore quam in pascuis et aliis quibuscumque. Hæc autem omnia præmissa Deo et Sanctis ejus atque præfato prioratui, Priori et Fratribus ipsius in puram et perpetuam eleemosynam offero, et in veram et corporalem possessionem omnium supradictarum rerum Priorem et Fratres ejusdem prioratus per traditionem præsentium induco, et corporaliter induci volo absque retentione aliqua. Ita tamen quod, una cum aliis bonis et eleemosynis quæ ibi fient, perpetuo quamdiu vixero, de Sancto

ANNUS 1328

Spiritu aut de B. Virgine vel de Trinitate, seu de Angelis sive de beato præcursore Joanne Baptista aut de die, et post decessum meum, pro mortuis, Missa specialis pro me et anima mea celebretur infallibiliter qualibet die, diebus Natalis Domini, Veneris, Sabbati sancti ac Resurrectionis Dominicæ dumtaxat exceptis. Quodque qualibet die post Vesperas, ante altare et imaginem gloriosæ Virginis Mariæ antiphona quædam cum Oratione sequenti ad laudem et gloriam ejusdem a toto Conventu cum devotione solemniter decantetur. Sub Prioris et Fratrum animarum periculo, si in præmissis fuerint negligentes.

*Preces quotidianæ in honorem B. V. Mariæ.*

« Et quoniam hominum memoria sæpissime labitur super rite gestis ipsorum, nisi firmentur robore litterarum ad perpetuam notitiam veritatis : idcirco ego Joannes Grandis prædictus venerabili viro Humbardo Burserii clerico publico, autoritate Apostolica et Curiæ Altissiodorensis notario præsenti et stipulanti vice et nomine Prioris et Fratrum prioratus præscripti, cum devota instantia supplicavi quatenus omnia et singula præmissa tanquam persona publica in scriptis redigeret, et super his mihi faceret publicum Instrumentum ; et testes invocavi adstantes, et in præmissorum testimonium sigillo meo proprio una cum signo consueto dicti Humbardi hoc præsens Instrumentum sigillavi. Acta fuerunt hæc in Domo dicta de Fontaneto prope Cornolium Ordinis Grandimontensis, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo, mensis Julii die penultima, Pontificatus SS. in Christo Patris ac Domini, Domini Joannis divina providentia Papæ XXII anno tredecimo, præsentibus domino Roberto Munerii presbytero ac Joanne filio Margaretæ de Trecis Autissiodori commorante, ad hæc vocatis testibus et rogatis. Ego Humbardus Burserii de Autissiodoro clericus, autoritate Apostolica publicus notarius, quia præmissis una cum suprascriptis testibus præsens vocatus interfui, hæc publicavi et propria manu subscripsi, signumque meum solitum una cum sigillo prædicti domini Joannis Grandis apposui rogatus in testimonium præmissorum. »

ANNUS 1328

*Confirmatio Comitis Flandrensis et Regis Franciæ.*

Quibus peractis, Joannes supplicavit Ludovico « quatenus omnia et singula suprascripta rata et grata habere, approbare, laudare et confirmare dignaretur, ac prædictum prioratum, Priorem et Fratres ejusdem cum omni familia et bonis suis omnibus mobilibus et immobilibus, præsentibus et futuris, ubicumque sint, in sua bona guardia reciperet et conductu. » Die prima Januarii 1329, Comes « pium propositum præfati Joannis commendavit, et auxilio suo communiri voluit et fulciri.... præscripta laudavit, approbavit et confirmavit.... ob reverentiam Dei, et honestatem ac exaltationem Ordinis Cartusiensis, in cujus devotionem et zelum ab ætate tenera, ut ait, noster animus efferbuit. » Dein hæc omnia a Philippo rege fuerunt approbata, apud nemus Vincenarum prope Parisius, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo, mense Martio. Talayrandus quoque Petragoricensis, episcopus, huic fundationi assensum præbuit. Philippus d'Arbois episcopus Tornacensis secundi Fundatoris titulo dehonestatur. Ecclesia consecrata est a Petro Hierosolymitano patriarcha, ex Ordine Prædicatorum.

2. DOMUS GANDAVENSIS.

V. *Secunda* hoc anno Ordini nostro accessit novella plantatio, nimirum cartusia Gandavi, ad muros ejusdem civitatis, secus Lysam flumen, in Tornacensi diœcesi et parochia S. Martini. Quæ quidem Domus Vallis-Regalis dicta, « non regia ab amplitudine, ut mendose scripsit Raissius, modicis enim exordiis incœpit, licet postea 130 pedum longitudine, 30 vero latitudine, pulcherrimo ambitu, excelsaque turri, arboribus, gramine, floribus visum oblectantibus ad regiam nobilitatem heroico ædificio instructa fuerit; minus a dominio feudali hujus loci, sub castellania veteris castri, quod *Audenberg* vocant, ut quidam avide accipiunt; sed a loco et dominio *Royheym,* quod, idiomate gallo-germanico, Locum regalem sonat (Roy quippe gallice regem sonat; heym germanice locum significat); idcirco quod tres Reges Gandavum obsidentes ibi tentoria fixissent. » Anno Domini 1320 construi cœpta est, præsenti vero incorporata. Eo tempore extitit Canonicus quidam ecclesiæ S. Donatiani Brugis, D. Simon Willebaert, qui

Morozzo Theatr. Chronologic. pag. 259.

ANNUS 1328

suo ære, locum illum, ubi cartusia ædificata est, cum vicinis aliquot prædiis comparavit; quæ deinde Ludovicus Flandriæ comes, cum uxore sua ac filio, ab omni servitio ac debito exemit, ut ex sequenti patet diplomate :

Aub. Miræus, Nova Collectio, IV, p. 266.

« Notum sit omnibus quod nos, Ludovicus Flandrensis et Nivernensis comes, quatuor bonaria terræ sita extra muros civitatis nostræ Gandavensis in loco qui dicitur Royenghem ultra flumen de le Lis versus Tronchiennes, ad fundandum locum et habitationem Fratrum Cartusiensium, ad honorem Dei et ut participes simus orationum quas dicti Fratres facient et facere debebunt pro nobis, prædecessoribus et successoribus nostris ; ad instantiam dilectorum nostrorum Scabinorum, Consulum et Burgensium nostræ prædictæ civitatis Gandavensis, quittavimus et quittamus ab omni censu, reditu, debito, servitute, exactione, imperpetuum pro nobis et hæredibus et successoribus nostris.... et ex nunc amortizamus..... Datum apud Gandavum, die tertia Martii, anno Domini 1327. »

« Fuit autem primus hujus loci Prior Michael Cœlian, qui cum esset in sæculo magnarum opum vir ac prædives, amore solitudinis accensus, mundo nuntium remisit, plurimaque e sua substantia Domui contulit. Cui demortuo successit Joannes N. ; post quem D. Guillelmus de Waernewyck regimen suscepit, nepos nimirum generosi ac nobilis viri D. Guillelmi de Waernewyck ; qui cum non haberet liberos, in gratiam nepotis sui, omnium bonorum suorum immobilium quæ in Hasselt (est hoc insigne prædium haud procul a Gandavo) sita sunt, Cartusianos Gandenses constituit hæredes ; permotus, ut fertur, instinctu divino : occasione nimirum virtutis, humilitatis et patientiæ Laici cujusdam istius ejusdem Conventus, ex eorum genere quos Conversos nuncupant. Qui cum, quodam tempore, spicas legeret et forte in proxime adjacentem agrum, qui prædicti Nobilis erat, imprudens incidisset, illicque quasi in Conventus sui fundo, nonnullas colligere aristas inciperet, Waernewyckius id conspicatus, indignabundus actutum accurrit, hominique insignem alapam

*Guillelmus de Waernewyck benefactor.*

Beyerlinck, Theatrum Vit. humanæ col. 1112.

ANNUS 1328

inflixit. Qui id patientissime tolerans, veniam insuper demisse precatur : ignosci sibi postulans, quod inscius peccasset. Quo patientiæ exemplo ita commotus est animus generosi viri, ut insequenti nocte somnum haudquaquam capere potuerit, correptus nimirum horrore quodam terribili, adeo ut se illico expiraturum crederet. Unde prima aurora cartusiam adiens, Priorem interpellat, exponit quid pridie cum Laico crudeliter egerit, atque in pœnitudinis signum terras suas omnes Ordini sua sponte offert.

« Dein erat et aliud quoddam prædium, monasterio propinquum, et domicilium alterius cujusdam viri nobilis, qui dum intempestæ noctis silentio cum uxore in lecto decumberet, atque inde Cartusianorum cantum (erat enim illorum ecclesia vicina admodum) exaudiret, singulari in Deum amore inflammatus : « En, inquit ad uxorem, quam alacriter boni isti Religiosi divinas concinunt laudes, veluti Angeli quidam cœlestes, cum interim nos molli decubantes lecto, otiosi conquiescimus. Quidni prædium hoc nostrum viris istis religiosis, cœlestem in terris vitam degentibus, offerimus : quatenus aliquando nos secum recipiant in æterna tabernacula, cum sint cives Sanctorum et domestici Dei ? » Dictum, factum. Neque hic stetit res, quin et Gandavensis Magistratus pia Conventualium conversatione inflammatus, ex ærario suo tres ibidem construxit cellas ; et complures alii utriusque sexus, possessiones suas, agros, ac prædia, in monasterii ejusdem usum libentes contulerunt. »

*Quidam alii Domus benefactores.*

De hujus cartusiæ benefactoribus quædam reperimus in Codice Bruxellis asservato qui inscribitur *Fundatio cartusiæ Gandavensis :*

Ms. n. 4056. Biblioth. regiæ.

Alexius Zoetemont, super omnes benefactores nostros, specialem curam Nostri habuit et de facultatibus suis devotissime et liberalissime nobis providit. Fecit enim primo fieri magnam domum cum officinis quæ hospitibus deputatur. Fecit etiam fieri capellam quam nunc pro Capitulo reputamus, et pro majori parte magnam galileam claustri. Item fecit fieri vivarium in claustro ; item dedit campanam, calicem, capsu-

lam Corporis Christi, jocale cristallinum pro reliquiis, et multa alia. Et procuravit duas cellas fieri per amicos, octavam per Liffradum Clippirie, et decimam per D. Balduinum Rugghestals, canonicum Cortracensem. ANNUS 1328

Thomas de Waernewyck, Salomon Borluut et cæteri gubernatores villæ Gandensis, fecerunt fieri de bonis communibus tres cellas, 4, 6 et 7, et multa alia bona fecerunt.

Item prædictus Thomas de Waernewyck qui habuit hic filium Religiosum, et Jota ejus uxor, de suo proprio contubernio possessionem ad valorem x librarum, et multa alia bona fecerunt.

D. Simon Waernewyck contulit 100 solidos parisienses annuales.

Maximus benefactor dominus Guillelmus de Waernewyck miles (de quo supra). Ejus uxor domicella Margareta Tollins contulit nobis xv libras perpetui reditus.

D. Zigerus de Curtracto dedit nobis in parochia de Lovendeghem viginti sex bonaria terræ.

D. Symon de Miralale, dictus de Hale, fecit fieri cellam, et assignavit pro dote viginti libras annue : dedit thuribulum argenteum.

Domicella Catharina de Speculo, beguina apud S. Elisabeth, ordinavit ut succedere deberemus in omnibus bonis suis ex quibus habuimus quinquaginta libras grossorum. Dedit unum calicem, etc.

D. Elisabeth Rugghestals fecit fieri tertiam cellam ; et magister Joannes de Hust et Petrus de Haes quartam, et dominus Haes eam dotavit ex parte.

D. Joannes, comes Namurcensis, ad ædificationem cellæ contulit undecim libras.

Joannes Calebout de Haltera primus fundator magnæ ecclesiæ, pro qua ædificanda dedit cum filio Willhelmo monacho hujus Domus viginti libras grossorum.

Margarita ducissa Burgundiæ dedit sexaginta libras ad galileam construendam.

Magister Henricus de Curia fundavit cellam signatam littera

ANNUS 1328

B, et pulchram capellam in ecclesia anteriori. Dedit et calicem.

3. DOMUS SYLVÆ S. MARTINI.

VI. *Tertia* Domus fuit cartusia Sylvæ S. Martini in quodam nemore, leuca dimidia a Gerardi-Monte, in pago Lyerda sita, Cameracensis diœcesis, a Joanne Gheylins, Comiti Flandriæ a Consiliis ædificata. « Qui amore Dei incensus, pro sua suorumque salute decrevit ad honorem Dei et Matris Virginis construere atque dotare monasterium Ordinis Cartusiensis. Eapropter accessit Venerabilem Priorem Domus Capellæ prope Angiam, cui sincere suum propositum exposuit, atque ut idem cum Generali totius Ordinis rem communicaret, eique facultatem ad hoc impetraret obnixe rogavit. Qui statim de re tota ad Aymonem Priorem Cartusiæ Majoris retulit et pium viri desiderium exposuit. » Cum eodem tempore Nobiles, dominus de Diest et dominus Joannes de Rachenhove, pro alia Domo erigenda etiam instarent, ambarum curam fundationum Reverendus Pater noster commisit Prioribus Capellæ et S. Catharinæ, ut ex subjectis litteris apparet :

Raissius. Orig. Cartus. Belg. p. 38.

*Litteræ R. P. Generalis*

« Frater Aymo humilis Prior Cartusiæ, dilectis in Christo fratribus Prioribus beatæ Mariæ de Capella et Sanctæ Catharinæ juxta Antverpiam nostri Ordinis, salutem et cum diligenti sollicitudine commissorum, omnibus præbere devotionis exemplum ac totius sanctitatis.

Miræus. Diplom. Nova Collectio III, 433.

*pro fundatione Domus de Diest*

« Cum manifeste per vestras patentes litteras intellexerimus et expresse, quod viri nobiles dominus de Diest et dominus Joannes de Rachenhove, milites et potentes in Ducatu Brabantiæ, divinitus inspirati, propositum sanctum conceperint, et de bonis a Deo collatis eisdem, propter honorem Dei præcipue et suarum animarum remedium et salutem, paratam habeant voluntatem fundandi unam Domum pro uno Conventu de Ordine nostro in loco ad hoc idoneo et opportuno, ædificia requisita construendi, possessiones et reditus sufficientes dandi, et assignandi libertates erga Dominos quoscumque, et Patronos procurandi, ac omnia et singula quæ secundum modum et formam nostri Ordinis instituta sunt faciendi.

« Cum similiter vos, Prior de Capella, per alias litteras vestras Nobis intimastis, quod vir discretus et nobilis Joannes dictus Gheylins, consiliarius domini Comitis Flandriæ, diu et devotum cœlitus a Domino et firmum suscepit desiderium, deliberavitque unam aliam Domum perfectam de nostro dicto Ordine construere de bonis suis et dotare sufficienter, modo quo supra est expressum ;

ANNUS 1328

*et Domus Sylvæ S. Martini.*

« Vobis prædictis Prioribus, de vestra circumspectione confidentes, autoritate nostra et Capituli generalis, cujus vices gerimus super annum, committimus et mandamus quatenus ad dictos Dominos et Nobiles personaliter accedatis, et audita eorum intentione in præmissis, visisque et consideratis bonis et reditibus ab ipsis oblatis, loci deserti congruitate, et aliis necnon in talibus requisitis ; si vobis plenarie constiterit illa posse sufficere pro una Domo et pleno Conventu cum effectu debito : autoritate qua supra damus vobis potestatem omnia (ut prædictum est) recipiendi et acceptandi nomine nostro et dicti Capituli generalis, salva nostri Ordinis instituta libertate et consueta honestate.

« Et ne aliquis in prædictis negotiis ex parte nostra contingat defectus, ut melius et tutius peragantur, propter impedimentum occurrens ; concedimus vobis ut possitis vocare dilectum in Christo Priorem beatæ Mariæ de Macourt nostri Ordinis prope Valencenas, qui in omnibus præmissorum tractandis vobiscum vel cum alio eamdem habeat potestatem. Damus vobis insuper dictis Prioribus autoritatem, hac vice, instituendi Priores in Domibus de quibus fit mentio, cum a vobis receptæ fuerint, modo quo præmittitur. Qui Priores a vobis ibidem ordinati, autoritate nostra, de vestro consilio possint vocare in isto exordio secum aliquos Monachos de Domibus Ordinis nostri, ferventes et Religionis zelatores : quibus, et aliis postmodum ibidem vocandis usque ad numerum duodecimum, cum prædictis suis Prioribus, tricenarium per totum Ordinem conceditur, sicut fieri consuetum est illis qui ad Domos novas mittuntur, dum tamen ibidem perseverent ad Ordinis voluntatem. Vocentur autem tales et

ANNUS 1328

tot, qui locis et Domibus competant et grati fundatoribus habeantur, prout melius videbitur expedire; ac taliter cum maturitate et discretione Deum habentes præ oculis, in talibus procedatis ut divinus cultus circa regiones illas in paupere nostro Ordine et simplici augeatur, et pia devotio omnium qui audierint et viderint ad bonum excitentur. Datum anno Domini 1328, tertia Dominica Adventus Domini, sub nostro magno sigillo. »

De cartusia a Dominis de Diest erigenda inferius dicendum ; nunc vero Sylvæ S. Martini fundationem prosequamur.

« Hoc itaque accepto responso, prædicti Patres ita cum viro egerunt, ut statim a Religiosis monasterii Nienhouviensis emerit agrum Rodendriesck, ut in eodem construeret Domum Ordinis Cartusiensis in honorem Beatæ Mariæ Virginis. Ad prædictam Domum ædificandam obtinuit ab illustrissimo Ludovico Flandriæ comite et Nivernensi facultatem ; qui ut res cœpta melius succederet amortizavit bona quæ prædictus dominus Joannes contulit pro initio dotationis ejusdem monasterii, sita in Lyerda sancti Martini, ad triginta bonaria plus minus ; hoc confecto diplomate : « Universis præsentes litteras visuris, Ludovicus Flandriæ et Nivernensium comes, salutem et æternorum gratiam gaudiorum. Cum dilectus familiaris noster et consiliarius Joannes, dictus Gheylins, pia devotione motus, seminare volens id in terris, quod multiplicato fructu recolligere valeat in excelsis, quamdam ecclesiam de Ordine Fratrum Cartusiensium cum ædificiis ad hoc aptis pro habitatione Fratrum ibidem instituendorum prope Villam nostram de Geraldimonte, in quodam loco nuncupato Rodendries in parochia de Schendelbeke, inter Baerbeke et Dibrugge, ab eodem Joanne erga religiosos viros Abbatem et Conventum ecclesiæ de Ninove, ut asserit, acquisito et jam amortizato, continentem unum bonnarium et 50 virgatas terræ vel circiter ; in honorem beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ, in ejusdem, suorumque parentum, prædecessorum, successorum ac benefactorum remissionem peccaminum, et æterni Patris misericordiam consequendam,

*Exordia Domus Sylvæ.*

Miræus, loc. citato p. 434.

*Litteræ amortizationis Comitis Flandriæ.*

fundare velit, affectet et intendat, et eamdem de bonis sibi a Deo collatis dotare, ad constructionem et dotationem ejusdem perennitus assignare terras, prata, aquas, et nemora sua sita in parochia de Lierde S. Martini, inter curiam quæ vocatur Landrighem ex uno latere et curiam de Brœcke ex alio latere, continentem inter 28 et 30 bonnaria vel circiter; Nobisque idem Consiliarius noster humiliter supplicavit, ut ad prædicta nostrum vellemus apponere consensum, pariter et assensum, dictasque terras, prata, aquas, nemora, feodum et censum nostrum, pro nobis et successoribus nostris, de gratia speciali amortizare, et amortizata decernere et declarare : et quia operationis sanæ propositum nulla debet occasio præpedire, augmentationem cultus divini et servitii ex præcordiorum nostrorum intimis (ut tenemur) ex debito affectantes, et ejus supplicationi annuere volentes : ad fundationem et dotationem prædictas nostrum præbemus consensum, pariter et assensum.... amortizamus et amortizatas esse et manere perpetuo decernimus et declaramus. Actum et datum Gandavi, anno 1328, sexta decima die mensis Decembris, per dominum Comitem, viva voce. » ANNUS 1328

His omnibus ita constitutis, et jam aliquo structuræ dato initio, dum hi Priores diligentius omnia quæ poterant occurrere incommoda dispiciunt, notant locum nimis esse vicinum publicæ viæ tendenti Athum et Gerardi-Montium, Nienhouviam atque Alostum ; et ideo monent cœptis esse supersedendum. Quare maturiore inter se habito consilio, definiunt cartusiam construendam in alio saltu, qui pro parte dotationis donatus fuerat, nimirum in villa Domini fundatoris Schendelbeke, nomine *Sylva,* qui locus totus solitarius erat habebatque commoditates non modicas, abundans terra arabili et pascuis necnon et vivariis et nutritura animalium. Unde non temere hunc locum priori prætulerunt. Quod consilium Fundator probavit, utque illustrissimus Comes facultatem quam concesserat ædificandi in agro Rodendrieschano dignaretur immutare, et ad hunc locum transmigrationem permittere quantocius, institit. Qui libenter petitioni suppli-

Raissius, ut supra.

*Locus mutatur,*

ANNUS 1328

cantis annuens, facultatem ad nutum et votum illius mutavit sequenti Instrumento :

*Apud Miræum p. 435.*

« Universis... Cum dilectus et fidelis familiaris noster et consiliarius, Joannes dictus Gheylins, quamdam ecclesiam de Ordine Fratrum Cartusiensium cum ædificiis ad hoc aptandis pro habitatione Fratrum dicti Ordinis, ibidem instituendorum prope villam de Geraldimonte in quodam loco nuncupato Rodendries jam amortizato (ut asseruit) intendebat... Idemque Joannes dictum locum de Rodendries et ejusdem circumstantias considerans, mutare et ex terris supra dictis a Nobis amortizatis alium eligere velit magis aptum, in quo secundum tempora præsentia et futura dictam ecclesiam cum suis ædificiis pro loco de Rodendries construere possit et fundare, dummodo assensum et consensum nostrum habeat et obtineat cum effectu : Nos piam et bonam intentionem dicti nostri Consiliarii præ oculis habentes, consentimus ; dummodo participes omnium bonorum ibidem fiendorum, tam nos quam Margarita thori nostri consors carissima, esse possimus ; ut ipsam ecclesiam cum suis ædificiis ad hoc aptis ponere et construere possit in quocumque loco voluerit, infra terras supradictas a nobis per nostras alias litteras amortizatas, et a loco de Rodendries ad ipsum quem elegerit transferre, eisdem modo, forma et conditione quibus intendebat in loco de Rodendries supra dicto, omnia alia et singula in nostris aliis litteris contenta ratificando et approbando, nihil aliud ex ipsis quam locum supradictum transmutando. In cujus rei testimonium sigillum nostrum his litteris est appensum. Datum et actum apud Male, anno Domini 1329, 22 die mensis Octobris. »

*assentiente prædicto Comite.*

Qua licentia obtenta, novam cartusiam ædificare cœpit ; cujus fundationem, ut felicius et absque omni contradictione succederet, eodem anno Joannes de Florentia Vicarius generalis Cameracensis episcopi, his approbavit verbis : « Universis præsentes litteras inspecturis, Johannes de Florentia, canonicus Cameracensis, Reverendi Patris Domini Guidonis Dei gratia episcopi Cameracensis in remotis agentis, in spi-

*Approbatio Curiæ Cameracensis Episcopi,*

ritualibus et temporalibus Vicarius generalis, salutem in Domino sempiternam. Cum vir providus et discretus Joannes dictus Gheylins, pia devotione et sano motus proposito quamdam ecclesiam de Ordine Fratrum Cartusiensium cum ædificiis ad hoc aptis pro habitatione Fratrum ibidem instituendorum fundare intendat, et de bonis sibi a Deo collatis et per illustrem Principem dominum Ludovicum comitem Flandriæ competenter amortizatis sufficienter dotare : Nos fundationem, dotationem, et bonorum amortizationem, et omnia et singula in duabus litteris dicti Comitis, (una videlicet sigillo viridis ceræ et altera sigillo ceræ coloris crocei sigillatis) plene contenta super præmissis confectis, laudamus, approbamus et ratificamus, et autoritate Ordinaria confirmamus. In cujus rei testimonium sigillum nostri Vicariatus præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini 1329, Dominica qua cantari solet *Oculi mei.* »

ANNUS 1328

Cum autem parochia de Lyerde juris esset Abbatiæ sancti Martini Tornacensis, ejusdem Reverendissimi Prælati novæ fundationi accedere debuit assensus, quem ipse sui nomine Conventus in hæc præbuit verba :

*et Abbatis S. Martini Tornacensis.*

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Debemus juxta Apostolum semper operari bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Quoniam de profectu sanctæ Matris Ecclesiæ nostrum est gaudere, atque in vinea Domini pro mercede laboris operantibus auxilium ferre ; dignum est, ut quod fideles pro libertate seu multiplicatione locorum divino cultui mancipatorum devote postulaverint attendamus, et in quantum possumus supplicationes eorum humiles exaudiamus. Comperiat igitur fidelium sollertia, quod nos Theodoricus humilis abbas monasterii S. Martini Tornacensis, Ordinis S. Benedicti, de consensu totius Capituli ecclesiæ nostræ, ad honorem Dei, gloriosæ Virginis Mariæ et omnium Sanctorum, ac reverentiam Religionis venerandæ Cartusiensium et sacri Ordinis eorumdem, pro expiandis fidelium peccatis orantium et præclara pœnitentiæ delicta delentis exempla præbentium, quibus

Ex Archiv. Abbat. S. Martini, apud Miræum, III. p. 158.

*Laus Ordinis Cartusiensis.*

ANNUS 1328

mundus nunc indiget nimium, et ampliationem eorum caritativis desideriis promoti affectantes; habita super hoc deliberatione plena et diligenti, concordi et unanimi assensu omnium nostrum, eisdem Religiosis, quantum in nobis est et ad nos spectat, salvis omnibus et singulis juribus monasterii S. Martini prædicti et ecclesiæ parochialis de Lierde aut aliorum et sine præjudicio eorumdem, tenore præsentium concessimus et concedimus ut ecclesiam, claustrum, domos et alia quæcumque ædificia et loca ad habitandum pro se et suis ad Deo serviendum eisdem opportuna fuerint, in loco qui dicitur Sylva S. Martini, eisdem a Johanne dicto Gaelins determinato, infra limites parochiæ vel ecclesiæ de Lierde ad præsentationem nostram Jure patronatus spectantis, libere fundent, ædificent, construant, seu fundari, ædificari faciant et construi. Hoc expresse acto, concordato et convento, videlicet quod dicti Religiosi Cartusienses annis singulis in futurum, in signum recognitionis patronatus in quo sua ecclesia fundatur, in transitu gloriosissimi S. Martini nostræ ecclesiæ Patroni, unam malgiam auream octo solidorum Parisiensium fortium valentem, vel valorem ejusdem una cum candela et denario parisino, ac etiam in die solemni pretiosissimi Sacramenti unam malgiam auream cum candela et denario parisiensi valore prædicto, mittant et offerri faciant in monasterio humiliter et devote ad Offertorium altæ Missæ. Item quod præfati Religiosi Cartusienses annis singulis in futurum pro redemptione decimarum terræ, videlicet quatuor bonaria in quibus prædicta ædificabuntur, cum ædificiis et manso ibidem nunc constructis, qui vulgariter locus de Bosco dicitur, duodecim solidos parisienses ad Natale Domini pro nobis et Curato dicti loci solvere tenebuntur; salvo jure alieno, si quod jus habeat aliquis in manso et terris supradictis.

*Prioris novæ cartusiæ acceptatio.*

« Et nos Frater Johannes de Bolliuziel Prior, et Fratres Walterius Actfielle et Petrus de Furnis monachi, una cum dicto Priore conjunctim quoad nunc in dicto loco facientes omnia et singula præscripta Ordinis nostri, pro nobis et

successoribus nostris, plena super his habita deliberatione, gratanter et humiliter dictis D. Abbati et Conventui monasterii S. Martini Tornacensis et Curato de Lierde ac eorum successoribus bona fide promisimus et promittimus, et solemni stipulatione eisdem nos et successores nostros efficaciter obligamus, eadem omnia et singula firma et rata habere, tenere.... Denique nos Theodoricus abbas et Conventus monasterii S. Martini Tornacensis et Willelmus nunc Curatus de Lierde, Priorque et Conventus Cartusiensis antedicti supplicamus humiliter et devote Reverendo in Christo Patri et Domino nostro, Domino Dei gratia venerabili Cameracensi Episcopo, quatenus æternæ retributionis et pietatis intuitu, suum præmissis adhibendo consensum eadem ratificare dignetur, et sua autoritate ordinaria confirmare. In quorum omnium et singulorum testimonium et munimen, nos Abbas et Conventus S. Martini ac Curatus de Lierde, Priorque et Conventus Cartusiensis supradicti præsentibus Litteris sigilla nostra quibus utimur duximus apponenda. Datum anno Domini 1330, prima die mensis Maii, videlicet in die beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum. »

ANNUS 1328

*Ecclesia dedicatur.*

Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, monasterio utcumque constructo ac templo, Reverendissimus Dominus episcopus Lindenensis, virtute literarum dimissorialium Reverendissimi in Christo Patris D. Petri episcopi Cameracensis, prædictum templum, summum altare, et tria alia consecravit altaria. Ipse quoque Summus Pontifex Joannes, Avenione tunc residens, benedictionem loco impertiit, eosque (Cartusianos) privilegiis omnibus et gratiis, prius Ordini concessis, gaudere voluit.

*Quædam de Fundatore.*

Porro pius ac nobilis Initiator Joannes Gheylins, multa alia bona Nostris concessit; dein seipsum quoque Ordini adjecit et inter Conversos detonsus est. Elegit abjectus esse in Domo Dei quam condiderat, nec pro magno habuit sua dare nisi daret etiam se. Obiit anno 1333, in ecclesia cum uxore sepultus, ubi eorum epitaphium his verbis legitur : « Hic jacet Joannes Gheylins : obiit A. millesimo trecentesimo

ANNUS 1328

trigesimo tertio, decima sexta Septembris ; et Isabella de Goede ejus uxor obiit anno millesimo trecentesimo trigesimo primo, octava Octobris. » De eodem Joanne hæc refert Wœstbergius Lilleriensis : Joannes Gheylins conditione rusticus, non infortunatus, autor est Sylvæ S. Martini, anno 1328 : siquidem, ut Monachorum habet traditio, cum in familiam viri nobilis magnæque autoritatis apud Ludovicum Nivernensem, Flandriæ comitem, se dedisset, primo curam equorum, mox honestiora munia, ultimo heri gratiam ejusque filiam sibi uxorem conciliavit. »

Apud Raiss. p. 42.

Cæteri hujus Domus benefactores annumerantur :

Illustrissimus Ludovicus comes Flandriæ anno 1348 bona a Joanne Gheylins nostris concessa amortizavit, aliaque privilegia et immunitates dedit.

Joannes comes itidem Flandriæ illa privilegia confirmavit et liberaliter auxit, anno 1408.

Philippus, dux Burgundiæ et Flandriæ comes, anno 1436 idem fecit.

Deinde et subsequentes reliqui Comites, qui et aliis vicinorum locorum Dominis cartusiam commendarunt, et libenter pro suo in Religiosos amore eorum protectionem in se susceperunt.

Robertus, eques Aurei Velleris, qui Domui huic in tantum affectus fuit, ut diversis anni temporibus cum Religiosis, tamquam unus ex iis, aliquot hebdomadas in abstinentiis et vigiliis nocturnis transigeret, atque ad hoc domum particularem sibi in hac cartusia ædificarit, quæ, ait Raissius, adhuc modo exstat.

Dominus Bernardus de Brasle hanc Domum suam instituit hæredem anno 1346. Jacet in choro ecclesiæ sepultus.

Hæc quidem cartusia summa omnium rerum penuria ad annum 1436 oppressa fuit, quo Gerardi Van Sheedan Prioris industria restituta est.

4. DOMUS DE ZEELHEM PROPE DIEST.

VII. *Quarta* fuit Domus Montis S. Joannis Baptistæ prope Diest, Brabantiæ oppidum, Leodiensis diœcesis, Lossensis Comitatus, uno milliari a pago Zeelemensi (vulgo Zeel-

hem); unde nonnunquam cartusia *in Zeelhem* nuncupatur. ANNUS 1328

Cum Prior Majoris Cartusiæ hanc fundationem recepisset, sicuti jam diximus, efflagitatu nobilis Gerardi domini de Diest et nobilis Joannæ de Flandria ejus conjugis, Joannes Prior B. Mariæ de Capella et Henricus Prior B. Catharinæ Antverpiensis, Distemium perrexerunt; ubi coram eis, die prima mensis Februarii anni præsentis, in capella castri Diestensis, hora Missæ, a publico Notario fundationis Carta scripta est, ex qua colligimus quæ sequuntur : «... Præfati Nobiles, pietate ducti, volentes et cupientes animabus suis, parentum suorum et amicorum, ac dominæ Mariæ piæ memoriæ, dominæ quondam de Diest salubriter providere : ad fundandum et construendum claustrum unum cum ecclesia Fratrum Ordinis Cartusiensis, in parochia ecclesiæ de Zeelhem, Leodiensis diœcesis, in honorem B. Johannis Baptistæ, quod claustrum Vallis S. Johannis Baptistæ voluerunt nuncupari; dederunt, cesserunt et donarunt donatione inter vivos, pure propter Deum et in puram eleemosynam, libere et sine spe revocandi, et pro vere donatis haberi voluerunt cum effectu : quatuor bonaria terræ jacentia in una petia in dicta parochia, inter ecclesiam de Zeelhem ex una parte, et vineam prædictorum Nobilium ex altera; quæ terra se extendit ad quemdam rivum ibidem currentem, ut dictum claustrum in ea terra ædificetur et construatur. Item bonarium unum, cum dimidio bonario.... item 40 modios siliginis mensuræ Diestensis, et 30 libras nigrorum grossorum turonensium (uno grosso turonensi Regis Franciæ bono et legali, pro sexdecim denariis parvis computato) annui et perpetui reditus, quos usque nunc habuerunt dicti conjuges jure hæreditario in Herke, ad molendina et reditus.... »

Ex Cartulario Domus, apud Miræum III. p. 157.

Eodem anno et die, hora Vesperarum, Joannes, Investitus* ecclesiæ de Zeelhem, potestatem dat Cartusiensibus claustrum ædificandi in sua parochia. Hoc Instrumentum, rarum valde et curiosum, talis est tenoris : « In nomine Domini, Amen. Per hoc præsens Instrumentum cunctis pateat evidenter, quod constituti propter hoc personaliter in præsentia

* *alias* Curatus.

*Fundationem approbat Curatus Zeelhemensis,*

ANNUS 1328

Ex Archiv. Leod. apud Analecta eccles. Belg.

mei Notarii publici et testium subscriptorum, religiosi viri fratres Joannes Prior B. Mariæ de Capella juxta Herines, Henricus Prior B. Catharinæ juxta Antverpiam, diœcesis Cameracensis; nomine claustri faciendi seu ædificandi in parochia de Zeelhem, Leodiensis diœcesis, et in terra nobilis viri domini Gerardi, domini de Diest, et prædicto claustro, ex una parte; et dominus Joannes, Investitus ecclesiæ de Zeelhem, diœcesis prædictæ Leodiensis, nomine suo et dictæ suæ ecclesiæ ex altera; præfatus Investitus dedit libere et concessit Fratribus prædictis et Fratribus claustri prædicti plenam et liberam potestatem in dicta sua parochia de Zeelhem, in loco ipsis Religiosis a nobili viro domino Gerardo, domino de Diest, et domina nobili, domina Joanna de Flandria, deputato et pure propter Deum collato, ædificandi et construendi claustrum unum cum ecclesia, et faciendi omnia et singula, quæ ipsis ad opus dicti claustri visa fuerint opportuna; salvo tamen semper jure ecclesiæ suæ prædictæ: promittens idem Investitus in manu mei Notarii stipulantis nomine et ad opus ipsorum Fratrum et claustri, fide interposita corporali, quod contra præmissa vel eorum aliqua per se, alium vel alios, non veniet in futurum. Acta sunt hæc... præsentibus nobili viro domino Gerardo, domino de Diest et castellano Antverpiensi, Oliverio de Binchkem, Henrico Van den Angelege, armigeris; Nicolao Van der Werden, Joanne et Arnoldo, villicis de Beringen...... Et ego Joannes, Investitus ecclesiæ de Zeelhem prædictæ.... sigillum meum præsenti Instrumento duxi apponendum. Et ego Johannes Henrici, quondam dictus de Diest... publicus imperiali autoritate notarius, præmissis interfui cum testibus supradictis, hoc publicum Instrumentum inde confeci, propria manu scripsi, signo quoque meo solito signari rogatus. Utor more Leodiensi scribendo dictari, quo his intereram in Vigilia Paschæ post cerei benedictionem. »

*et Episcopus Leodiensis.*

Anno sequenti, XIII Kalend. Julii, Adulphus de Marcka, Leodiensis episcopus, sequentes perhonorificas scripsit literas, novæ plantationis gratia:

« Adulphus, Dei gratia episcopus Leodiensis, religiosis viris Priori et Conventui sancti Joannis Baptistæ, prope Diest, in parochia de Zeelhem, Ordinis Cartusiensis, nostræ diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Fulgor sanctitatis vestræ Religionis, quæ in Dei Ecclesia miræ pulchritudinis tanquam sidus matutinum longe lateque diffudit rutilos suos radios, promeretur ut vos tanquam bene meritos dignis favoribus et gratiis prosequamur. Ea propter, in Christo filii carissimi, vobis et successoribus vestris concedimus, quod in loco, in quo modo habitationem vestram construere incepistis, perpetuis temporibus maneatis, et inibi valeatis cum omnibus juribus et rebus vobis collatis et concessis a Christi fidelibus, juxta Statuta et consuetudines vestri Ordinis, Domino famulari, habere ecclesiam, campanam, cymiterium, et Christi fideles, qui ad ipsum suam sepulturam elegerint, recipere, salvo jure parochialis ecclesiæ; et in oratorio vestro ibidem nocturnum officium pariter et diurnum cum ea solemnitate, qua poteritis, juxta Statuta vestri Ordinis celebrare. Datum in Hoyo, anno Domini 1329, sabbatho post festum Pentecostes. » ANNUS 1328

Cœmeterium consecratum est ab Hermanno Leodiensis episcopo suffraganeo, festo S. Joannis Baptistæ; in cujus rei fidem hæ confectæ sunt tabulæ : *Cœmeterium consecratur.*

« Hermannus, Dei gratia Evenensis episcopus, vices gerens in Pontificalibus Reverendissimi in Christo Patris ac Domini, Domini Adulphi, eadem gratia Leodiensis episcopi, universis ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino sinceram et charitatem. Noveritis quod nos, anno Domini 1329, in die beati Joannis Baptistæ, consecravimus cemiterium seu atrium loci Domus et conventus Fratrum Ordinis Cartusiensis, siti in parochia de Zeelhem, juxta Diest; conferentes et concedentes omnibus vere pœnitentibus, qui in Missis in dicto loco intererunt aut interfuerint, totiens quotiens XXX dies; qui vero Fratribus dictis manus porrexerint de bonis sibi a Deo collatis adjutrices, totiens quotiens XL dies de pœnitentiis sibi injunctis Indulgentiarum misericor-

ANNUS 1328

diter in Domino relaxamus. Datum anno et die prædictis. »

Donationem a domino Gerardo et ejus uxore Joanna factam Ludovicus, comes de Looz et Chiny, die sexta Decembris anni 1335, his ratificavit verbis : « Nos Ludovicus, comes de Los et de Chiney, notum facimus.... quod nos cessionem seu donationem in puram eleemosynam propter Deum, per nobilem dominum dominum Gerardum, dominum de Diest quondam, et castellanum Antverpiensem, ac dominam Joannam de Flandria, ejus conjugem, religiosis viris Fratribus Cartusiensibus ad fundandum et construendum claustrum unum cum ecclesia in parochia de Zeelhem, Leodiensis diœcesis, in honorem sancti Johannis Baptistæ, videlicet quadraginta modios siliginis, mensuræ Diestensis, bonæ et pagabilis..... laudamus et ratificamus..... In quorum omnium testimonium... Datum anno a Nativitate Domini 1335, mensis Decembris die sexta. »

Dominus Fundator decessit anno 1333, in sua cartusia humatus.

5. DOMUS IN GRUNAW.

VIII. *Quinta* Domus fuit illa quam vocant Novam Cellam, in Grunaw Franconiæ viculo, diœcesis Herbipolensis, uno milliario ab oppido Wertheim ad meridiem, in valle profunda ; condita ab illustrissima Elisabetha de Wertheim, Paponis Wertheimensis comitis filia ac Godefridi Hohenloensis comitis vidua. Eadem cartusia aucta fuit plurimum, temporis progressu, prædiis opimis ac largo proventu Novitiorum quorumdam qui illic divino Numini famulantes, se suasque facultates omnes loco huic in perpetuum assignavere. In Charta Capituli generalis anni millesimi quadringentesimi nonagesimi octavi habetur « obitus generosi domini Comitis de Wertam », ex origine Fundatorum hujusce Domus. Familia de Wertheim magnis hanc cartusiam donis ornavit. Cæterum ingentem cladem passi sunt Patres, circa annum sesquimillesimum quinquagesimum, quando plerique Lutheranorum principes Passaviensem diætam in isto fere regionis tractu instituere. Tandem quidam Comes præfatæ

Surius, in Commentar., ad ann. 1552.

Wertheimensis stirpis, Calviniana hæresi infectus, Cartusianos de hoc cœnobio ejecit.

ANNUS 1328

IX. Hoc tandem anno, qui tot vidit Ordinis nostri nascentes plantulas, inchoata est etiam Domus Vallis claræ, cujus exordium fundationis evolvimus e schedis ad nos perhumaniter missis a quodam hujus Domus Monacho.

6. DOMUS VALLIS CLARÆ.

Nobilis Helias Talerant (seu a Talairando), hujus nominis VII, comes Petragoricensis, cupiebat erigere in sua ditione Domum nostri Ordinis; jamque sumptus necessarios disposuerat, cum mors, anno 1311, potestatem ademit hoc votum suum complendi. Ejus filius et successor Archambaldus, hujus nominis IV, volens paternum propositum executione perficere, supplicem libellum novo Franciæ regi, Philippo VI, anno 1328 porrexit, ut debitam licentiam cœnobium ædificandi et regalia privilegia quæ Religiosis familiis olim concedebantur, expeteret. Annuit Rex, qui jam hoc eodem anno plura et insigniora benevolentiæ suæ erga Cartusiensium Ordinem testimonia dederat, et tale diploma ad Archambaldum irrogavit :

*Diploma Regis Franciæ.*

« Philippus, Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum dilectus et fidelis noster Archambaudus, comes Petragoricensis, dicens quod defunctus Helias Talerant ejus pater, dum viveret disposuerat et ordinaverat fundare et ædificari facere de suo quamdam Domum seu monasterium Religionis, in qua seu quo divina celebrarentur obsequia pro ipsius et parentum suorum remedio animarum, et centum librarum reditus emi facere pro fundatione et ædificatione prædicta, nobis supplicaverit ut cum sit in possessione, juxta dicti patris sui dispositionem et ordinationem prædictam, quoddam monasterium Ordinis seu Religionis Cartusiensium intra dictum suum Comitatum fundare et ædificari facere, et pro fundatione hujusmodi centum libratas terræ, ad pretium patrii sui comitatus prædicti, assidere eidem; concedere dignaremur quod Fratres dictæ Religionis, qui in dicto monasterio residebunt et Deo servient ibidem, eorumque successores in dicto mona-

ANNUS 1328

sterio, dictas centum libratas terræ, modo quo prædicitur assidendas, tenere valeant perpetuo; absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, aut nobis vel nostris futuris successoribus inde præstandi finantiam aliquatenus: nos ejus prædictæ supplicationi annuentes, sperantes etiam quod bonorum, quæ exinde favente Domino fieri vel ordinari contingat, participium habeamus; prædicta supplicata per præfatum Comitem eidem concedimus de speciali gratia et ex certa scientia per præsentes; dum tamen aliquod fundum nobile vel alta jurisdictio aut fortalicium aliquod non assideantur in assisia memorata, salvo in aliis jure nostro et in omnibus alieno. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Fortem montem supra Secanam, anno Domini millesimo CCC vigesimo octavo, mense Januarii. »

Hac obtenta licentia, cogitavit Archambaldus de loco eligendo ubi ædificaretur Cartusianum cœnobium, et consilium patrui sui Archambaldi, filii Comitis Petragoricensis ejusdem nominis III, tunc abbatis Sancti Asterii, Ordinis S. Benedicti, exposcit. Qui, re mature perpensa, nolens animas fratris sui Heliæ et omnium parentum suorum meritis et suffragiis Cartusiensium, quorum forma sanctitatis illis diebus, favente Deo toto orbe celebrabatur, defraudare; decrevit nepoti cedere quamdam capellam seu prioratum vulgo dictum de Vala, seu *de Vals*, ad abbatiam S. Asterii pertinentem. Sita erat hæc domus in quadam amœna et salubri valle, (unde nomen accepit de Vala) fere in medio Petracorensium agro, subtus Montignacum dictum *le Petit* et non longe ab oppido cui nomen Montis pavonis (gallice *Montpaon* seu *Montpont*); a parte septentrionali defendebatur collibus et silva prædicti Montignaci, et bellicis temporibus præsidio erat ei quoddam castrum, cujus nonnulla adhuc vestigia supersunt, quod, ut traditur, obsidionem incerto ævo, gloriose sustinuit; a parte autem meridionali proxima erat fluvio Ælle, seu Ellæ (gallice *l'Isle*); ad orientem respiciebat iter quod totam circumstantem lustrat regionem et pontem de Montignaco,

*Antiqua Capella de Vals.*

transversanum fluvii ; ab occidente vero arboribus et vineis condebatur. ANNUS 1328

Sancti Asterii abbates hanc domum erigi curaverunt, non tantum ad custodiam et culturam agrorum quos in parochia Montignaci possidebant, sed præcipue ut Monachi ibi degentes, spiritualia munia obirent erga eos qui fluvium navigantes, ad portum contiguum domus de Vala, commercii causa, appellebant. Antiqua erat certe hæc capella, nam de ea mentionem fecit, anno 1178, Alexander Papa III, in quadam bulla edita ad confirmationem omnium beneficiorum abbatiæ S. Asterii, in qua sic ait : « Ecclesiam de Monestariol, utramque capellam de Monte pavonis, quinque solidos quam (*sic*) habetis annuatim in capella de Vala. » Itidem, anno 1295, Archambaldus III, comes Petragoricensis, in suo testamento loquitur « de domo de Vals juxta Montem pavonis. »

Igitur, conventione facta cum supralaudato Abbate de cedenda hac capella Ordini Cartusiensium, Archambaldus, comes Petragoricensis, nuntios ad Priorem Cartusiæ misit, postulans ut fundationi cœnobii assentiret, et quosdam Monachos delegaret qui possent præesse fabricæ et prima novæ religiosæ familiæ fundamenta jacere.

*Unde nomen habuit.*

Quales autem possessiones, bona et decimas Archambaldus dederit Patribus nostris ad construendum cœnobium et sufficientem sustentationem Communitatis, ex infra referenda ratihabitione Rogerii Bernardi, fratris sui, clarius patebit ; unum nobis necessarium restat elucidandum, nempe qualis fuit origo nominis Vallis claræ, huic Domui impositi. Putarunt aliqui, quod Cartusiensis Ordo voluerit sic eam appellare ob memoriam melliflui sancti Bernardi et Abbatiæ Claræ Vallis in qua floruit. Verum, rectius videtur quod Majores nostri, mirantes amœnitatem vallis et serenitatem aeris superantes omnem eorum expectationem, quasi extatici manentes exclamarunt : *O Vallis clara !* Quod nomen adhuc obtinet jure meritoque, nam salubritas hujus Domus omnium circumstantium regionum temperiem vincit. Aliunde constat

ANNUS 1328

morem fuisse in Ordine quod Domus nomina acciperent a vallibus vel a montibus quibus superædificabantur.

D. R. DE PACIACO MORITUR.

X. Ex Charta Capituli generalis hujus anni inter mortuos denunciatur Robertus de Paciaco, de quo sic autor Historiæ manuscriptæ cartusiæ Parisiensis : « Robertus de Paciacho, quondam abbas Aquiscinctinensis (*Anchin*) et postea monachus hujus Domus (Parisiensis) construxit sacellum S. Michaelis, anno 1324; quod primum est ex capellis ad ecclesiæ latus e septentrione ædificatis, cui missale et calicem dedit : vocatur autem capella Abbatis.... Robertus de Paciacho, vir admodum venerandus, abbas abbatiæ Aquiscincti Ordinis S. Benedicti, in diœcesi Attrebatensi, abdicata abbatiali dignitate, inter Cartusianos Vallis viridis cum ibi aliquamdiu religiosissime fuisset conversatus, ob morum sanctimoniam unus e primis incolis cartusiæ Fontis B. Mariæ, ad instantiam Caroli Valesii inclyti fundatoris illic missus, ibidem spiritum Deo reddidit. Cujus obitus signatur in Charta 1328 his verbis : « III Kalend. Aprilis obiit Domnus P. de Paciacho, monachus Fontis B. Mariæ, quondam abbas monasterii de Anchin, qui habet plenum per totum Ordinem monachatum, scilicet : tricenarium, anniversarium et psalteria, vel pro psalteriis sex missas. » Notatur ad hanc diem in Necrologio Vallis viridis sic : « III Kalendas Aprilis obiit Domnus Robertus monachus hujus Domus, quondam abbas Acquiscinctensis, qui fecit fieri sumptibus propriis capellam Abbatis, muniens eam Missali et calice ; a quo etiam habuimus *Summam Confessorum, Legendam aurеam,* cum Breviario, Statutis et aliis quam pluribus. »

Hunc Robertum Sammarthani et dictæ Abbatiæ modernus Historicus non noverunt ; haud dubium tamen est, ex præfatis, eum abbatiali saltem promotum fuisse dignitati, cui forte statim renunciavit.

## *JESU CHRISTI

### ANNUS 1329.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 14. | Ann. 246. | Ann. 17. |

I. ANNO Redemptoris millesimo trecentesimo vigesimo nono, Indictione duodecima, Rex Franciæ certior factus de injuria Majori Cartusiæ illata (de qua anno superiori), « fortiter commotus est, ait Chronicon, et Comiti Sabaudiæ ac Delphino Viennensi mandavit, quatenus de Intermontium Barone et sociis ejus facerent justitiam, ad Aymonis Prioris voluntatem : alias dictam Domum Cartusiæ usque ad solum faceret destrui, in contemptum ipsorum, eamque multo melius in regno suo fundaret. Quod illi audientes, (multum enim gloriantur dictam Domum in territorio eorum fuisse constructam, siquidem dividit seu posita est in confinibus Comitatus et Delphinatus prædictorum), dictum Baronem una cum sequacibus suis ire ad Cartusiam mandaverunt, ac se submittere pedibus et misericordiæ dicti Prioris. Quam misericordiam plene obtinere meruerunt ; confecto tamen publico Instrumento, ad cautelam futurorum, per quod dictus Baro omni juri, quod se habere prætendebat infra terminos Cartusiæ, perpetuis temporibus renunciavit. » Chronicon Majoris Cartusiæ hic emendandum in quibusdam sat confuse enarratis ; non unicum etenim, sed duplex super his confectum est Instrumentum. Primum quidem, mense Septembri præsentis anni datum, vi cujus Intermontium Baro omni jure infra terminos Cartusiæ se abdicavit (et notandum obiter quod si Comes Sabaudiæ coegerit

INTERMONTIUM BARO RESIPISCIT.

ANNUS 1329

Guillelmum Intermontium plane confiteri se nullum in Cartusiæ limitibus jus habere, ita tamen fecerit, ut eidem Guillelmo melius quo posset modo parceret : mox enim Intermontium Dominus, publico facto Instrumento, jura « quæ se habere prætendebat » dedit Comiti Sabaudiæ, qui ea Cartusiensibus retrocessit) ; alterum autem Instrumentum (anno 1330 inscribendum) quo Gratianopolitanus Episcopus se Guillelmum a vinculo excommunicationis absolvisse testatur. Extat in Cartulario Majoris Cartusiæ pactio (de qua supra) inter Eduardum Sabaudiæ comitem et præfatum Baronem, quam hic subjicimus :

II. Cartular. pag. 150.

« Anno a Nativitate Domini millesimo tercentesimo vigesimo nono, Indictione quintadecima, die septima mensis Septembris, coram me Notario et testibus infrascriptis, per hoc præsens publicum Instrumentum appareat evidenter quod quum quæstio verteretur inter illustrem et magnificum virum dominum Edoardum comitem Sabaudiæ ex una parte; et virum nobilem dominum Guillermum de Montebello, dominum castri novi Intermontium, heredem universalem, ut dicitur, bonæ memoriæ domini Aymari quondam domini dicti castri novi Intermontium : super eo videlicet quod dictus dominus Guillermus, dominus Intermontium novi, dicebat et asserebat se habere, habere debere, omnimodam jurisdictionem et ipsius exercitium infra metas, limites et confines religiosæ ac venerabilis Domus Cartusiæ, sitæ in confinibus de Intermontibus, Gratianopolitanæ diœcesis ; quam jurisdictionem, merum et mixtum imperium, dictus dominus Intermontium novi asserebat ad se pertinere virtute successionis dicti domini Aymari prædecessoris sui ; qui dominus Aymarus dicta jurisdictione, mero et mixto imperio utebatur, et de ipsa et ipsius exercitio erat in pacifica possessione vel quasi, tempore mortis suæ, justo titulo et legitima ratione, ut hæc omnia dictus dominus Intermontium novi confitetur vera esse. Dicto domino Comite in contrarium ex opposito asserente et dicente dictam jurisdictionem omnimodam, merum mixtumque imperium, ad ipsum pertinere infra limites et con-

*Et jura quæ se habere asserebat infra metas Cartusiæ,*

ANNUS 1329

fines dictæ Domus Cartusiæ ; et de dicta jurisdictione, meroque et mixto imperio infra limites prædictos asserit se esse, et suos prædecessores ab antiquo fuisse in possessione pacifica vel quasi, legitimo titulo et legitima ratione. Tandem ad instantiam et requisitionem dicti domini Comitis præsentis, stipulantis et solemniter requirentis et recipientis hanc præsentem quictationem et omnia et singula infrascripta, vice, nomine et ad opus ipsius, heredumque et successorum suorum et omnium quorum interest, intererit, interesse potest vel interesse poterit : dictus dominus Guillermus de Montebello, dominus castri novi Intermontium, ex causa et nomine concordiæ factæ per dictum dominum Comitem de condemnationibus factis contra dictum dominum Aymarum quondam et ipsius complices, de et pro excessibus, injuriis et offensis factis apud Chambariacum per dictum dominum Aymarum et ipsius complices, sequaces et validores, contra virum nobilem dominum Hugonem de Breyssiacio, dominum Virmillæ, militem : item de condemnationibus factis et formaliter latis contra dictum dominum Guillermum, dominum dicti castri Intermontium novi, pro excessibus, offensis et injuriis atque violentiis factis, commissis et perpetratis per dictum dominum Guillermum versus Cartusiam et contra illos de Cartusia occasione jurisdictionis prædictæ vel aliter...... pro quibus condemnationibus tenebatur et teneri posset...... Idem dominus Guillermus, gratis ac voluntate sua spontanea, sciens, libens et spontaneus, certificatus in hoc et instructus (ut asserit) de jure et de facto, dat, donat, cedit, concedit dicto domino Comiti recipienti, quictat et remittit totaliter omnem jurisdictionem, merumque et mixtum imperium quod sibi competit aut competere potest seu competere debet eidem ; una cum omni jure, actione et ratione sibi competentibus in dicta jurisdictione, mero mixtoque imperio, infra metas, limites et confines prædictos Domus Cartusiæ ; de quibus dictus dominus Guillermus se devestiens totaliter, ipsum dominum Comitem recipientem investivit et ipsum in possessionem prædictorum corporalem induit per traditionem unius parvi libri sacras

*Comiti Sabaudiæ concedit.*

ANNUS 1329

Scripturas continentis : nihil juris, actionis, rationis, usus vel consuetudinis dictus dominus Guillermus sibi vel suis successoribus retinens ; et ipsum dominum Comitem ponit, inducit et esse vult in prædictis totaliter loco sui : renuncians dictus dominus Guillermus...... omni actioni et exceptioni doni, mali, simulationis et metus...... Promittit dictus dominus Guillermus per juramentum suum et sub obligatione omnium bonorum suorum...... omnia prædicta et singula dicto domino Comiti manutenere, defendere...... Volentes et requirentes dicti dominus Comes et dominus Guillermus, quod per me Notarium infrascriptum fiant de prædictis duo vel plura publica Instrumenta ejusdem tenoris, ad opus ipsorum et omnium quorum poterit quomodolibet interesse ; et quod præsens Instrumentum possit et debeat dictari, corrigi (si necesse fuerit) et emendari semel vel pluries, substantia non mutata. Actum apud Chambariacum, infra Domum Fratrum Minorum ; præsentibus : domino Aymaro de Camera, domino Stephano Reynaudi militibus, domino Petro Francisci canonico Lausannensi, domino Humberto de Castelleto canonico Cabillonensi, Antonio de Claromonte, Joanne Bonnardi burgensi Chambariensi et pluribus aliis vocatis testibus ad præmissa. »

DOMUS MONIALIUM DE GOSNAY FUNDATUR

*a Therico Herissono episcopo Atrebatensi.*

Hist. ms. Ordin. p. 393.

II. Thericus Herissonus Cartusiæ Gosnayensis fundator, aliud etiam cœnobium Virginum Ordinis nostri in eodem vico construere aggressus est, quod Mons B. Mariæ voluit appellari ; sed morte præventus hoc ultimum complere nequivit. Tum generosa domina Mathildis, Artesiæ comitissa, Therici executrix testamenti, fundationem perfecit. Rem sic enarrat Molinus noster : « Reverendissimus Thericus d'Herico episcopus Attrebatensis, in illo sui anno regiminis, fundamenta jecit cœnobii Sanctimonialium Cartusianarum de Gosnay, sed morte præventus est nihilque supererat de bonis ejus ad perficiendum monasterium ; eo quod hæredem instituisset in residuo bonorum suorum serenissimam Mathildem. « Residuum (inquit in suo testamento) bonorum meorum mobilium quæcumque sint et quocumque nomine cen-

seantur, sive sint in libris, munitionibus hospitii quibuscumque, in pecunia, in vasis argenteis sive aureis, in granis, in debitis et rebus aliis quibuscumque, lego Dominæ meæ charissimæ, Dominæ Attrebatis comitissæ prædictæ, cui confero, volo, et ordino quod habeat potestatem plenariam legata mea hujus præsentis testamenti, seu ultimæ voluntatis, diminuendi vel augmentandi secundum quod viderit expedire pro salute animæ meæ; et etiam nova legata faciendi et ordinandi secundum quod alibi et aliis personis de quibus ad præsens non recolo, sibi videbitur me teneri, et saluti animæ meæ viderit expedire. Quæ quidem legata sic per dictam Dominam meam facta, volo valere ac si per me facta fuissent et scripta in præsenti testamento meo seu ultima voluntate. (Et post pauca :) Insuper rogo excellentissimam Dominam meam prædictam ut huic præsenti testamento suam præbeat autoritatem et assensum, et ejus executionis onus in se suscipiat. »

*et comitissa Artesiæ Mathilde,*

Illa in suo diplomate, 10 Januarii 1328, post aliqua adjecit: « Legatis etiam sic per ipsum nobis factis, per nos acceptatis, in nosque prædicta potestate suscepta cum executionis ipsius onere testamenti ; nos considerationis nostræ reflectentes intuitum, ad grata fidaque servitia per ipsum Episcopum, tunc in minoribus constitutum, longis retro temporibus tam charissimo genitori nostro quam nobis impensa, crebro, laboriose, utiliter et devote ; considerataque fiducia quam in nobis habuit in vita pariter et in morte : ea propter vigili sollicitudine cupientes ipsius Episcopi affectus plenitudinem adimplere, præsertim circa ea quæ ejus animæ salutem et devotionis in vita sua non impletæ complementum concernunt, in circuitu revolutionis testamenti prædicti levantes oculos mentis nostræ, non reperimus contentum qualiter vel unde ædificia, magnis per ipsum incœpta sumptibus, prope castrum suum de Gosnay, unam videlicet continens ecclesiam et monasterium in nullo dotatum, Sororibus Ordinis Cartusiensis deputandum, et aliud ad quoddam hospitale sub certis conditionibus ordinandum, perfici valeant vel compleri, et eisdem competentes annui et perpetui reditus secundum loco-

ANNUS 1329

rum decentiam assignari, congruisque ornamentis circa divina, et aliis munitionibus et utensilibus ac supellectilibus communiri ; quamvis non ignoremus hoc ipsum summopere votis gerere, prout pluries nobis explicavit, et complementum in præmissis desiderabiliter affectare. Sed forsan occupatio circa magna, et sortis humanæ conditio quæ ipsum sustulit de medio, in causa fuerunt quare suum in hac parte propositum non implevit. Verum tam pium opus et laudabile in locis prædictis sic sumptuose incœptum, et in magnum incrementum Deo propitio, profuturum, taliter perficere quod et Altissimus in ipsis locis devotis colatur obsequiis, et personæ Ecclesiasticæ ibidem Domino famulentur et pauperes sustententur, ejusdem Episcopi animæ remedio expedire ac suæ devotioni congruere pariter et saluti, videmus et credimus incunctanter. Unde bonorum et jurisperitorum consilio, ex collatione, voluntate et ordinatione et plenaria potestate nobis super hoc a prædicto Episcopo sic concessis, et a nobis acceptatis, in nosque receptis : Nos in præsentia Notariorum publicorum et testium subscriptorum, de domo ipsius Episcopi quam habitabat Parisiis, sita retro domum nostram, ac de quadam grangia ipsius sita Parisiis, et aliis omnibus domibus quas idem Episcopus dum vivebat habebat tam Parisiis quam apud Attrebatum . . . ad honorem Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ac Virginis gloriosæ Mariæ matris ejus, et ad ipsius animæ remedium et salutem, volumus et ordinamus quod domus, grangia, manerium, cum suis fundis et pertinentiis universis, per Petrum de Bonato, magistrum Jacobum de Aria Canonicos Bethunienses, ac Arnoldum de Noys executores dicti Episcopi, de consilio nostro vendantur, et quod pretia eorumdem in complementum jam dictorum ædificiorum convertantur, et eorum pretia dictis monasterio Sororum et Hospitali legamus tenore præsentium Literarum. Item volumus et ordinamus ut supra, quod omnes et singuli fructus, proventus, convertantur totaliter in complementum et dotem dicti monasterii Sororum prædictarum usque ad triennium continuum, incœptum die

*ex bonis dicti Episcopi,*

ANNUS 1329

obitus dicti Episcopi, complendum et terminandum. Quod fructus, reditus, exitus, et proventus per dictum triennium dicto Monasterio legamus. Item volumus et ordinamus ut supra, quod monasterium dictarum Sororum habeat ducentas decem et octo libras, decem solidos, et tres denarios terræ, prout inferius annotatur. Verum quia consideravimus quod tam ad sustentationem personarum ad dictum monasterium competentium, quam ad reparationem et retentionem ædificiorum et aliorum necessariorum, sic pauci reditus non sufficerent; attendentes grata et quam plurimum utilia servitia tam inclytæ recordationis Roberto quondam Comiti Attrebatensi, domino et genitori nostro, quam nobis per eumdem Episcopum retro actis temporibus impensa; et ne opus tam pium et tam laudabile remaneat incompletum : Nos pro remedio salutis animarum tam dicti Domini et genitoris nostri et prædecessorum nostrorum, quam nostræ et dicti Episcopi, prædicto monasterio ac Sororibus ipsius monasterii in perpetuum pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, concedimus et donamus de bonis nostris temporalibus centum libras Parisienses annui et perpetui reditus. Pro quibus quidem centum libratas terræ eisdem monasterio et Sororibus jam assignavimus, et deliberavimus et tenore præsentium assignamus et deliberamus, videlicet terram nostram de Pinguenechem. »

*et quadam donatione Mathildis,*

« Ad Mathildis comitissæ maximam instantiam, noster sacer Ordo in his partibus misit Moniales e parthenio Salettarum, quas devotissime suscepit in præsentia reverendissimi Episcopi Atrebatensis, Therrici bonæ memoriæ successoris. Volensque post aliquot menses religiosissima illa Princeps ire Lutetiam, suas prius invisit Filias; omnia disponit, argentum et quam plurimos operarios relinquit, valeque eis dicens Parisios pergit, sed væ, iterumque væ! 27 Novembris anni sequentis 1329, sepulta fuit illa in monasterio de Maubuisson ubi et Robertus ejus progenitor, occisus in prælio de Courtray, conditus jacet.

*quæ paulo post obiit.*

« Quid interim faciebant quidve dicebant nostræ derelictæ Nonnæ ? Nisi cum extorribus a proprio solo cantillarent et cum lacrymis dicerent : Quomodo cantabimus canticum

ANNUS 1329

Domini in terra aliena! Illæ actutum mittunt lacrymas ad filiam et hæredem defunctæ, Joannam videlicet, viduam Regis Caroli Longi, ut manus illis porrigeret auxiliatrices; afflicta afflictis bona verba dedit. Si mater et Domina mea, inquit, bene cœpit, ego melius perficiam; et ad illas misit magistrum de Salins, ut operarios mitteret in vineam Domini Sabbaoth. Arripuit et illa iter ut descenderet ad novam hæreditatem, Comitatum scilicet Artensem, quo non pervenit; nam Peronnæ diem clausit extremum in mense Januario sequentis anni 1330, cujus corpus relatum est ad Franciscanos Parisienses. Nihil ab illa receperunt Sanctimoniales nostræ nisi 150 libras ab executoribus testamenti ejus. Ecclesia ergo monasterii fuit perfecta ex eleemosynis, dedicataque per Reverendissimum Johannem de Vienna archiepiscopum Rhemensem, anno 1347, in mense primo.

« De cætero Sponsæ Christi, jactaverunt cogitatum suum in Illum, qui enutrivit et conservavit illas usque ad perfectam diem, in qua hic receperunt communem vitam, ud ad perfectam possint pervenire. Fiat, fiat. »

Chronic. Belgic., ad ann. 1379.

Erravit Locrius cum scriberet hanc Domum a Margareta quondam Artesiæ comitissa, filia Joannæ fundatam; hæc non fundatrix sed benefactrix tantum fuit, quæ huic Domui feudum de Caumont, nec non de Ballin in villa d'Aubin aliaque beneficia summa liberalitate contulit. Quibus et Isabella Lusitana, ducissa Burgundiæ et Brabantiæ, Caroli Audacis mater, multa adjecit atque post obitum suum ibidem in odeio ecclesiæ sub insigni cenotaphio primo sepulta, sed paulo post Divionem translata fuit, ut cum marito suo Philippo Bono commune haberet sepulchrum.

INITIA CARTUSIÆ SUPRA NEAPOLIM.

III. Cartusiæ S. Martini supra Neapolim promotor jure dicitur Carolus dux Calabriæ, Roberti Neapolis regis filius. Duas habuit uxores: Catharinam Friderici Maurbacensis Domus fundatoris sororem et Mariam de Valesio Fontis Beatæ Mariæ conditoris filiam; ambæ Carolum ad Domum Cartusiensis Ordinis in ipsa urbe Neapoli, ædificandam concitarunt. Quamobrem statuit cartusiam erigere in Monte

S. Erasmi, ubi erat capella S. Martini Turonensis (ad quem magna afficiebatur devotione), haud longe a fortalitio de Belfort. Anno 1325, necessaria pro nova fundatione colligere cœpit et die quarta Maii ejusdem anni Expensorem specialem designavit ut ex sequentibus literis videre est : « Carolus Illustris, Hierusalem et Siciliæ regis Roberti primogenitus, dux Calabriæ ac ejus Vicarius generalis, notario Martuccio Serico de Neapoli, actorum notario et judici appellationum Vicariæ et Magnæ Curiæ, fideli paterno et nostro, salutem et dilectionem sinceram. In reverentiam ejus qui dat omnibus omnia affluenter, et ex devotione quam ad Cartusiensem Ordinem gerimus, monasterium quoddam in loco montis S. Erasmi prope Neapolim construendum incolendumque Fratribus dicti Cartusiensis Ordinis, coadjuvante Domino, providimus. De tua igitur fide et legalitate ac industria, ex perhibito coram nobis laudabili testimonio, certiorati ; te receptorem et expensorem pecuniæ in dicto monasterio propter opera construenda, quam ad alias nostras litteras tibi successive mandabimus exhiberi, duximus usque ad nostræ Excellentiæ beneplacitum statuendum : ea propter, fidelitati tuæ præsentium tenore firmiter et expresse jubemus, quatenus omnem pecuniam, quam pro dicto opere tibi successive exhiberi mandabimus, ab illis personis quibus ipsam tibi assignari jusserimus, recipiens et conservans, eam tam pro magistris, manipulis, et personis aliis qui in dicto opere laborabunt, et ipsius servitiis necessariis dignoscetur, et tam pro mercede videlicet eorum quam pro calce, lapidibus, puteolana, lapillis, aqua, lignaminibus, ferris, et aliis rebus omnibus pro dicto opere necessariis emendis, convertas et solvas. »

*ANNUS 1329*

*in monte S. Erasmi constructa.*

Duos simul operum protomagistros et Architectos nominavit Carolus. « Pecuniam solvas, inquit in eisdem Literis, prout successive necessarium fuerit de ordinatione venerabilis viri fratris Rizzardi abbatis monasterii S. Severini Majoris de Neapoli, et domini Joannis de Aya militis, quibus negotium dicti operis, tamquam repræsentantibus Excellentiæ nostræ præsentiam, duximus committendum ; et cum notitia

ANNUS 1329

et conscientia magistri Francisci de Vico, vel magistri Cini de Senis, quos dicti operis præpositos duximus ordinandos, et magistri Mazzei de Malocto de Neapoli, quem etiam providimus in dicto opere moraturum. »

Deinde fieri mandat Fundator, anno quolibet, semestri tempore, quaternum unum introitus et exitus totius pecuniæ continentem, quem postea coram Auditore, a se vel Curia sua deputando, producendum jubet.

*Obiit primus fundator.*

Anno 1328, 9 Novembris, Carolus, ex febri quam in venatione contraxerat, immatura morte præventus, nascentis suæ fundationis non est oblitus. In ejus testamento hæc leguntur : « Ad venerabilem et religiosum Ordinem Cartusiensium specialem habens et præcipuum sanctitatis affectum, quoddam monasterium ejusdem Ordinis, sub denominatione seu vocabulo S. Martini de Monte S. Erasmi prope Neapolim, ædificari cupio et construi, in quo ad Dei laudem et gloriam dignique Pontificis supradicti, divina continue celebrentur officia et reddantur religiosæ virtutis opera Deo grata..... et dictum monasterium S. Martini dotetur sic sufficienter et abundanter quod tredecim Fratres (qui secundum observantiam regularem eorum, Conventum constituunt) semper commorentur in illo ; qui cum competenti et necessaria familia possint in eo vitam celibem ducere et se opportunis reditibus sustentare. »

ROBERTUS REX FUNDATIONEM PERSEQUITUR,

IV. Robertus rex, filii sui amore, nec minus et divina charitate permotus, annuas uncias auri ducentas ponderis generalis, convertendas in emptionem terrarum et possessionum ad opus monasterii supradicti prædictorumque Fratrum et personarum in illo degentium, super quibusdam juribus et reditibus stabilivit ; ut patet ex sequentibus : « Robertus Dei gratia rex Jerusalem et Siciliæ, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii ac Pedemontis comes. Tenore præsentium notum facimus universis earum seriem inspecturis tam præsentibus quam futuris, quod jamdudum, a die videlicet vigesimo tertio mensis Octobris primæ Indictionis proxime præteritæ, propter devotionem quam habe-

mus ad Cartusiensem Ordinem et quam habuit benedictæ memoriæ Carolus primogenitus noster dux Calabriæ nosterque Generalis Vicarius, dum vixit, stabilivimus et mandavimus per litteras nostras, quod religiosi viri Prior et Conventus Fratrum loci S. Martini prope Neapolim ejusdem Ordinis devoti nostri, vel eorum procuratores et nuntii, pro vita eorumdem Religiosorum et negotiis aliis ejusdem loci, uncias auri ducentas ponderis generalis, in juribus et super juribus, reditibus et proventibus fundici et doanæ civitatis nostræ Castrimaris de Italia, usque ad eorum assecutionem in terra et bonis stabilibus anno quolibet percipere debeant et habere; quam pecuniam prædicti Prior et Conventus usque nunc suis temporibus perceperunt. Ut itaque pateat omnibus quod nostri est firmi propositi observare ac mandare prædicta omnia observari, tenore præsentium pollicemur ac volumus et mandamus quod stabilitio et perceptio ipsa prædicto modo fienda, firma et stabilis perseveret; nec per obicem alicujus ordinationis seu mandati contrarii quomodolibet minuatur vel aliqualiter infringatur. In cujus rei testimonium et Religiosorum ipsorum cautelam præsentes litteras nostras, pendenti majestatis nostræ sigillo munitas esse concessimus, et fieri fecimus duplicatas. Datum Neapoli, anno Domini 1334, die 23 Septembris, tertiæ Indictionis, Regnorum nostrorum anno 26. »

ANNUS 1329

*amore ejus filii Caroli.*

Anno 1336, XI die Julii, Robertus iterum mandavit Martuccio Serico, « ut pecuniam deputatam pro constructione operis monasterii sancti Martini persolveret.... cum notitia et conscientia fratris D. Guillelmi Catalani, Vicarii dicti monasterii : » ex quibus verbis oppido liquet Patres nostros jam hoc anno (1336) novam cartusiam habitasse cum ibidem mentio fiat Domni Guillelmi Catalani Vicarii Domus. Robertus de Senis extitit Protoprior, de quo hæc leguntur in Catalogo ms. Priorum cartusiæ Neapolitanæ : « Domnus Robertus de Senis primus Prior qui reperiri potuit, ab anno 1337 ad annum 1339, quo factus est primus Prior Domus S. Joannis Januæ Paradisi ». Secundus Prior fuit D. Adam

*Adveniunt primi novæ Domus incolæ.*

ANNUS 1329

de Aversa ex familia de Stephano, professus hujus Domus qui (ut legitur in Scheda Benefactorum) ei donavit massariam cum plurimis possessionibus in Casacellari, quasdam domus in Aversa et plures libros. . . .

CAPITULO GENERALI OBEDIENTIAM PRÆSTANT.

Apud Molin. pag. 437.

V. Circa hæc tempora Conventus ejusdem cartusiæ Capitulo generali obedientiam his verbis præstitit : « Patribus et Dominis Reverendis, Domno Jacobo Priori Domus Cartusiæ et cæteris Diffinitoribus Capituli generalis, Prior et Fratres novæ Domus S. Martini prope Neapolim recommendationem humilem et filialem promptitudinem obsequendi. Sperantes vestris sanctis ordinationibus et correptionibus dirigi ad salutem, secundum modum et formam aliarum Domorum obedientiam promittimus Capitulo generali. In omnibus igitur quæ ad tenorem et confirmationem nostri Ordinis pertinent, sicut communis Capituli consilio decretum fuerit, concedimus et tradimus Domum nostram eidem Capitulo in perpetuum corrigendam et conservandam. In cujus rei testimonium sigillum nostri Conventus præsentibus duximus apponendum. » Hoc tamen privato Instrumento Capituli generalis Diffinitores non contenti, aliud publicum fieri jusserunt anno 1338* : « Priori S. Martini prope Neapolim, inquiunt, præcipitur quod, quantocius poterit, bono modo mittat in patenti littera, manu publici Notarii facta et de consensu Conventus sui sigillo Domus suæ sigillata, professionem quam misit Capitulo in schedula ; expresseque pro se et Conventu suo generali Capitulo obedientiam promittat, et correctioni dicti Capituli totaliter se submittat. »

* Ex Charta Capit. gener. hujus anni.

PRIORES DOMORUM ALEMANIÆ IDEM FACIUNT,

VI. Hoc etiam anno, Austriæ et Hungariæ Priores, in Domo Seitzensi solemni cœtu congregati, ad noxia præcavenda quæ ex schismate Ludovici IV oriri possent, eidem Capitulo generali absolutam obedientiam promiserunt in hæc verba : « Reverendis in Christo Patribus, Domno Haymoni venerabili Priori Cartusiæ, totique Capitulo generali congregato ibidem, Fratres Joannes Vallis S. Joannis in Seitz, Petrus Vallis S. Mauritii in Gyriaco, Hermanus Vallis S. Mariæ in Vronitz (Freidnitz) et Godefridus Vallis omnium San-

ANNUS
1329

Chronicon
Maurb. p. 20.

ctorum in Maurbach, Domorum Priores prædicti Cartusiensis Ordinis, cum omni subjectione obedientiam filialem. Nosse dignetur vestræ pietatis clementia paternalis, quod, anno 1328 (postquam ego frater Godefridus Prior prædictus rediens a Capitulo generali, assumpto socio, personas linguæ gallicæ in exilio et tædio periculorum multorum in partibus Alemaniæ, scilicet in Valle S. Mauritii in Gyriaco et in Valle S. Mariæ in Vronitz nostri Ordinis degentes, sufficientibus datis expensis ad Domus sui idiomatis nostri Ordinis quas elegerant omnino sine strepitu cum reverentia et tranquillitate misissem, Prioribus et aliis personis illius patriæ ibi locatis, aliisque rebus et negotiis prout melius fieri poterat dispositis, sicut mihi prædicto Godefrido in generali Capitulo injunctum fuit in virtute sanctæ obedientiæ et mandatum prout in litteris majori sigillo Domus Cartusiæ signatis, quarum rescriptum sub sigillo Domus nostræ transmitto, plenius continetur), Nos prædicti Fratres, videlicet Joannes, Petrus, Hermannus et Godefridus in Domo Vallis Sancti Joannis in Seitz, in die sanctæ Agathæ anni ut infra, dicta Prima una cum Conventu, in Capitulo pariter congregati, habita deliberatione, de maturo consilio et concordi consensu Conventuum nostrorum, missali libro super altare posito, pro Prioribus et Conventibus nostris atque successoribus nostris juravimus ad SS. Evangelia Dei, quæ singulatim manibus corporaliter tetigimus, Ordini nostro, scilicet Cartusiensi, immobiliter adhærere; Priori et Conventui Cartusiæ et generali Capitulo humiliter obedire; Visitatores Ordinis prout consuetum est, reverenter accipere et ipsorum ordinationibus salubriter assentire; contra rebelles quoslibet cujuscumque status extiterint, sive subditi illi sint sive Rectores, constanter insurgere, et ipsorum contumaciam et rebellionem de communibus consilio, adjutorio, expensis et laboribus, secundum constitutiones ac pœnas in Ordine institutas. . . . . dicto Ordini, ad cujus jus, regimen, proprietatem et dominium dictæ Domus et omnia earum bona mobilia et immobilia, possessiones, reditus et jura cum omnibus suis perti-

*omnimodam subjectionem promittentes.*

ANNUS 1329

nentiis ut publice confessi sumus de jure pertinent, omni conamine subjugare ; fraternas admonitiones de honestate et observantiis Ordinis vicissim charitative facere, ac universa negotia tam in pecuniis quam in aliis factis, pro utilitate et profectu Domorum, communicato consilio eorum qui requirendi sunt, religiose ac fideliter agere et tractare. Præterea Domnus Joannes Prior Vallis Sancti Antonii existens in Valle omnium Sanctorum, pro se et Conventu suo, et pro Domno Joanne Priore Lapidis refugii et eorum successoribus, sub juramento promisit prædicta omnia fideliter observare. In quorum omnium robur, præsentes literas sigillis prædictarum quatuor Domorum vestræ Paternitati transmittimus communitas ; supplicantes humiliter et attente, quod si tenorem prædictorum in aliquo decernitis alterare, nobis demandetis : quia, in his et in omnibus aliis, vestris beneplacitis promittimus sub voto Religionis nostræ humiliter obedire. De cæteris D. Tyloni Vicario Domus Vallis omnium Sanctorum exhibitori præsentium dignemini, ac si præsentes essemus, fidem credulam adhibere. Datum in Domo Vallis omnium Sanctorum, in Maurbach, anno Domini 1329, in die sancti Ambrosii. »

S. ROSELINA MORITUR.

VII. In Charta hujus anni habetur : « Obiit Rossolina, quondam Priorissa Cellæ Robaudi. » Hæc est sancta illa nobilisque virgo Roselina (Rosselina vel Rossolina) cujus memoria apud Provinciales magna est in veneratione, quæ ex perillustri familia de Villanova in Provincia ortum habuit, patre Arnaldo II, barone de Arcubus et de Trans, matre Burgola (alias Sibylla) de Sabran, sorore Ermengaldi magni apud Neapolitanos Justiciarii, qui ex Lauduna Alba sustulit sanctum Elzearium Ariani comitem et B. Delphinæ maritum, quorum proinde sobrina extitit nostra Roselina, ut Acta antiqua utriusque præfati conjugis docent. Hujus sanctæ Monialis vitam ex antiquis gallicis Codicibus scripserunt doctissimi Bollandistæ, e quibus fere omnia quæ sequuntur eruimus.

Acta SS., ad diem XI Junii.

*Quædam futuræ sanctitatis indicia.*

Mater ejus gravida, cum aliquando coram Deiparæ imagine, in Transensis palatii sacello, devotius oraret ut in tute-

lam susciperet istum ventris ejus fructum, intellexit se rosam absque spinis parituram, cujus fragrantia omnem circa regionem impleret, et inde dicta est Roselina.... Pater ejus, ad natam sibi recens filiolam videndam ingressus, invenit cubiculum cœlesti lumine illustratum. Tantus puritatis amor in ista infantula, mirantibus omnibus, elucebat quod ad materna ubera sugenda, nisi tecta essent, non posset adduci. Ab ipsa pueritia virtutis adeo studiosa fuit, ut sanctitatis futuræ plurima præ se ferret indicia, juniorque adhuc virginitatis voto, ut habet ms. codex Majoris Cartusiæ, se totam divini numinis obsequio consecrarit. Hanc tanti candoris animam Spiritus Sanctus ita libenter inhabitabat, ut Roselinam septennem Guillelmus de Albussiaco Forojuliensis episcopus confirmaturus, præternaturalem aliquam claritatem in ejus fronte notarit. Eximia certe sunt quæ de hujus virginis (etiam cum in sæculo degeret) cœlestibus favoribus prodita sunt : nam præter cætera, hoc miraculum omnes Scriptores uno ore referunt : « Cum esset B. Roselina adhuc adolescentula in domo paterna, seseque egenis caritate devinciret, eosque sæpius amoroso studio ignorante patre frequentaret ; famuli domus id tandem domino suo referunt. Scrutatur pater, prohibet ac minatur. Accidit autem, cum clamitarent semel pauperes ad januam divitis et nemo illis daret, invenissetque Roselina aliqua frusta panis ; in suo ventrali abscondit. Sed cum ad pauperes pergeret, obvium sibi habuit patrem qui rigido vultu ait ad eam : Siste gradum, Roselina ; quid defers in sudario ? Ad quem illa : sunt flores ac rosæ, mi pater. Videam, inquit ille, videam. Et ecce quæ rosæ ac flores sunt in oculis patris, in panes et delicias revertuntur in refectione pauperum. In hujus prodigii memoriam, nostram Roselinam cernere fuit pro ipso ecclesiæ Cellæ Robaudi vestibulo depictam, vestitamque eodem prorsus quo Moniales Cartusianæ modo, hoc excepto uno, quod crucem partim rubram partimque cæruleam stomacho applicatam gerat, anterioremque cucullæ suæ partem rosis refertam, in hujus miraculi fidem, manibus teneat. »

ANNUS 1329

Ephemerid. Cartusiens. ad diem XI Jun.

ANNUS 1329

Decennis, vel undennis, orbata matre sua, commendata fuit S. Elzeario de Sabran et S. Delphinæ, et ab eis collocata in monasterio sanctæ Claræ Avenione sub cura Dominæ Gerardæ de Sabran, ejus Conventus abbatissæ. Et cum esset Roselina quindennis, vehementius pulsata a patre et consanguineis fuit ut, dimisso religiosioris vitæ proposito, oblatas nuptias honestissimas amplecteretur ; eo in conflictu usa est consilio et auxilio Domni Brunonis, in cartusia Montis rivii Prioris, ut patrem flecteret in sua vota. Hic per eum emollitus nonnihil, tandem plenum consensum filiæ dedit ad persuasionem Josselini episcopi Arausionensis qui, visitatis Apostolorum liminibus, in suam rediens diœcesim et Tranibus pertransiens, apud Roselinæ genitorem est hospitatus. Cartusiensium Regulam amplexa est Roselina in Domo Monialium Bertaudi, diœcesis Vapincensis, ut liquido patet ex veteri Kalendario hujus Domus. Teste eodem Kalendario, ad regimen parthenonis Cellæ Robaudi assumpta est B. Roselina, et ante obitum suum *misericordiam,* id est absolutionem ab officio petiit et obtinuit, sibi ac Deo deinceps *in solitudine*, ut Cartusiani loqui amant, victura. De privatis virtutibus hujus Sanctæ et de gratiis ipsi divinitus concessis, pauca dicamus.

*Fit Monialis Cartusiana.*

Frequens ei erat signo Crucis effugare dæmones ; integras quandoque hebdomadas transigebat absque cibo ; somnum habebat tribus quatuorve horis circumscriptum ; monebat identidem suas formidare verba hæc : Nescio vos ; ut audire mererentur : Venite ad me. Quærebat sæpe quid opus esset ad consequendam salutem ; et respondebat : Nosse seipsum. Colloquia cum aliis a *Veni Creator* auspicabatur, et finiebat cum *Ave, maris stella.* Diebus quibus communicaverat, nihil præter panem recipiebat, eumque sæpe aspersum cinere, cum modico et male condito legumine. Levicula delicta sua acerrimis vindicabat flagellis, sic ut accurrentes Religiosæ, verberum violentia excitatæ, necesse haberent eam cohibere, orantes cum lacrymis, ut laceratæ satis carni parceret. Libro integro opus foret, ad omnes ejus revelationes ac visiones

*Gratiæ gratis datæ.*

*Revelationes frequentes.*

scribendas; semel autem conspexit Christum, toto corpore lacerum; causamque requirens, intellexit Albigensium hæresim esse. Leprosos sedulo curans, pus etiam ex plagis sugebat, easque ita sanabat. Secreta cordium cum inspiceret frequentius, nemo audebat, nisi peccata confessus, si gravioris forsitan alicujus conscius sibi esset, in ejus venire colloquium. Patiendi multum cupientissima, dicebat, si quando diem absque molestia egisset, se grande aliquod malum formidare. ANNUS 1329

Denique vocatæ ad se nepti suæ, Margaritæ Villanovanæ, indicavit vicinæ mortis sibi tempus revelatum; ac postea Sorores omnes extremum adhortata ad fiduciam in Domino collocandam, febri correpta est; et in suam sese cellam recepit paleæque incubuit. Morbo autem indies ingravescente, de totius vitæ peccatis confessa, petiit sibi impendi Indulgentias in talem articulum sibi a Joanne Papa XXII impertitas, atque sacro Viatico Dominici Corporis muniri; quo humillime suscepto, in profundam rapta fuit extasim, quæ totum fere diem duravit. Ab hac ad suos reversa sensus, neptem rogavit, ne se in articulo isto desereret, et extremam petiit Unctionem; post quam Sororibus valedixit. Ipsum etiam rogans Confessarium, uti sese tantisper solitariam relinqueret, solam apud se retinuit neptem Margaritam. Hæc dum orationi incumberet, audire vocem hanc meruit: Vale, soror, abeo ad Creatorem meum; simulque vidit in cellam venire S. Brunonem, cum sanctis Hugone Gratianopolitano et Hugone Lincolniensi episcopis, habitum Cartusianum indutis atque thuribula gestantibus: quos subsequens Deipara, cum Filio in brachio, S. Brunoni innuit ut incensari cellam juberet simulque stratum jacentis ægræ. Quod cum fecisset sanctus Hugo Lincolniensis, permissus est accedere dæmon, et quid in Roselina argueret edicere. Fassus est is aliud nihil, quam quod semel post meridiem quietem nonnullam sumpsisset. Igitur procedi Deipara jussit, et ad Filii thalamum introduci sponsam. Ad quæ verba, dicto *Deo gratias,* expiravit venerabilis Mater.

*Morte præscita, se parat,*

*Deipara et aliis ejus Patronis adstantibus,*

*expirat die 17 Januarii.*

Porro Margarita neptis, ut expirasse sanctam amitam vi-

ANNUS
1329

dit, sublato clamore excivit cæteras, exitum aforis præstolantes. Quæ cum cernerent mortuæ cadaver, in speciem venerabundæ, oculos in cœlum defixos tenere nihildum obscuratos, et reliquam totius faciei pulchritudinem, atque tractabile per omnes artus corpus, satis essent admiratæ; illud in feretrum composuerunt, postridie sepulturæ mandandum. Verum cum eam mortuam, eodem articulo, per omnes vicos et oppida circumjecta, publicassent infantes, clamando : Mortua est Sancta, factus est continuo ad monasterium concursus accolarum; quorum importunitati aspicere tangereque cupientium, ut fieret satis, continuo toto triduo dimittendum ibi sacrum corpus fuit; et per tempus illud plurima dicuntur patrata miracula, cum vel solus contactus sandapilæ morbos curaret, contractos erigeret, cæcos illuminaret.

*Ad corpus nihil per mortem mutatum*

*accurrit populus vocibus infantium excitus.*

A quinque annis mortua erat Roselina, quum cœlestis quædam fragrantia ex humili hujus sanctæ Matris sepulcro jugiter emanans, movit Religiosas, instanter a populo requisitas, ut cum licentia Ordinarii, Bartholomæi Grossi Forojuliensis episcopi, aperiri locum facerent. Eo anno 1334, mense Junio, novæ ecclesiæ Monialium Cellæ Robaudi dedicatio facta fuit per Sanctæ fratrem Elzearium Dignensem episcopum, sub titulo S. Catharinæ Montis Sion*; qua occasione et die undecimo Junii corpus Roselinæ, propter prægressa miracula, refossum et integrum repertum fuisse videtur. Addunt aliqui Joannem XXII consensum huic elevationi dedisse et rem commisisse Hugoni, Sanctæ consanguineo et postea Massiliensi episcopo. Idem Hugo etiam creditur, ob admirationem præcipuam oculorum adeo clarorum ac vividorum tot annis post mortem ac si viverent, eosdem capiti exemisse, crudeli (ut sic loquar) pietate; eosdemque peculiari thecæ inclusisse, servandæ in sacrario ubi semper spectari possent.

*Post quinquennium levatur corpus,*

* *aliter* Sinaï.

*quod integrum reperitur.*

*Oculi etiamnum integri seorsim servati.*

Sæculo XV, rebellantium turmis Provinciam vastantibus, Cellæ Robaudi monasterium primo a dilapsis alio Monialibus desertum, deinde pene funditus destructum fuit; ruinisque illis involutum sacrum pignus delituit quoad, reformata pace, post annum L sæculi, restauratus utcumque locus est;

sed occultum mansit Roselinæ corpus. Postea tamen, sic disponente Deo qui Sanctorum suorum ossa custodit, quum Capellanus Cellæ Robaudi Missam celebraret, accidit ut cæcus ibidem præsens, sub Elevationem exclamaret: Ecce locum ubi abditum latet corpus B. Roselinæ ; ipsumque ego video. Ad hanc vocem et subitam cæci illuminationem, omnibus miraculum conclamantibus, jussit Capellanus, ut finita Missa, eo loco foderetur, quem cæcus illuminatus monstrabat ; inventumque est sanctum corpus, (ut antea erat) integrum, una cum aliis Reliquiis pariter defossis, quæ etiamnum servantur in Sacrario.

ANNUS 1329

*Circa 1450 fit nova corporis elevatio.*

Cellæ Robaudi monasterium, anno 1501, inhabitarunt RR. PP. de Observantia S. Francisci ; Moniales autem fuerunt translatæ in locum de Transio, consentiente Summo Pontifice Alexandro VI, prout constat ex transsumpto sub anno Domini 1499, VII Kalend. Octobris.

Anno 1644, Prior cartusiæ Montis rivii venerandum hunc locum adiit ; et per epistolam, die 15 Junii datam, hæc scripsit : « Inveni rudera veteris monasterii... Sola ecclesia veterem formam retinet, sed ruinosa et pluribus rimis hyans. Ibi est capella ad dextram majoris aræ, supra cujus altare extenditur arcula ex ligno, tribus vitris ad caput, ad pedes, et in medio perspicua, alioqui vilis valde, cum vitra non nisi papyro agglutinata contineantur. Sed Marchio Arquensis dicebatur novam ex argento parare. Per vitra ista primum videtur caput integrum, non sicut aliorum mortuorum, sed carne tectum, exsucca tamen ; satisque apparet separatum jacere, nec reliquo corpori cohærere ; hoc vero a capite ad tibias operitur veteri subtilique sindone, sed ejus nulla pars conspicitur præter tibias, integras adhuc suaque exsucca carne tectas, circa pedes tamen hinc inde perforatas, non sine nota alicujus corruptionis. Sub ea sindone totum quidem corpus esse dicebatur, sed non potui hoc mihi persuadere ; cum circa medium viderem depressiora omnia, quam ut crederem integrum corpus subesse. Ostenderunt autem mihi seorsim oculos, ad intuentium stuporem integros, intra ar-

*Seculo XVII miraculosa corporis et oculorum conservatio perseverat.*

ANNUS
1329

genteam figuram uno circiter pede altam. Est autem magna vicinorum erga Sanctam devotio : et nuper Arquensis Marchionissa, ex suo castro, quamvis solidam dimidiam leucam distante, pedibus eo per novemdium accessit. » Hæc ille.

Circa 1652, Carolus a Villanova, abbas, fundamenta jecit novi sacelli in honorem B. Roselinæ; quo absoluto perbeneque ornato, decreta est solemnis translatio Reliquiarum, facienda 20 Octobris 1657 ; « sic divina disponente Providentia, ut beatissimæ Roselinæ (ex antiquissima et illustrissima gentis Villanovanæ, Marchionum de Trans et des Arcs prosapia oriundæ, non taminatum corpus, quod abhinc quatuor sæculis miraculosa protectione inexesum, nullibique erosum, in quodam sacello ecclesiæ Cellæ Robaudi jacebat, ad conditorium honestius transveheretur. » Accidit eo tempore, quod V. P. noster Domnus Chauvet refert in hunc modum : « Cum in Arquensi monasterio habitarem, anno 1670, visitationis ergo ad me veniens honestus civis Arquensis, Artaudus nomine, intra cellam meam visa S. Roselinæ imagine, dixit non ita pridem devotione ductum se Arcus concessisse, ubi ei monstrati fuerint prædicti oculi ; et is qui monstrabat, interrogavit an in utroque eorum angulo videret puncturas geminas. Quas cum responderet satis esse conspicuas, sed causam earum libenter se auditurum ; dixerunt Patres illi, anno MDCLX in comitatu Regis Christianissimi, Provinciam cohonestantis præsentia sua, fuisse medicum ejus : qui ad videndos oculos istos Arcus excurrerit ; et cum persuaderi non posset vivos illos ac naturales esse oculos, veritatis experimentum sumere permissus sit ea quam ad id promebat acu ; unde puncturæ istæ remanserint. »

*Veritatem miraculi explorat medicus Regis.*

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1330.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Aymonis Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 15. | Ann. 247. | Ann. 18. |

I. ANNUS volvitur a mundi Redemptione millesimus trecentesimus trigesimus, Indictione decima tertia, quo Guillelmus dominus Intermontium non solum cum Cartusiensibus, sed quod salutarius et utilius ac magis ei necessarium erat, cum Deo et novo comite Sabaudiæ Aymone in gratiam redire cupiens, iterum ad Majorem Cartusiam accessit, absolutionem ab omni censura quam propter violentias Cartusiæ factas incurrerat, impetraturus. Aderat tunc Guillelmus episcopus Gratianop. qui viri motus humilitate Nostrorumque precibus victus, eum ab omni excommunicatione absolutum ad Sacrorum usum admisit; confecto ad rei memoriam sequenti diplomate: BARO INTERMONTIUM ECCLESIÆ RECONCILIATUR.

« Nos G. miseratione divina Gratianopolitanus episcopus, notum facimus universis tenorem præsentium inspecturis, quod coram nobis Ordinario et Conservatore privilegiorum Cartusiensis Ordinis a summo Pontifice constituto, et coram viro religioso Domno Aymone Priore Domus Majoris Cartusiæ nobiscum præsentialiter existente in dicta Domo Cartusiæ, secunda die mensis Aprilis intrantis, comparuit vir nobilis dominus Guillermus, dominus Montisbelli et castri novi de Intermontibus, proponens et supplicans verbotenus quod cum super excessu perpetrato tam per eumdem quam per complices suos in effractione januæ Domus Cartusiæ prædictæ, tempore Capituli generalis in dicta Domo celebrati anno *Ex Cartular. Majoris Cartusiæ II, pag. 150.*

ANNUS 1330

Domini MCCC vigesimo octavo, et super aliis excessibus tam per eumdem quam per aliquos sibi adhærentes et faventes factis dicti Domini, contra dictam Domum modo aliquo seu forma aliqua, videlicet tempore Capituli generalis proxime lapsi: mandato bonæ memoriæ domini Edoardi quondam comitis Sabaudiæ venerit, et dicto domino Priori et toti Capitulo generali obtulerit se super prædictis misericordiæ eorumdem, promiseritque satisfacere voluntati ipsius domini Prioris aut alterius nomine ipsius; dicta die humiliter petiit sibi et complicibus suis per nos munus absolutionis impertiri in omnibus et de omnibus in quibus incurrerunt, seu incurrere potuerunt aliquas sententias ex causis excessuum prædictorum; maxime cum per dominum Petrum de Venseto et dominum Jacobum de Sancto Mauritio milites, caverit super prædictis et promiserit in manu dicti Prioris recipientis ea attendere et complere, quæ omnia paratus est fideliter observare. Unde nos volentes ulterius cum majori maturitate et cautela procedere, et ut nobis et cunctis notorium sit, iterato promissionem et juramentum manuale nobis factum recepimus ab eodem domino Guillermo, nomine suo et omnium conreorum, qui nobis promisit, omni solemnitate adhibita, quod ipse ex integro et pacifice satisfaciet tam dictæ Domui quam Capitulo generali de omnibus et singulis dictis excessibus, quomodocumque ordinare, disponere et declarare voluerit idem dominus Prior aut Nos dictus episcopus, seu alius vel alii quos de Religione prædicta idem dominus Prior duxerit deputandos, aut cum consilio, assensu et autoritate illustris Principis domini Aymonis comitis Sabaudiæ; ita quod quidquid per eosdem vel per aliquos prædictorum, voluntate dicti domini Prioris mediante, summarie et de plano sine solemnitate aliqua ordinatum fuerit, idem dominus Guillermus ratum habebit atque firmum, nec ullam exceptionem apponere in contrarium attentabit: pro quibus omnibus et singulis firmius attendendis per dictum Dominum Guillermum, precibus ipsius et mandato obligaverunt se et res suas constituerunt, scilicet Guiller-

ANNUS 1330

mus Amblardi domicellus, Morellus de Chigniis domicellus et Jaquemetus Richardi, fidemjussores quilibet in solidum, in manu nostra recipientes nomine dictæ Domus et omnium quorum interest....... Et licet in notoriis absolutionem satisfactio debeat prævenire, Nos tamen ipsius domini Guillermi supplicationem et voluntatem devotam et humilem attendentes, eidem et conreis præsentibus munus absolutionis contulimus, et absentibus sub eadem promissione et cautela præcipimus conferendum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus apponendum. Datum die et loco quibus supra, anno Domini millesimo CCC trigesimo. »

BULLÆ JOANNIS PP. XXII IN FAVOREM ORDINIS.

II. Joannes Papa multis gratiis tum universum Ordinem tum Domos a se conditas cumulavit ; binas namque bullas die vigesima nona Aprilis concessit : alteram ad omnes personas Ordinis, alteram ad collectores Cameræ Apostolicæ, quibus declarat se, « propter paternam charitatem qua omnes Priores et Fratres ac Ordinem amplectitur, » eximere universas Domos a solutione primorum fructuum quos a vacantibus quibuslibet beneficiis ecclesiasticis dudum exigi præceperat. Exstat utraque bulla inter Privilegia nostri Ordinis, ad calcem Antiquorum Statutorum.

Privil. Ord. num. 75 et 76.

*Item, bulla pro cartusia Boni passus,*

Pridie ejusdem diei aliud privilegium scribi jusserat in gratiam novellæ suæ cartusiæ Bonipassus, cui dat potestatem decimas percipiendi de terris quas colonis tradet excolendas, prohibetque ne quiquam alii eas ab eisdem colonis exigere præsumant. Datum Avenione, quarto Calendas Maii, Pontificatus illius anno quarto decimo; cœpto quidem anno superiore sed hoc præsenti complendo in Augusto. Voluit et ipse Pontifex splendidioribus privilegiis provehere Cadurcensem cartusiam a se fundatam. Quamobrem Priori Cartusiæ mandat quatenus omnium privilegiorum quæ in totum hactenus Ordinem plena manu contulerant Pontifices Maximi, Cadurcensibus monachis quibus uti eisdem plenissime indulgebat, authenticas mitteret tabulas, Episcopi Gratianopolitani auctoritate et sigillo firmatas. Bulla ad Priorem Cartusiæ data, est sequentis tenoris :

Privil. num. 77.

*et pro Domo Cadurcensi.*

ANNUS
1330

« Joannes, etc., dilectis filiis Priori et Conventui monasterii Cartusiensis Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Dudum dilectis Filiis Priori et Conventui Beatæ Mariæ Cadurcensis, Ordinis vestri, per speciale privilegium duximus concedendum, ut ipsi eorumque monasterium omnibus et singulis privilegiis Apostolicis Ordini prædicto sub quacumque forma vel expressione verborum concessis uti et gaudere plenarie valeant, ac si eis prædictoque eorum monasterio concessa specialiter extitissent, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur : sane quia ipsis Priori et Conventui habere copiam et transsumptum prædictorum privilegiorum expedit, ut de eis docere valeant quoties eis extiterit opportunum, Nos venerabili Fratri nostro Episcopo Gratianopolitano per alias litteras nostras mandamus, ut alia privilegia sibi pro parte vestra exhibenda transcribi per Notarium publicum fideliter de verbo ad verbum faciat, et transsumpta inde faciendo diligenter auscultata cum suis originalibus, suoque sigillo munita et signo ejusdem Notarii roborata, nobis fideliter mittere ut eisdem Priori et Conventui providere opportune valeamus super his. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad requisitionem dicti Prioris exhibere præfato Episcopo eadem privilegia pro faciendis hujusmodi transsumptis studeatis. Datum Avinione, 5 Calend. Novembris, Pontificatus nostri anno decimo quinto. »

INDULGENTIAM IN ARTICULO MORTIS NOBIS PRO SEMEL LARGITUR IDEM PONTIFEX.

III. His temporalibus gratiis spirituales addens, Prioribus et Vicariis potestatem fecit plenam peccatorum indulgentiam impertiendi omnibus personis Ordinis in periculo mortis positis. Est de his vetus monumentum, cujus exemplar reperitur in tabulario Domus Parci, sub tali forma :

« Religiosis viris et Priori et Conventui monasterii Parci ac universis Prioribus et Fratribus Ordinis Cartusiensis præsentes litteras inspecturis, Bindus de servis Domini Papæ notarius, salutem in Domino. Noveritis nos vidisse supplicationem quamdam, in pergameno scriptam, omni vitio et suspicione carentem cujus tenor talis est : Supplicant Sanctitati

ANNUS 1330

Vestræ, devoti oratores vestri et humiles filii Priores et Fratres Ordinis Cartusiensis, quatenus de benignitate vestra solita eisdem Prioribus et Vicariis monasteriorum Monialium dicti Ordinis, quod singulis personis ipsius Ordinis (dum tamen in obedientia dicti Ordinis moriantur) ipsi Priores et Vicarii eorum, Prioribus autem et Vicariis absentibus, idonei confessores, præfatis personis dicti Ordinis, semel tantum in mortis periculo, omnium peccatorum suorum (de quibus confessi fuerint et contriti, vel libenter confiterentur si eorum haberent memoriam) plenam Indulgentiam (quantum claves Ecclesiæ se extendunt) autoritate vestra concedere valeant, dignemini misericorditer indulgere, saltem in foro conscientiæ, sine litteris, verbo tantum. »

Bohic. II, ad ann. 1330.

In fine autem dictæ supplicationis, scriptum erat, de manu (prout firmissime credimus et tenemus) Sanctissimi Patris et Domini nostri Joannis Papæ vigesimi secundi : « Fiat in forma pro semel. »

Hanc gratiam nobis obtinuit Talairandus cardinalis Petragoricensis, ut constat ex litteris Prioris Cartusiæ anno 1359 datis.

OBIIT FRIDERICUS DOMUS MAURBACENSIS FUNDATOR.

IV. Ineunte hoc anno, die videlicet 13 Januarii ut asserit Rittershusius, e terreno ad cœleste regnum, ut pie credimus, translatus est Fridericus Pulcher, Imperator, cartusiæ Vallis omnium Sanctorum in Maurbach fundator ; qui cum solitudinis amans in eadem Domo aliquandiu quiete vixisset, tandem etiam post mortem ibidem in medio chori conditus est, nullo vel exiguo imposito monumento usque ad annum 1557 quo regiæ illius exuviæ lapideo sarcophago inclusæ sunt, cum epitaphio quod Joannes Sestos, ejusdem Augustæ Domus professus, fundatoris memoriæ affixit in hunc modum :

Miræus in Origin. Cart., verbo Maurbach.

OBIIT MCCCXXX

Hoc jacet exiguo Cæsar sub marmore tectus
Austriacus, nomen cui Fridericus erat
Pulcher : Dux pius et justa probitate severus.
Templa etiam vitæ sunt monumenta suæ :
Nam quæ nunc cernis, Turcarum diruta bello,
Fundarat multo Dux bonus ære suo.

ANNUS 1330

Virginei partus postquam sol mille trecentos
   Triginta atque annos fecerat orbe suo,
Multis cum lachrimis multoque dolore suorum
   Extremum vitæ finiit ille diem.
Invidia Parcarum obiit quoque casta Puella
   Quæ jacet ad bustas, filia Elysa, patris.
Tu qui templa petis, voto, moriture viator,
   Funde preces dignas, corde rogante diu
Ut læti Christum videant; conservet et Ipse
   Austriacos Proceres, protegat atque regat.

Ex Chronic. ms. Maurbac. pag. 19.

Ejus filia, cujus meminit præfata inscriptio, vocabatur Elisabetha : quæ Carolo principi Bohemiæ desponsata, nuptialibus thalamis prærepta, communem cum patre sepulturam subierat in eadem cartusia ; cui pro Anniversario in perpetuum celebrando sex libras annui reditus legaverat. « Quæ tamen bona (sunt verba veteris codicis) non habemus quia declaratum est per Juristas, quod sit species simoniæ. » Isabella Friderici uxor, regis Arragonum filia, quam Lazius dicit cœnobium Maurbacense cum marito posuisse, non diu superstes fuit ; nam a quibusdam dicitur obiisse anno 1331, ab aliis ut serius, anno 1335. *

*12 Julii 1335, ait Chronic. Domus.

*Præter cartusiam Fridericus Hospitalem domum erexerat.*

Præter cartusiam Maurbacensem, alteram quoque Domum hospitalem extra muros Viennenses, et angustam intra muros Augustinianorum ecclesiam (quæ hodie Aulica est) cum adjacente monasterio erexit Fridericus ; quod ne cui dubium esse videatur, exemplum ex ipsarum litterarum autographo expressum subjicimus :

Chronicon Maurbac. sub primo Priore.

« Universis Christi fidelibus præsentes inspecturis, F. Hermannus Prior totusque Conventus in Vienna Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini, cœlestis coronam bravii feliciter adipisci. Cum præsens vita, umbræ, vento ac somno similis, in imagine labentis seculi fluxibiliter agatur ; regiam constat Excellentiam tum felicius coronari, dum vitæ præsentis dominium sic duxerit, ut divini amplificatione ministerii ac vitæ fulcimento monasticæ, sideream jugiter celsitudinem meditatur. Quod divus Fridericus, Romanorum rex christianissimus, regni cœlestis desiderio devotius considerans, voluntate ac consensu illustrium Principum fratrum

suorum Alberti et Ottonis ducum Austriæ et Styriæ unanimi, divinum cupiens augere ministerium, et Religiosam vitam piis confovere præsidiis, monasterium ex novo in alta suæ civitatis Viennensis strata, libera nobis devotione fundavit, per 13 sacerdotes nostri Ordinis, quos suæ fundationi specialiter deputari voluit, vel etiam per plures, quotquot eleemosynis fidelium poterunt sustentari inhabitandum, tenendum et perpetuo possidendum. Quod etiam monasterium piis accumulavit muneribus, libertatibus honoribusque dotans regiis, ad suam suorumque prædictorum fratrum ac successorum protectionem assumendo. Quod recognoscentes tenore præsentium, perpetuoque orationum munere, in perpetuam rei memoriam sigillum nostri Conventus præsentibus duximus apponendum. Anno Domini 1327, VII Kal. Septembris.

ANNUS 1330

R. P. AYMO MISERICORDIAM PETIT ET CONSEQUITUR.

V. Jam sedecim annis cum novem et amplius mensibus, Ordini Cartusiensi summa cum laude præfuerat Aymo de Augusta, Prior Cartusiæ, cum hoc anno privatam diligens et deligens vitam, ab officio absolvi petiit et accepit. Id a Capitulo generali concessum ei fuisse habet Chronicon Cartusiæ. « Cum dictam Domum, inquit, et totum Ordinem laudabiliter quindecim annis gubernasset, amore quietis et contemplationis accensus, pondere prælationis et sollicitudinis prægravatus, a Capitulo generali misericordiam petiit et accepit. » Hæc ibi. Certe quod spectat ad tempus sedis ejus, non solum quindecim annis (ut vult Chronici auctor) sed fere septemdecim eum sedisse perspicuum ex eo redditur, quod jam Bosoni successisse mense Septembri anno 1313 ibidem probaverimus ; constetque eum Capitulo generali præsentis hujus anni præsedisse. Cum enim Gerardus et Raymundus Priores Montis rivii et Bonæ fidei, Visitatores generales in Provincia Franciæ deputati, terminos Domus Bassævillæ feria tertia post Pascha ultimo præteritum assignassent, eos approbavit et confirmavit noster Aymo in ipsis Comitiis, scriptis super hoc sequentibus tabulis :

Historia ms. Domus Bassævillæ.

« Nos frater Haymo humilis Prior Cartusiæ cæterique Diffinitores Capituli generalis apud Cartusiam pro celebrando

ANNUS 1330

Capitulo generali in Domino congregati, notum facimus universis nos vidisse et legisse quasdam litteras sigillis religiosorum ac venerabilium fratrum nostrorum Montis rivii et Bonæ fidei Priorum sigillatas, formam quæ sequitur continentes : In nomine Domini. Amen. Anno ab Incarnatione ejusdem 1330, feria tertia post Pascha, notum sit universis ad quos litteræ istæ pervenerint, quod nos Gerardus et Raymundus Montis rivii et Bonæ fidei Priores, Visitatores generales a Capitulo generali in provinciam Franciæ missi, ad Domum S. Joannis vallis de Bassevilla, Autissiodorensis diœcesis, personaliter venientes, ad instantiam et petitionem venerabilis et discreti viri domini Joannis Grandis prædictæ Domus præcipui fundatoris, et consiliarii illustris Principis domini Ludovici Flandrensis et Nivernensis ac Registensis comitis, ac Ecclesiæ Claromontensis et Furnensis canonici, in modum infrascriptum terminos prædictæ Domus ordinavimus : Veziliacum primus est terminus inclusive, et inde tendit per stratam publicam recta eundo usque ad Mailliacum castrum, inclusive. Et de Mailliaco castro directe incedendo usque ad villam S. Salvatoris in Pusoyo inclusive. Et inde recta via eundo ad villam de Interamnis inclusive. Et ex tunc per rectam viam incedendo usque ad Varziacum inclusive, ac de Varziaco procedendo usque ad Moncellos-Comitis inclusive. Necnon de Moncellis recte eundo usque ad Vezeliacum prænominatum inclusive. Et hanc cartam, ad majorem firmitatem, nos præfati Priores sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Datum anno et die quibus supra. Lecta igitur dictæ cartæ continentia et diligenter audita, et præsentibus inserta nihil addito vel minuto, habito diligenti tractatu et deliberatione in Capitulo generali ; quia dictos terminos per præfatos Priores positos reperimus rationabiliter statutos, et secundum nostri Ordinis instituta et Sedis Apostolicæ privilegia nostro Ordini specialiter super hoc concessa ; tenore præsentium dictos terminos superius prænotatos ratificamus, confirmamus pariter et etiam approbamus. In cujus rei testimonium nos præfati Prior et Diffinitores sigillum magnum

Cartusiæ præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno 1330, mense Maio, sedente Capitulo generali. »

ANNUS 1330

Etsi ex hujusmodi documento pateat Aymonem, tempore Capituli generalis fuisse Priorem Cartusiæ, nihil tamen prohibet quominus ipse decima die Maii, quæ fuit ultima Comitiorum, absolutus fuerit ut habet Chronicon. Denique transactis in solitudine septemdecim mensibus, a Deo evocatus obiit die 28 Octobris, anno 1331, ut habemus ex Charta anni sequentis his verbis : « Quinto Calendas Novembris obiit felicis memoriæ Domnus Aymo, olim Prior Cartusiæ, qui habet monachatum per totum Ordinem. » Ex hac honorabili adjectione *felicis memoriæ,* quam duobus tantum aut tribus e Nostris hactenus in Chartis tributum scimus, colligimus quantam sibi opinionem et existimationem conciliarat apud Patres Ordinis, quorum posteri eum tanquam Beatum coluerunt. Unde noster Dorlandus eum prædicat velut « virum per omnia mirabilem, cujus tanta fuit in divinis libris sapientia, ut abunde non modo suam Cartusiam, sed etiam gymnasia pasceret Theologorum. Nam et scripta ejus, etiam his nostris temporibus (id est circa annum 1500) in pretio habentur et honore. Magnus itaque sapientia et scientia, sed Dei timore et sanctitate nusquam inferior. Tam exuberans fuit in hoc viro contemplationis gratia et internarum rerum cognitio, ut Prioratus officium ægerrime ferret. » Hæc Dorlandus. Sed quænam sint ipsius modi scripta quæ suis temporibus habebantur, nec ipse nec post eum noster Petreius aut alius quisquam indicavit.

*Obitus R. P. Aymonis de Augusta.*

Lib. IV, cap. 28.

VI. « Aymoni in prioratu Cartusiæ, ait Chronicon ejusdem, successit vir venerabilis magnæ scientiæ et contemplationis, Domnus Jacobus de Vivesio (sive de Viviaco) Monachus ejusdem Domus, quam ita strenue rexit et gubernavit unius anni spatio ut ab omnibus in magno honore et reverentia haberetur. Imo quanti eum, cum adhuc esset simplex Monachus, Patres Ordinis facerent, reipsa exhibuerunt eum eligentes qui anno 1328 pro toto Capitulo generali, Domino Intermontium Cartusiam per vim et violentiam invadenti

JACOBUS DE VIVESIO AYMONI SUCCEDIT.

ANNUS 1330

obsisteret ; et anno sequenti missus fuit qui concordiam iniret cum quibusdam aliis eidem Domui infensis. » Eum quidam acceperunt pro altero Jacobo de Viviaco qui circa eadem tempora rexit Domos Pomerii et Vallis sanctæ. Noster vero Jacobus dictus est de Viviaco ex natali solo in Helvetiis, diœcesis Lausannensis, patre Guillelmo cognominato de Albona, ut colligimus ex Instrumento donationis factæ per Mermetum sive Guillelmum de Albona, ejus fratrem, anno 1327, quinto Calendas Septembris. « In veteri macello Viviaci, Lausannensis diœcesis, ubi præsens constitutus, Mermetus de Albona clericus, filius Guillelmi de Albona burgensis Viviaci, » dat quædam bona Cartusiæ, de quibus jam egimus anno 1326. Et in alio Instrumento eamdem donationem confirmante, Jacobus et Guillelmus dicuntur fratres ; « sciendum est (sunt verba Instrumenti) quod Domnus Guillelmus de Viviaco, filius Willelmi de Albona, monachus hujus Domus Cartusiæ, cum adhuc esset secularis ad suggestionem Domni Jacobi de Viviaco fratris sui, monachi similiter hujus Domus Cartusiæ ; » deinde ibidem fit mentio quod idem Jacobus fuit Prior Cartusiæ.

DOMUS VALLISCLARÆ CŒPIT ÆDIFICARI.

Alfaura, in Origin. Cart.

Vide ann. 1328.

VII. Hoc anno ædificatur cartusia Vallisclaræ, Petragoricensis diœcesis in Aquitania, ab ipsa urbe episcopali, inter oppidum de Montpont et fluvium Ellam, decem distans leucis. Hanc primum erigere cogitaverat ut supra diximus Elias Petragoricensis comes, cujus filius primogenitus et Comitatus hæres Archambaldus operi manum admovit, ædificiis hoc præsenti anno inchoatis ; unde merito fundatoris nomen ei ab Ordine donatum est post mortem (quam subiit anno 1334, die 13 Septembris) ; in Charta anni sequentis his verbis denunciatur : « Obiit Idibus Septembris dominus Comes Petragoricensis, fundator Domus Vallisclaræ, qui habet tricenarium per totum Ordinem ; cui etiam conceditur monachatus. » Anno 1334 ejus mentio facta fuerat sic : « Domino Comiti Petragoricensi et domino Decano Andegavensi respondebitur per Priores Glanderii et Portus, litteras super hoc deferentes. » Hic Decanus vocabatur Giraldus de Labestouri

juxta Sammarthanos. Quid vero ambo petierint conjicimus ex Charta anni 1335 in qua hæc nova Domus, juxta præfatorum desiderium et ad instantiam Talairandi, fratris Comitis et S. R. Ecclesiæ Cardinalis, incorporatur Ordini his verbis : « Domus Vallisclaræ quam fundavit vir illustris dominus Comes Petragoricensis, in qua dominus Cardinalis Petragoricensis frater ejus duplicat conventum, incorporatur Ordini. Et D. Philippus Rector dictæ Domus instituitur Prior in eadem. » De Taleyrando plura alibi adhuc occurrent dicenda. Alterum habuit fratrem quem Justellus in *Historia Arverniæ* vocat Rogerium Bernardum, et post mortem fratris sui Archambaldi, comitem Petragoricensem ; cujus obitus, hactenus ignotus, reperitur in Charta anni 1362 cum tricenario per totum Ordinem. Ex Eleonora Vindocinensi suscepit Rogerius plures liberos : Archambaldus primogenitus, et patris in Comitatu successor adhuc vivebat anno 1365, de quo videtur loqui Charta anni 1370, ubi Comes Petragoricensis tacito nomine, cum pluribus aliis Principibus commendatur precibus Ordinis. Alter Archambaldus, præfati Archambaldi filius, obiit sine liberis, cujus Comitatus anno 1396 proscriptus fuit; sicque periit Petragoricensium familia. De Agnete sorore fundatorum plura dicemus, ubi agemus de Domo Januæ Paradisi quam fundavit.

ANNUS 1330

*Incorporatur Ordini.*

Vid. ann. 1359.

VIII. In Charta anni 1375, inter mortuos legitur « Berardus de Lebreto, vel Albreto, nepos Domini Cardinalis Petragoricensis ; » an ex fratre vel sorore incertum, cum nullus scriptor de eo meminerit. Ut ut sit, constat quosdam ex Albretorum familia, Comitatu Petragoricensi fruitos fuisse. Nam in Charta anni 1482 legitur obitus « Catharinæ de Britannia, comitissæ Petragoricensis, dominæ de Allebreto. » Hujus Catharinæ non meminit Justellus. Sammarthani vero eam videntur accipere pro Catharina a Britannia, sorore Francisci II, duce Britanniæ, quam dicunt primum desponsatam fuisse Joanni de Albreto ; sed, non inito matrimonio, nupsisse Guillelmo principi Arausicano. Verum hanc Catharinam aliam esse a præfata Comitissa tenemus ex Charta anni in

DOMINI DE ALBRET FAUTORES VALLISCLARÆ.

ANNUS 1330

qua mortua denunciatur his verbis : « Obiit Catharina principissa Auraicæ, soror illustrissimi Principis, Ducis Britanniæ. » In Charta anni 1524, mortuus recensetur : « Dominus Alanus de Lebreto, comes Petragoricensis, ultimus fundator Domus Vallisclaræ. » Ultimus dicitur quod forsan obierit sine liberis. Et in eadem Charta : « Obiit domina Francisca d'Albret. » Eodem quoque anno obierat Joannes d'Albret, qui anno 1488 precibus Ordinis commendatus fuerat his verbis : « Pro domino Joanne d'Albret, domino d'Orval, gubernatore Campaniæ, dicatur una Missa *de Spiritu Sancto.* » Porro veterum Petragoricensium familiam vetustissimam fuisse ac nobilissimam colligimus ex fragmentis *Historiæ Aquitaniæ* quibus probat Catellus Comitatus Aginnensem et Petragoricensem ex Comitum Tolosæ familia ad Engolismensem transiisse post annum 844, Wulgrino comite Ingolismensi uxorem ducente Rogelindam Guillelmi II Comitis Tolosæ sororem, vel filiam, ut vult Joannes Besly in *Historia Comitum Pictaviensium.* Ex successoribus ejusdem Wulgrini prodiit Audebertus comes, cujus filius Archambaldus uxorem duxit Margaritam sororem Guidonis III vicecomitis Lemovicensis, benefactoris cartusiæ Glanderii, de quo in his Annalibus ad annum 1219.

Histor. Tolosan. lib. I.

ALII BENEFACTORES EJUSDEM DOMUS.

IX. Ex benefactoribus hujus Domus hi reperiuntur in nostris Chartis : « Dominus Petrus Baillivi licentiatus in legibus et Advocatus regius in Senescallia Petragoricensi, magnus benefactor Domorum Vallisclaræ et Villæfranchæ, habens Anniversarium perpetuum per totum Ordinem, sub die obitus sui, qui fuit 2 Septembris, et plenum monachatum in provincia Aquitaniæ[a]. » Dominus Petrus de Linos[b]. Antonia Boutade[c]. Hilarius Prevost Burdegalensis[d]. Et spectabilis dominus Raconnet, advocatus Parlamenti Burdegalensis, magnus fautor[e].

Hæc Domus ante suam ab Hæreticis vastationem, de qua ad annum 1562, ex suis facultatibus non potuit alere ultra decem monachos, ut constat ex Chartis Visitatorum ; unde liquet summam præfatam decem millium scutorum nostris

[a] Ex Charta anni 1495.

[b] Ex Charta 1504.

[c] Ex Charta 1512.

[d] Ex Charta 1524.

[e] Ex Charta 1544.

nunquam fuisse numeratam, cum illius proventus suffecisset ad sustentandos viginti et amplius monachos.

ANNUS 1330

CARTUSIA GIRONDÆ FUNDATUR,

X. Hoc quoque anno exeunte, Aymo de Turre, Ecclesiæ Sedunensis episcopus, quod olim, anno videlicet 1302, Bonifacius de Chalant unus ex suis antecessoribus, animo conceperat consilium condendæ cartusiæ in sua diœcesi, opere complevit. Sita erat Domus apud Girondam in finibus superioris et inferioris Vallesiæ (quæ est regio Sabaudiæ et Helvetiæ finitima), in montibus Alpinis, inter oppida Agaunum et Sedunum Vallesiæ primarium, quatuor leucis utrimque divisa. Fundationis annum eruimus ex litteris ipsius fundatoris ad Priorem Cartusiæ datis, quibus petit personas Ordinis ad novam suam plantationem mitti; suntque sequentis tenoris : « Aymo divina et Apostolicæ Sedis gratia Sedunensis Episcopus, religiosis viris domino Priori et Conventui Domus Cartusiæ cum totius status nostri seriosa recommendatione, sinceram in Domino caritatem. Noveritis quod in nobis, operante gratia Spiritus Sancti, habita matura deliberatione, omnino diffinivimus et firmiter statuimus in nostra diœcesi unam Ordinis vestri, absque dilatione aliqua, Domum construere et sufficienter pro uno conventu Ordinis vestri integro dotare. Et ut expressius noveritis quod nostram talem deificam conceptionem, et divinam super hoc inspirationem infructuose nolumus pertransire; constet vobis tenore præsentium quod pro fundatione memorata dare volumus et procurare locum qui aptior et competentior in nostra diœcesi repertus fuerit, ab aqua Morgiæ de Contegio superius usque ad aquam Massone de Narres cum pertinentiis et appendentiis dicti loci, una cum pascuis sufficientibus et nemoribus copiosis tam pro ædificiis quam pro aliis usibus perpetuo necessariis constructioni prædictæ ; secundum tamen quod patriam nostram atque patriotas viderimus commode posse ferre. Et insuper de bonis nostris propriis volumus ipsam dotare prima die in quadraginta libris Maurianensibus, in bonis reditibus seu in possessionibus æquipollentibus censui supradicto. Et hæc omnia supradicta volumus ratificare et laudem

*ab episcopo Sedunensi.*

*Petit mitti monachos,*

*et sufficientes reditus promittit.*

ANNUS 1330

procurare ab omnibus quibus interest, seu interesse poterit in futurum. Præterea volumus procurare super præmissis confirmationem Metropolitani nostri una cum approbatione summi Pontificis, Sanctissimi Patris nostri, ac nostri Capituli Sedunensis laudem pariter et consensum. Reddentes vos insuper certos atque securos tenore præsentium, quod totaliter procuravimus et invenimus quinque personas* nobis subjectas in diœcesi nostra, quarum quælibet in instanti vult dare atque promisit in manibus nostris dictæ ædificationi quadraginta libras Maurianenses, tam pro reditibus acquirendis quam pro ædificiis et libris atque aliis necessariis dictæ Domus; pro quibus necessariis efficaciter adimplendis, Nos una cum adjutoribus nostris laborabimus nostro posse. Unde cum divinæ inspirationi nostræ debeatis merito congaudere, et consilio et auxilio vestro super his nos juvare: tenore præsentium, vestram in Domino caritatem affectu intimo requirimus et rogamus, quatenus cum latoribus præsentium mittatis nobis personas quæ prædicta per nos promissa valeant vice vestra ac Ordinis vestri recipere ac perpetuo confirmare; necnon et de ædificiis et aliis necessariis fundationi prædictæ sciant fideliter et utiliter disponere, et ordinare secundum formam et modum vestri Ordinis supradicti; et a nobis et aliis quibus intererit super præmissis omnibus, Literas et Instrumenta recipiant competentes. Tribus enim personis una cum Priore suo promittimus in necessariis providere, quousque de nostris reditibus præhabitis sibi per nos concessis commode valeant se juvare, atque percipere pacifice dictorum redituum fructus suos. Quæ prædicta omnia expressa superius vobis tenore præsentium promittimus, tam pro nobis quam pro aliis personis superius memoratis, fideliter omnia promissa attendere et inviolabiliter et irrevocabiliter observare: dum tamen ad hoc vester consensus et Ordinis vestri accesserit, sicut decet. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum proprium præsentibus duximus apponendum. Datum in castro nostro Setæ*, die XVIII mensis Novembris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo. »

*Ex his unus fuit Pernodus de Turre qui etiam nomen cofundatoris obtinet in quodam manusc. codice quem habuimus e Domo Vallis-sanctæ.

* vulgo : *le château de la Soie :*

Juxta præfati Episcopi petitionem ac promissionem, statim missi sunt qui nomine Ordinis novam fundationem admitterent; scriptis litteris a fundatore anno 1331, 19 Januarii; approbante omnia Capitulo generali ejusdem anni, ut conjicio ex Charta Capituli 1332 in qua legitur : « Priori Girondæ non fit misericordia. » Quidam vero monachus jussus est secundam ibidem professionem emittere, alio ad Domum primæ suæ professionis remisso ; de utroque sic habet Charta : « D. Petrus monachus Vallonis ordinate vocatus ad Domum Girondæ, ibidem profiteatur. D. Willelmus de Aventico monachus Angionis, nunc professus dictæ Domus Girondæ... ob reverentiam domini Episcopi Sedunensis dictæ Domus fundatoris,.... de dicta Domo recedat et ad Domum suam Angionis revertatur. » Brevi vero tempore multum incrementum accepit nova fundatio, nam per Chartam anni 1333 : « Ad instantiam Reverendi in Christo Patris domini Episcopi Sedunensis, conceditur Priori Girondæ ut possit vocare quatuor Monachos et unum Conversum, singulos de singulis Domibus cum pace personarum et Priorum suorum : qui Monachi habeant tricenarium per totum Ordinem, si in dicta Domo perseveraverint ad Ordinis voluntatem ; quos Monachos dictus Prior sine vagationibus secum ducat. » Ex his ultimis verbis licet conjicere Priorem adfuisse comitiis Ordinis. Ipse vero Prior erat jam secundus qui huic novæ plantationi præerat, ut ex eadem Charta colligitur, sub cujus finem hæc adhuc leguntur : « D. Hugo qui fuit monachus Majorævi, in Domo Girondæ in qua est permaneat, cum professionem ibi fecerit in manu primi Prioris ; quam professionem approbamus. » Hujus Hugonis obitus signatur in Charta anni 1346 cum tricenario per totum Ordinem. Et in Charta anni 1334 ponitur obitus Prioris hujus Domus, sed nomen ejus non habetur.

ANNUS 1330

*Primi novæ Domus incolæ.*

Anno 1338 obiit pius Fundator cujus obitus signatur in Charta ejusdem anni cum tricenario per totum Ordinem ; de quo præter fundationem hujus Domus nihil singulare habemus, nisi quod anno 1330 contentiones, quas cum Comite

*Fundator moritur.*

ANNUS 1330

Sabaudiæ habebat, composuit. Quæ quidem dissensiones post illius mortem videntur cum Philippo* de Gasconia ejus in episcopatu successore recruduisse, nam anno 1339 propter ingruentia bella, « committitur duobus Prioribus quod vadant ad Domum Girondæ tempore competenti qui Conventum possint dividere, si et quatenus viderint expedire : quibus dabitur autoritas disponendi de omnibus de quibus dictus Prior generali Capitulo supplicavit. » Rebus vero statim pacatis hujusmodi Conventus divisio seu dispersio non venit ad effectum.

* de Chamberlac.

*Domus derelinquitur.*

In Charta anni 1350 inter mortuos recensentur « D. Jacobus Prior Girondæ et D. Thomas monachus Girondæ, » uterque habens singulare tricenarium. Post hæc nulla fit mentio Domus Girondæ in nostris Chartis ; nam circa illud tempus, vel paulo post, ad Patres Carmelitas devoluta est, eo quod Cartusienses (ut habet D. Hugo Buat in suis notis ad Historiam Nicolai Molin) prohiberent suæ Domus aditum mulieribus. Adhuc in ea degebant Carmelitæ anno 1656, si credamus Sammarthanis, qui inter monasteria Sedunensis diœcesis annumerant monasterium de Gerunda S. Mariæ de Carmelo. Asserit vero noster Hugo Buatius quod postea eamdem Domum occuparunt Jesuitæ, quibus tandem a Toparchis Vallesiæ expulsis, presbyteri seculares in ea nunc habitant. Unicum hujus Domus benefactorem reperimus in nostris Chartis qui in Charta anni 1353 vocatur dominus Gerardus, quondam decanus Sedunensis, et habuit tricenarium defunctorum per totum Ordinem.

FUNDATUR DOMUS DE TARKAN IN HUNGARIA.

XI. Ad hæc etiam tempora refertur fundatio Domus B. Mariæ Vallis Auxilii supra Tarkan in Hungaria prope Agriam, urbem episcopalem, ab ea una tantum leuca dissitæ. Prima illius mentio occurrit in nostris Chartis ad annum 1333, quo : « Præcipitur Prioribus Domorum in Maurbach et Agria quod clament culpas suas, etc. » Conjicimus vero eam non extitisse ante annum 1329, quod in litteris Priorum ad Capitulum generale datis, ut ibidem videre est, nomen Prioris illius non inveniatur. Ejus fundator hactenus nos latet, sed

plures ex illius benefactoribus et fautoribus habentur in nostris Chartis : ANNUS 1330

Jacobus, sacerdos, archidiaconus Ecclesiæ Agriensis, obiit ex Ch. 1422. Joannes archiepiscopus Salizburgensis, magnus dicitur benefactor, unde habuit Anniversarium per totum Ordinem, ex Charta anni 1493 ; licet jam obiisset anno 1489.

Urbanus, episcopus Agriensis, ex eadem Charta an. 1493.

Benedictus, episcopus Nicopolitanus, suffraganeus Episcopi Agriensis, habens Anniversarium sub die S. Polycarpi martyris. Colomannus de Ghikinck, archidiaconus Taurasensis, vicarius Episcopi Agriensis, ex Charta 1495. Nicolaus, cantor et canonicus Ecclesiæ Agriensis, habens Anniversarium sub die 23 Octobris, ex Charta 1499.

*Continua paupertate depressa.*

Ex Chart. ann. 1394 et seqq.

Diu paupertatem in hac Domo Nostri experti sunt, nam in Chartis legimus quod « taxa Capituli generalis Priori, propter inopiam remittitur. » Anno vero 1402 : « Compatimur, inquiunt Patres in comitiis congregati, Priori et Conventui Domus Vallis Auxilii de inopinato casu et pressuris et tribulationibus eorum. » Quæ verba repetunt annis sequentibus, sed anno 1404 adhortantur eos in Domino « ut saltem ad tempus parvum habeant patientiam bonam propter Deum, præsertim cum Prior S. Michaelis per litteras suas nobis bonam spem præbeat de celeri subsidio domini Regis Ungariæ et Episcopi Agriensis. » Anno 1471 : « Attenta paupertate Domus ejusdem, conceditur Priori licentia possidendi extra terminos quoddam prædium Domui legatum. » Nihilominus, eodem tempore, alebantur duodecim Monachi cum quinque Conversis, ut probatur ex libro Visitationum ab anno 1460 ad annum 1520, quo numerus eorum cœpit paulatim diminui donec tantum circa annum 1552 Domus penitus a Nostris, Hæreticorum non minus quam Turcarum vexationes fugientibus, derelicta est.

INITIUM CARTUSIÆ GEMNICENSIS VEL GAMINGENSIS.

XII. Hoc quoque præsenti anno initium habuit cartusia Throni B. Mariæ in Gemnico, superioris Austriæ pago, in diœcesi Passaviensi, ad locum et fluvium Gaming, unde et Gamingense monasterium a plerisque Scriptoribus dicitur.

ANNUS 1330

Wolfg. Lazius, Lib. III, Rerum Viennens.; et W. Kilianus in genealog. Archiducum.

Duobus fere milliaribus ab oppido Waydoven versus occasum distat; quam, ædificiorum splendore atque opum magnitudine, cæteras Provinciæ Alemaniæ superioris Domos longe post se relinquere asserit Miræus in suis *Originibus*. Hanc a fundamentis erexit Albertus archidux Austriæ, Friderici Imperatoris et cartusiæ Maurbacensis præcipui autoris frater, qui consentiente altero fratre superstite Ottone, juxta votum a se jampridem de ea condenda emissum, literas dotationis hoc anno scribi jussit, ut sequuntur :

*Literæ fundationis.*

*Apud Molin. pag. 475.*

« In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis, Amen. Nos Albertus, Dei gratia dux Austriæ et Styriæ, ad universorum tam præsentium quam futurorum notitiam cupimus pervenire, quod una cum carissimo fratre nostro, magnifico principe Leopoldo, divæ recordationis, quondam illustri duce Austriæ et Styriæ, divina inspiratione inducti, bona habita deliberatione, ferventi devotione et desiderio vovimus B. Mariæ semper virgini genitrici Dei Domini nostri Jesu Christi, in conscientiis nostris ad exequendum nos firmiter astringentes, videlicet fundare, dotare, et, Deo juvante, consummare monasterium seu claustrum alicujus Ordinis approbati, ad sanctæ et individuæ Trinitatis, perpetuæque Virginis Sanctæ Mariæ, omnium Sanctorum, Angelorum et Electorum Dei, æternam laudem et perpetuam servitutem, ac pro speciali animarum nostrarum omniumque progenitorum et hæredum nostrorum perenni remedio et salute.

*Ordo Cartusiensis laudatur.*

« Cum igitur sanctum Cartusiensium Ordinem, a Sede Apostolica inter cæteros Ordines specialiter privilegiatum ac multipliciter commendatum tamquam singularem et pretiosam margaritam in toto thesauro Sanctæ Matris Ecclesiæ, respexissemus : ipsum, ex consilio et consensu videlicet domini Friderici quondam serenissimi Romanorum regis, felicis recordationis, et domini Ottonis illustris ducis Austriæ et Styriæ, primorum fratrum nostrorum, pro hujusmodi fundatione summopere duximus eligendum. Ipsamque fundationem de sapientum consilio, et specialiter reverendi Patris domini Alberti, Passaviensis episcopi, avunculi nostri præ-

ANNUS 1330

dicti, consensu et voluntate; ad districtum Ducatus Austriæ, veri patrimonii nostri, ad quamdam vallem, juxta villam quæ Gemnicum vulgariter dicitur, dictæ Passaviensis diœcesis, plantare, erigere perlegimus et locare; ubi divina cooperante Clementia, secundum consuetudinem Ordinis, congrue et salubriter poterit consummari. Eamdem fundationem, pro speciali devotione et reverentia quam ad ipsam gloriosissimam Angelorum Reginam ferventer gerimus, *Thronum Sanctæ Mariæ* in nomine Domini appellantes. Eam cum fundatione Vallis Omnium Sanctorum in Maurbach, prædictorum Ordinis et diœcesis, quam præfatus frater et dominus noster Fridericus, quondam serenissimus Romanorum rex divæ recordationis, et nos cum aliis fratribus nostris fundavimus, speciali fraternitate jungendo ; ita quod ipsi eorum hospitia quæ in civitatibus, oppidis et villis habent propria, debent pro communi utilitate tenere, ac personis, libris et rebus aliis, se mutuo fideliter adjuvare. Præterea, prædictæ fundationi nostræ in Gemnico, damus et tradimus bona, possessiones, proprietates, libertates, prærogativas et gratias, cum universis et singulis quæ sequuntur : Primo, ipsum districtum Gemnici et villam dictam Gemnicum, ac jus patronatus ecclesiæ parochialis ibidem, ut ipsa mensis Fratrum incorporari valeat et uniri. Item dominium et proprietatem lacus in Luntz, et omnium bonorum ac possessionum quæ Otto dictus hactenus a nobis in feodum habuit vel nunc habet. Hæc omnia et singula prædicta cum universis montibus, vallibus, sylvis, campis, pascuis, pratis, curiis, feodis, finibus atque metis, aquis, piscariis, fluviis et rivis, cum omnibus pertinentiis et utilitatibus, cultis et incultis, quæsitis et inquirendis, quocumque nomine censeantur, sicut nos et quicumque antecessores nostri ab antiquo possedimus, donamus, tradimus et assignamus dictæ fundationi pro prima dote, a Priore et Fratribus integraliter et libere tenenda ac perpetuo possidenda ; ita etiam quod quæcumque bona seu feoda in prædictis districtibus, deinceps quacumque occasione ad nos devoluta fuerint, vel quæ ipsi Fratres justo titulo obtinuerint,

*Domus beatæ Virgini dicata.*

ANNUS
1330

debent proprietarie et libere in perpetuum possidere. Item dedimus eidem fundationi de salina nostra in Hallstat unam libram plaustrorum salis, id est ducenta quadraginta plaustra a Rectoribus officiorum præfatæ salinæ, in festo S. Matthæi apostoli et evangelistæ, annis singulis, sine impedimento quolibet persolvenda. Item dedimus de ferrifodina nostra anterioris montis apud Luben decem massas boni ferri, quas judex ejusdem ferrifodinæ, annis singulis, in festo S. Georgii, in Luben absque omni abstracto præsentabit. Quas quidem libras plaustrorum salis, et decem massas ferri atque mutam, officiales salinæ, Judex ferrifodinæ et mutarii nobis de suis officiis defalcabunt ; et sal, cum prædicto ferro, absque omni telonio et exactione ad claustrum libere deducentur. Item damus ad dictam fundationem nostram duo millia marcarum puri argenti viennensis ponderis, et eisdem assignamus Priori et Conventui ibidem mutam nostram in Manthausen tenendam, locandam et integraliter colligendam, donec de prædictis duobus millibus marcarum ipsis plenario fuerit satisfactum. De qua pecunia ipsum claustrum et Hospitale, cum omnibus necessariis ædificiis debet construi. . . . etc.

*Annuus reditus decem massarum ferri constituitur.*

« Nos vero Otto, Dei gratia dux Austriæ et Styriæ, pio et salubri proposito ac ordinationi prædictorum carissimorum fratrum nostrorum, ducis Leopoldi divæ recordationis, et ducis Alberti, assentientes et quam plurimum congaudentes, sæpe dictam ipsorum fundationem, quam et nostram (sicut vere est) reputamus, scilicet Throni S. Mariæ in Gemnico, cum universis et singulis donationibus, assignationibus juris patronatus, libertatum, gratiarum et prærogativarum ejusdem et fratrum ac hominum possessionumque, quocumque nomine censeantur, prout in his et in aliis locis, per præfatum carissimum fratrem nostrum ducem Albertum datis vel dandis, expressum est vel de cætero exprimetur : ex certa scientia notificamus, approbamus, præsentisque scripti patrocinio confirmamus, ac sigilli nostri appensione evidentius communimus ; universis et singulis ad quorum notitiam præsentes pervenerint, una cum fratre nostro duce Alberto antedicto,

*Fundationem approbat Otho dux Austriæ.*

stricte et firmiter inhibentes ne quiquam contra donationem et assignationem ac terras prænotatas, quacumque temeritate seu præsumptione audeant attentare. Quicumque autem contra prædicta in aliquo venire præsumpserit, præterquam divinam, gravem nostram, hæredum et successorum nostrorum indignationem, secundum culpæ qualitatem et modum cum omni pœna et emenda, ut permissum est, se noverit incursurum. Datum Viennæ, anno Domini 1330, in die Nativitatis Beati Joannis Baptistæ. »

Statim post præfatarum literarum concessionem, manum operi admovens fundator, Nostris ad locum vocatis, primum lapidem hoc præsenti anno, secundo Idus Augusti, in fundamento collocavit, ut legimus apud Joannem Cuspinianum : absolutis vero spatio septem annorum ædificiis pro duodecim Monachis, fit novæ Domus incorporatio per Chartam anni 1337 his verbis : « Domus Throni S. Mariæ Ordini nostro incorporatur, et duodecim primo vocatis personis ad dictam Domum conceditur Tricenarium. » Idem beneficium jam concessum fuerat, anno 1333, Domno Theodorico qui ibidem paulo ante obierat. His duodecim Monachis alios duodecim sufficienter dotatos circa finem vitæ addidit Albertus. Unde Gerardus de Roo scribit eum Gamingense cœnobium ante multos annos cœptum ad summam manum perduxisse, et in Charta anni 1359 dicitur duplicis Conventus fundator. « Obiit Dux Austriæ (sunt verba Chartæ) magnus benefactor Ordinis, fundator *duplicis* Conventus Throni in Gemnico, habens plenum monachatum decimo tertio Calendas Augusti » quo obierat, anno videlicet præcedente ; sepultus in hac Domo, ut constat ex Cuspiniano, cum Joanna uxore sua quæ ante eum defuncta, simile pleni monachatus beneficium obtinuerat a Nostris in Charta anni 1352, sub 17 Calendas Decembris : unde patet eam obiisse anno 1351, non vero 1353, ut dictus Cuspinianus et Ritterhusius scripserunt. Sæpe etiam dum vivebat Albertus, precibus Ordinis commendabatur, de cujus beneficiis erga universum Ordinem suo loco dicemus.

*Domus incorporatur.*

*Conventum duplicat Fundator.*

ANNUS 1330

Otto, et ipse dux Austriæ, alter hujus Domus fundator, a Ludovico Bavaro Cæsare, Carinthiæ dux (Henrico Bohemiæ rege, Carinthiæ duce, fundatore cartusiæ Schnalsensis, sine spe successionis extincto), inauguratus est anno 1335 ; construxit Bernardinis monasterium in Styria, Novum-Montem dictum, ubi cum conjugibus et liberis sepultus est. Ejus obitus denuntiatur in Charta anni 1339 sic : « Obiit dominus Ottho, dux Austriæ qui habet monachatum, etc., 13 Calendas Martii. » Annus ponitur ab omnibus scriptoribus 1338, sed juxta antiquum calculum, ut verisimile est. Altera ejus uxor post eum defuncta vocabatur Anna, Joannis regis Bohemiæ cartusiæ Pragensis fundatoris filia.

Tres tantum aut quatuor hujus Domus benefactores vel amici denuntiantur in Chartis : Simon, plebanus in Gemnico, magnus benefactor dicitur in Charta anni 1506, ubi et legitur Simon Acker qui et magni benefactoris nomen habet, nisi sit idem cum præfato Plebano. Laurentius, plebanus in Gemnico, ex Charta anni 1507, et Joannes Panleknek, plebanus in Kils, amicus ex Charta 1550.

HENRICUS DALPHINUS MORITUR.

XIII. Hoc anno, ut loquitur Charta, « obiit dominus Henricus dalphinus, qui habet tricenarium per totum Ordinem » ; quam gratiam est adeptus per Chartam anni 1321 (vel 1328): « Orabitur pro illustri et religiosa Dalfina, domina Beatrice de Ungaria ; et pro domino Dalfino ejus filio, et pro domina Dalfina ejus consorte, et pro domino Humberto ejus fratre, et pro domino Henrico dalfino ejus patruo ; et cuilibet eorum non habenti, conceditur tricenarium per totum Ordinem universum. »

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1331.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Clari de Font. Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 16. | Ann. 248. | Ann. 1. |

I. ILLUCET annus Salvatoris trigesimus primus post millesimum trecentesimum, Indictione decima quarta, quo Aymo comes Sabaudiæ, die decima Januarii, pro strena, Jacobo Priori Cartusiæ, confirmationem largitus est donationum « quas, inquit, inclitæ recordationis dominus Amedeus comes Sabaudiæ quondam genitor noster charissimus, et bonæ memoriæ dominus Eddoardus comes etiam Sabaudiæ prædecessor noster, Priori et Conventui religiosæ Domus Cartusiæ fecerant ; » in quibus eas vult manuteneri a dilecto suo domino Guidone Provare, milite suo, in Sabaudia ballivo. Plures quoque Nobiles idem non minus liberaliter præstiterunt, non solum confirmantes majorum suorum concessiones, sed plura etiam prioribus adjicientes ; inter quos eminent Petrus Vachi, et Bernardus Alamandi domicellus, filius quondam Siboudi Alamandi militis.

DONATIONES ANTEA CARTUSIÆ FACTAS COMES AYMO CONFIRMAT.

II. Hoc anno, idem R. P. Jacobus, Prior Cartusiæ, honoris impatiens, « ad suam importunam instantiam, ut habet Chronicon, in Capitulo sequenti (nempe hujus anni) habuit misericordiam ab officio Prioratus ; » quod tamen post aliquot annos iterum subire cogetur, ut suo dicemus loco. Habemus quidem Chartam hujus anni in qua nihil reperimus de ejus absolutione ; sed sciendum est quod antiquis temporibus non semper fiebat mentio, ut nunc fit, de facta vel non facta misericordia maxime Prioribus qui comitiis intererant, sed tan-

R. PATRI JACOBO FIT MISERICORDIA.

ANNUS 1331

tum dispositio pro absentibus ut plurimum scriptis mandabatur. Attamen revera fuit in hoc anno absolutus noster Jacobus, nam eodem anno, 21 et 27 Septembris, Procuratoris munus exercebat, quod sibi a suo successore oblatum vir humilis plures annos gerere non respuit.

CLARUS JACOBO SUCCEDIT.

III. Jacobo in Prioratu Cartusiæ successit « devotæ et recolendæ memoriæ, sunt verba Chronici, nomine, virtute et scientia Domnus Clarus vocatus, » cognomine de Fontanis; qui revera jam claruerat in Ordine ab anno 1321, quo per Chartam Capituli generalis, pro more horum temporum, Diffinitor hospitum et fugitivorum nominatur. Et anno sequenti, die 27 Maii, ibidem adhuc moratus fuisse reperitur in Cartulario, dein ex Monacho Cartusiæ fit ibidem Prior. Eum tunc, tempore suæ electionis, egisse Priorem Domus Parisiensis asserit autor Chronici, et post eum Dorlandus :

III. Cartular. Cartusiæ, fol. CXLV.

*Ejus virtutes.*

« Patri Haymoni, ait, successit, uno intermedio, plurimum venerandus et non solum virtute, scientia et fama, sed et nomine clarus, et dignitate. Hic Pater Clarus, ob multam, quæ in illo erat humanarum divinarumque rerum scientiam, mirabilem sese omnibus exhibebat. Erat quoque sermone disertus et hortaminibus efficacissimus. Hinc publica de illo fama volitabat, quod vix quempiam tota Ecclesia contineret, qui illo esset aut virtute præstantior, aut scientia illustrior ; atque ideo *secundus mundi Clericus* a pluribus vocabatur. Secundus utique, quia nemo illum Domino Apostolico honorifice præferendum arbitrabatur, qui tunc temporis erat in omni facultate celeberrimus. Hic beatus Clarus, cum Prior esset Parisiis, atque eam Domum strenue gubernaret, ad regimen supremæ Domus adsciscitur. Ubi tam grandem fructum exhibuit, ut plurimos sanctitate celebres viros, sub se habere meruerit. » Hæc Dorlandus. Sed diu non præfuit Domui Parisiensi ; siquidem alius, nomine Petrus, ibidem præerat anno 1330, quo associationem iniit cum cartusia Fontis B. Mariæ die 8 Julii. Ipse etiam Clarus ante tres annos erat adhuc simplex Monachus Majoris Cartusiæ, pro cujus Conventu fuit Diffinitor nominatus, anno videlicet 1328.

Dorland. lib. IV, cap. 20.

IV. Nunc vero aliqua de Domo Trecensi referre liceat. Nobilis Petrus de Mussy, eques torquatus, vir pius ac timens Deum, testimoniumque habens ab universis, cum processisset in diebus multis, nec ei liberi essent, voluit sibi sacrum Cartusiensium Ordinem, non in filium, sed in parentem ac sacerdotem, et diœcesis Trecensis decorem adoptare. Sciebat enim quod scriptum est in lege Evangelica : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Et : Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.

ANNUS 1331

FUNDATIO DOMUS TRECENSIS.

Molin. pag. 404.

Luc. 16, 9.

II Cor. 9.6.

Designavit itaque noster Zachæus Christum excipere gaudens in domum suam Insulæ, ibique collocare alumnos S. Brunonis, eisque tanquam Christi pauperibus et minimis, dimidium bonorum suorum erogare : ducentas videlicet libras annuales, ad quarum immunitatem duo diplomata regia exstant, primum quidem diligentia Prioris Cartusiæ, per Carolum IV datum in castro Vincennarum sub anno 1326, in mense Martio pro dictis ducentis libris ; secundum vero per Philippum V pro Domo, feudo et justitia ejusdem terræ Insulæ, ad requisitionem Mussy benefactoris, datum apud Sanctum Dionysium, anno 1328 in Junio. Quibus obtentis non cessavit homo nisi complevisset quod locutus fuerat. Ideo anno Incarnationis 1329, circa finem mensis Aprilis prænominatus Petrus de Mussy, pura et irrevocabili donatione inter vivos dedit et cessit Ordini Cartusiano domum suam Insulæ, justitiam altam et bassam cum suis pertinentiis, ducenta jugera terræ, viginti sextaria prati, centum viginti journalia nemoris, et duo stagna viginti novem jugera continentia. Dedit et domum quam habebat in dicta civitate Trecensi. Item dedit terram de Chassy, cum justitia, domum, grangiam, prata, terras, vineas, census, decimas, nemora, stagna, manus emortuas, cæterosque usus in silvis, aquis et pascuis pertinentes ad hanc domum de Chassy. De quibus omnibus investivit tunc Venerabilem Domnum Gerardum Priorem electum dictæ Domus Insulæ, qui et pedem in promptam et realem possessionem posuit, in notarii et testium præsentia.

*Primum in loco de Insula locatur,*

ANNUS 1331

Cum hoc præsenti anno (1331) dominus de Mussy obiisset, nova fundatione sufficientibus reditibus nondum instructa, Nostri ad Domos suas reversi sunt; sed statim Joannes Garneri de Superarcus, sancti Stephani Trecensis canonicus, dolens tantis oratoribus patriam suam privari, alium locum dictum de Pratea, solitudini nostræ magis aptum obtulit, ad quem Monachos mitti, sui episcopi Joannis d'Aubigny interventu, a nostro Claro obtinuit; legatis prius ad inquirendum de loci commodo aut incommodo per ipsum Clarum præmissis cum tali potestate :

*deinde in Pratea,*

« Clarus, Prior Cartusiæ, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos litteras illustrissimi in Christo Patris domini Trecensis Episcopi recepisse, in quibus diligenter inspectis, reperimus contineri quod venerabilis vir magister Joannes de Superarcus, ecclesiæ sancti Stephani canonicus, vir admodum devotus, vita et moribus laudabilis et honestus, gratia Sancti Spiritus illustratus, quemdam locum suum a Trecensi ultra leucam dimidiam vel circiter, prout audivimus, non remotum, secretum, habilem, conversationique nostri Ordinis aptum satis, cum certis possessionibus, reditibus et ædificiis ac etiam quadam capella ibidem existentibus, ad honorem Dei et Beatæ Virginis Mariæ ac constructionem unius Domus nostri Ordinis, ipsi Ordini contulit cum effectu; eam tamen dictam Domum, donationis nomine, et ad opus Ordinis duximus acceptandam, et quod bona quæ fuerunt Domus Insulæ prædictæ Domui efficaciter uniantur. Quæ omnia ut recipiamus et approbemus consulit præfatus dominus Episcopus, movet, inducit rationabiliter et hortatur, prout in ejus litteris quas vobis mittimus plenius poteritis intueri. Nos igitur, affectantes ejusdem sanctissimi Patris saluberrimis monitis humiliter obedire, vobis et unicuilibet, autoritate Capituli generalis, cujus vices gerimus super annum, tenore præsentium præcipimus et mandamus, quatenus quo citius commode poteritis, præfatos dominum Episcopum et magistrum Joannem personaliter adeatis, . . . . etc. Datum in Domo Cartusiæ, septimo Calendas Decembris, anno 1331. »

*approbante R. Patre Claro.*

ANNUS 1331

His acceptis litteris, tam ipsi Legati quam Visitatores Provinciæ Franciæ ad pium fundatorem accedentes, oblati ab eo loci possessionem statim inierunt, instituto ibidem in Rectorem Gerardo monacho Luvigniaci. Deinde obtentis, mense Aprilis, a rege Philippo Valesio amortizationis litteris, ipsa Domus in comitiis generalibus ejusdem anni, nempe 1332, recipitur et, pro more, Ordini incorporatur his verbis: « Receptionem Domus novæ prope Trecas approbamus ; et ibi instituimus Priorem D. Ludovicum, monachum Sellionis, et D. Gerardus sicut est remaneat ibidem Procurator. Et datur potestas prædicto Priori ut possit vocare duos Monachos, singulos de singulis Domibus, si de fundatoris processerit voluntate, cum pace personarum, et si Domui viderit expedire. »

*Incorporatur Ordini.*

Eodem ferme tempore, Episcopus et Capitulum Ecclesiæ Trecensis antiquam Domum de Insula quam Nostri deseruerant novæ Domui Pratensi adscripserunt, datis litteris seriem ac progressum totius fundationis referentibus, quas ideo subjicimus : « Anno Domini 1332, die Martis, post octavas Epiphaniæ, personaliter constitutus vir venerabilis et discretus magister Joannes de Superarcus canonicus ecclesiæ S. Stephani Trecensis, donatione irrevocabili facta inter vivos, in puram et perpetuam eleemosynam, et in augmentationem divini cultus, ob suæ parentumque, amicorum et benefactorum suorum remedium animarum, Deo et Beatæ Mariæ Virgini et Ordini Cartusiensi, pro constructione unius Domus Ordinis Cartusiensis, quamdam domum suam a civitate Trecensi per spatium unius leucæ, quæ domus *de la Prée* vulgariter nuncupatur, una cum ædificiis, capella, fossatis, virgultis, herbis, pratis, terris, reditibus omnibus ac singulis ad eamdem pertinentibus, dedit, contulit, concessit, perpetuoque quittavit cum effectu, se de eis devestiens, et honorabiles religiososque viros fratres Girardum Sellionis et Joannem Angionis, Prioratuum dicti Ordinis Priores, Visitatores generales in provincia Franciæ, nec non Priorem Vallis profundæ, et D. Girardum monachum Domus Luvigniaci,

*Antiqua Domus de Insula novæ unitur.*

Apud Molin. Hist. Cartus. pag. 405.

ANNUS 1331

Commissarios in hac parte investiens; nihilque juris, actionis, proprietatis, possessionis, dominii vel saisinæ penes se in eisdem retinens. Supplicans humiliter et devote Reverendum dominum episcopum, Virosque Venerabiles et discretos Decanum et Capitulum Trecensis Ecclesiæ, ut ipsi bona Domumque Insulæ, de qua in litteris supradictis fit mentio, unire dignentur dictæ Domui de la Prée, una cum suis pertinentiis. »

Deinde magister Joannes Garneri de Superarcus, factus decanus ecclesiæ collegialis sancti Urbani apud Trecas, in senectute bona pie decessit, signatus in Charta anni 1373, his verbis : « Obiit dominus Joannes, decanus ecclesiæ Sancti Urbani Trecensis, fundator Domus Prateæ, sacerdos, habens tricenarium, etc. »

*De transmutatione ad alium locum agitur.*

Ex Charta 1428.

Annales ms. Clementis Bohic. T. II. Append. IX.

Ex Charta 1619.

Verum enim vero cum Domus illa uliginoso nimis loco sita, gravis esset habitatoribus suis, post centum a sua ædificatione annos, de ea in salubriorem locum transferenda in Capitulo generali anni 1428 tractatum fuit, et commissum quibusdam Prioribus Ordinis nostri ut in descensu Capituli ad dictam Domum Prateæ accederent, ibique cum civibus se diligenter informarent super transmutatione monasterii ad locum per dictos cives oblatum, et de hujusmodi effectu in futuro Capitulo quid fecerint referrent. Sed tum plane nihil effectum usque ad annum 1619, quo attenta nimia insalubritate loci in quo dicta Domus sita est, concessit Capitulum generale ut in alium commodiorem locum posset transferri, hujus negotii curam et dispositionem committens Visitatoribus Provinciæ.

Histor. Cartus. p. 406.

Anno sequenti illustris ac nobilis Ludovicus Largentier, eques regius, baro de Chapelaines, supremus de Fresne, et Reverendus admodum Carolus Largentier abbas S. Mariæ de Labsy, germani fratres, qui lutosis compatientes, devotioneque moti ad magnum Brunonem, ad propriam salutem, animarum requiem necnon et patriæ commoditatem, dant, cedunt, perpetuoque remittunt huic sacro Ordini Domum et ambitum de *les Cherelles*, sitam in suburbano ejusdem civi-

tatis Trecensis, cum grangia, stabulis, ovili, columbario, nemore, viridiario, horto, terris et vineis ad ædificandam novam Prateæ cartusiam, quæ de cætero vocabitur cartusia Nostræ Dominæ *Largentière,* ubi nunc nostri Cartusiani commorantur. Extat contractus hujus donationis Lutetiæ receptus per magistros Joannem Baptistam Hondelet et Nicolaum Taconnet notarios, 20 Martis anni 1620. Laudata, approbata et ratificata fuit hæc donatio cum suis clausulis per Capitulum nostrum generale ejusdem anni.

ANNUS 1331

Anno 1626, die 25 Septembris, hæc pauperrima et relicta Domus Prateæ alienata fuit per Domnos Gilbertum Regnier Rectorem, et Joannem Laurenet Procuratorem novæ cartusiæ Trecensis, pro summa decem millium librarum, ad annualem reditum sexcentarum viginti quinque librarum, pro Monialibus (et non aliter) collocandis, ut partes convenerunt, et juxta piam intentionem emptricis religiosissimæ, videlicet Mariæ le Mairat matris illustrium Dominorum Largentier supradictorum.

BENEFACTORES PRÆCIPUI :

*Joan. d'Aubigny tertius fundator.*

V. Primum locum inter benefactores meretur Joannes d'Aubigny, episcopus Trecensis, nostri Ordinis singularis amicus et Domus Parisiensis benefactor, qui hujus novæ plantationis tertius fundator habetur, quod eam hæredem suam ex semisse suo constituit testamento condito anno 1341, die Martis, post festum Omnium Sanctorum, in quo hæc leguntur : « Religiosos Fratres Domus Cartusiensis de Pratea, Trecensis diœcesis, ut ipsi orare pro anima mea teneantur, pro alia media parte hæredes meos instituo, meliori modo quo possum. » Sepulturam vero suam eodem testamento elegit in Ecclesia Trecensi, si contingeret mori in eadem civitate. « Sed si me, inquit, in civitate vel diœcesi Parisiensi aut magis prope Parisiensem diœcesim quam Trecensem vel Ambianensem diœcesim decedere contigerit, eligo sepulturam meam in ecclesia Fratrum Cartusiensis Ordinis, prope Parisios ; quibus Fratribus si me in eorum ecclesia inhumari contigerit, do et lego viginti libras pro pitantia eorumdem. » Sed paulo post scriptum testamentum Trecis obiit 6 Novem-

ANNUS 1331

bris, ibidem sicut disposuerat sepultus in sacello sancti Salvatoris. Et in Charta anni sequentis, habuit tricenarium per totum Ordinem.

*Trecenses Episcopi,*

Joanni Aubineo in episcopatu successit Joannes d'Auxers, et huic, circa annum 1354, Henricus de Poitiers qui dicitur benefactor hujus Domus in Catalogo Episcoporum Camuzatii. Obiit ille anno 1370. Fuit frater Ludovici, comitis Valentinensis, Ordinis nostri et maxime Domus Poletensis benefactoris.

Petrus de Arceys, ejusdem sedis Præsul, multa dedit suo testamento condito anno 1395. Gerardus d'Athies, archiepiscopus Bisontinensis, benefactor hujus Domus et Domorum Parisiensis et Noviomi, habet Anniversarium ad diem 22 Decembris. Ejus obitus habetur in Charta anni 1405.

*et Canonici S. Stephani,*

Plures Canonici ecclesiarum Trecensium, ad imitationem Joannis Garneri fundatoris, sui sodalis, multa dederunt ; quorum nomina ex antiquo Calendario hujus Domus, gratitudinis ergo, hic subscribimus : Girardus de Saingneyo, canonicus Sancti Stephani Trecensis, cellam unam ædificavit; Petrus de Novavilla, sigillator et canonicus Sancti Stephani ; Joannes dictus Moucel et Simon Moucel, frater ejus, canonici ejusdem ecclesiæ, sicut et Gaucherius de Ylles, decanus; Guido dictus Parmol, Philippus de Fontainebliaut, Joannes de Chavanger et Joannes dictus Bricot, omnes Canonici ejusdem ecclesiæ. Joannes dictus Lalemans, canonicus S. Petri et S. Stephani, quatuor cellas ædificavit ; de quo in Charta anni 1338 hæc habentur : « Magistro Joanni de Alemento, magno benefactori Domus Prateæ, conceditur fraternitas Ordinis de gratia speciali. » Joannes Dubois, succentor et canonicus S. Stephani et S. Urbani. Stephanus Gilbert, canonicus S. Petri et S. Stephani. Joannes Crolebois, Houbertus Lombardus, magister Hemericus, Theobaldus Rotarii, unius cellæ ædificator, omnes canonici S. Petri. Petrus de Arboyo, canonicus S. Petri et S. Urbani ; et magister Eynardus de Sancto Urso, canonicus Trecensis.

*nec non et S. Petri.*

Alii benefactores sunt : Stephanus abbas Cellæ prope

ANNUS 1331

*Abbas Cellensis Stephanus.*

Trecas, Ordinis sancti Benedicti, totusque ejusdem loci Conventus, uti videre est ex sequenti diplomate : « Ad supplicationem religiosorum virorum Prioris et Conventus B. Mariæ de Pratea prope Trecas, Ordinis Cartusiensis ; considerantes non esse Catholicæ fidei consonum, quod sancta Mater Ecclesia in congregatione et pastura fidelium temporalibus careat auxiliis, quin potius, ipsa sancta Ecclesia semper proficiat incrementis, et ut nos cœlestis efficiamur beatitudinis possessores : nostro et dicti monasterii nostri nomine, pro nobis et nostris successoribus in futurum, ad honorem Dei et gloriosissimæ B. Mariæ Virginis matris suæ, sub cujus nomine dicta Domus intitulatur et etiam nominatur, atque totius Curiæ Cœlestis, et ad contemplationem venerabilis et discreti viri, magistri Joannis de Superarcus decani ecclesiæ Sancti Urbani Trecensis, ipsorum Fratrum et suæ habitationis hujusmodi fundatoris ; necnon propter affectum et favorem quos habemus et habuimus erga sanctam suam Religionem, concedimus quatenus ipsi Prior et Conventus, etc. Datum anno Domini MCCC trigesimo nono, die Jovis 15 mensis Aprilis. » Hunc abbatem Stephanum non noverunt Sammarthani, nec Nicolaus Camusat qui tantum asserit hanc Domum cum Abbatia Cellensi habere fraternitatem, seu societatem bonorum spiritualium.

Jacobus dictus Muete, abbas quondam sancti Lupi Trecensis, monachos hujus Domus, sub initium fundationis sæpe aluit.

Stephanus de Noers, canonicus Regularis, ejusdem Abbatiæ canonicus, Nostros semper fovit tam apud Insulam quam apud Prateam.

Hugo de la Fauche, miles, dominus beneficiarius loci in quo sita erat Pratea, quicquid juris habebat concessit anno 1333.

Reginaldus de Molendinis, secretarius Regis, dedit unam grangiam anno 1340.

Domina Margareta de Villaffer, unam cellam ædificavit.

Jacobus dictus Muote, civis Trecensis.

ANNUS 1331

Gilebinus de Farvaques, civis Trecensis, sepultus in cœmeterio, vixit circa annum 1350.

*Blanca regina Franciæ,*

Blanca regina, Philippi Valesii regis vidua, opimum prædium concessit pro Anniversario ejusdem Regis, qui in litteris concessionis, datis anno 1389 mense Novembri, dicitur obiisse die 22 Augusti.

*et Claudius caupo,*

Honorabilis vir Claudius Tatrye, hospes Trecensis, qui recipiebat gratis personas Ordinis in domo sua. Ita ex Charta anni 1500.

Franciscus Hannequin, civis Trecensis, magnus benefactor appellatur a Charta 1521.

Catharina, uxor Jacobi Lempereur, benefactrix*.

* Ex Charta 1523.

Anno 1627, Lutetiæ obiit nobilis ac venerabilis magister Joannes Joullet, sacerdos, dominus de Chastillon, eleemosynarius regius, qui huic Domui legavit mille ducentas libras Turonenses ex annuo reditu.

DOMUS MONTIS S. GERTRUDÆ FUNDATUR.

VI. Hoc quoque anno, ut habet Raissius, vel etiam anno 1328 ut legi in quodam manuscripto, conditur cartusia Beatæ Mariæ, vulgo Domus Hollandiæ dicta, in Hollandiæ et Brabantiæ confiniis, sita ultra flumen Dungen ad ejus ripam orientalem, spatio fere quadrantis leucæ ab urbe Gertruydenberga, seu Monte Sanctæ Gertrudis, in diœcesi Ultrajectensi. Hanc fundavit Guillelmus Duvenvordius, nobilis apud Batavos eques, cui etiam præfata urbs, quam muro cinxit et arce munivit, præcipuum suum splendorem debet. « Guillelmus Duvenvordius, inquit Petrus Opmeerus, Præfectus ærarii Guillelmi, cognomento Boni, tertii nimirum ejus nominis Hollandiæ Principis, arcem eximiam ibidem exædificasse traditur : nec procul inde monasterium quoque Cartusiensium, religiosum juxta ac conspicuum ; unde et cum non multo post, multa centenaria auri Angliæ Regi in Gallia bellum gerenti commodati nomine numerasset, invidia Nobilium apud Principem suum peculatus accusatus ad rationes cogitur. » Verum quid pro defensione sua Duvenvordius excogitarit, ex Reynero Snoyo refert Opmeerus : Ad constitutum, inquit, diem revertens, ingreditur amictus vestibus

Martyr. Batav. Decad. 2, lib. IV.

ANNUS 1331

Rerum Batavar. lib. VIII, sub Guillelmo III.

rusticis fascem clavium manu gestans. Mirari Princeps cum Primoribus suis, et rogare quid sibi mos ille velit : « Reddam, inquit, ipse rationem novo more. Hanc arcem exstruxi; tua, ait, o Princeps, est, et hæc clavis ei inservit, cape igitur. Illam Domum ædificavi, et hanc cape clavem. Tantum hic, tantum illic argenti est, omne tuum est. Hæc itaque mea ratio est, quando aliter, ob aures tuas ab æmulis occlusas, dari non licet. Cum hoc amictu primum ad te accessi, cum hoc eodem a te discedo. Vale. » Erubuere, his auditis Proceres criminationis conscii, jussitque optimus Princeps, uti Præfectus ærarii fuerat, maneret perpetuus.

*Quædam de Fundatore narrantur et discutiuntur.*

Hic in uxorem duxit Helwigam Zueri domini Vianensis filiam, illaque cum ingressura lectum ingemisceret cum lacrymis, sciscitareturque ille causam, non desistit percontando, donec illa eloqueretur grave et indignum sibi videri, ministro patris (inservierat enim aliquot annis Zuero Duvenvordius) nuptiali sociari thoro. Tum ille : Numquam hoc tibi, inquit, eveniet. Nec unquam postea, quamvis puellam dicti pœnituerit, adduci potuit, ut cum ipsa communem ingrederetur thorum; vitam quodammodo cœlibem agens.

Verum vel hujusmodi divortii narratio commentum censenda est, vel ipse Duvenvordius alteram duxit uxorem, quod tamen nullus hactenus novit. Sed nos illud conjicimus ex Charta anni 1338 in qua sic legitur : « Domino Guillelmo, fundatori Domus B. Mariæ in Hollandia et uxori ejus conceditur fraternitas Ordinis. » Nec dubium quin hæc fraternitas utrique concessa sit ad petitionem ipsius fundatoris, qui parum curasset uxorem precibus nostri Ordinis commendare si prima nuptiarum die ab ipsa discessisset. Mortua etiam eadem illius uxore denuntiatur in Charta anni 1353 his verbis : « Item obiit uxor domini G. militis, fundatoris cujusdam Domus Ordinis, quæ habet tricenarium, etc. » Hanc vero Chartam loqui de nostro fundatore colligimus ex Charta anni sequentis in qua vocatur « G. miles, » ut in præfata. Cum enim ipse obiisset eodem anno 1353, die 12 Augusti, anno sequenti ponitur sic : « Obiit D. G. miles, fundator Domus

ANNUS 1331

B. M. in Hollandia; » tuncque habuit tantum tricenarium. Sed cum Prior ejusdem Domus ad Capitulum generale ascendisset anno 1358, plenum ei concedi monachatum obtinuit; quamobrem iterum his verbis in Charta ejusdem anni scribitur illius obitus : « Pridie Idus Augusti obiit dominus Guillelmus Duvenvorde miles, fundator Domus de Hollandia, qui habet monachatum per totum Ordinem. » Sepulturam habuit apud Moniales Clarissas quas extra muros urbis Bruxellensis fundaverat. Apud Scriptores Belgii frequens est illius mentio, omnesque conveniunt eum fuisse virum potentem ac ditissimum, quippe qui fuit Dominus Bredæ, Oesterhout et Donghen. Nullam prolem genuit legitimam sed omnia bona reliquit duobus liberis nothis, quorum majorem partem accepit Guillelmus, dictus etiam Duvenvordius a Ponto Heutero; sed in Charta anni 1401, in qua notatur mortuus, dicitur Guillelmus de Oesterhout, miles. Monasteria a patre ædificata, Cartusiensium videlicet et Clarissarum multis bonis auxit. Altare unum in ecclesia de Oesterhout in honorem Dei, S. Mariæ et sanctorum trium Magorum fundavit anno 1398. Reliquos suos reditus Joanni Polanæ regulo, cognato suo, legavit. Citatus Heuterus ejus uxorem vocat Hadwidem Philippi Wassenaræ reguli filiam, ad quam forsan referre debemus obitum quem in Charta anni 1393 sic legimus : « Obiit Hedwides de Ostherout, habens tricenarium, etc., » nisi sit filia ejusdem Guillelmi ; nam Miræus aliam ei dat conjugem, Elizabetham videlicet, quam dicit sororem Johannis de Bouchout militis ; aut certe duas habuit uxores.

Miræus in Origin. Cart.

*Benefactores.*

Benefactores hujus Domus ex nostris Chartis sunt :

Florentius archidiaconus Trajectensis, anno 1337. Franco Diet Waren, civis Leydensis, anno 1406. Gisbertus de Brederode, Trajectensis præpositus et archidiaconus, diaconus obiit, ex Charta 1476; sepulturam habuit in hac Domo, ut scribit Snoius. Vir fuit et genere et animo illustris, sed fato iniquo natus. Anno 1455 electus fuerat canonice in Episcopum Trajectensem, sed Davidi, Philippi Boni Burgundiæ ducis notho, cedere coactus fuit. Dominus Jacobus Oem, anno 1525.

ANNUS 1331

Honestus vir Joannes Gaeff, cum Henrico filio, fautores, anno 1529. Probus vir Cornelius Vandrenghelem, fautor, anno 1531. Spectabilis Everardus de Veec, consiliarius Brabantiæ; magister Goswinus Habius, et honestæ virgines Cornelia et Maria Timermans, quæ habent et parentes earum Anniversarium per totum Ordinem, ex Charta 1533. Honorandus dominus Henricus Corput canonicus Bredensis. Egregius vir magister Gerardus Theodorici, medicinarum Doctor. Honorabilis vir dominus Petrus Joannis et honestissima matrona Eva de Corput, ex Charta 1537. Dominus Fridericus, dominus de Renes et de Mal, ex Charta 1539. Venerabilis dominus Joannes Pauli, magnus amicus et fautor, ex Charta 1570. Egregius vir dominus Adrianus Sandelein, amicus et fautor Ordinis in Hollandia, et honesta domicella Anna, uxor ejus, ex Charta 1599.

Stetit hæc Domus et floruit usque ad annum 1573, quo urbe Gertruydenberga ab Principe Orangio capta, Monachi alio migrarunt, ut eodem anno dicemus. Ex libro Visitationum ante annos ducentos, habebat mille coronas Franciæ annui reditus, quibus octodecim Monachos et octo tam Conversos quam Donatos alebat. His reditibus ipsaque Domo in qua palatium constructum est hodie gaudet Princeps Orangius, et ex his quindecim aureorum, sive scutorum millia quotannis percipere dicitur.

INITIA DOMUS TREVIRENSIS.

VII. Cartusiæ Trevirensis et Confluentina hoc anno ab eodem conditore Balduino a Lucemburgo, Trevirensi archipræsule, in ejus diœcesi eriguntur.

Trevirensis sancto Albano dicata, extra muros Metropoleos situm habuit usque ad hæc nostra tempora, quo penitus belli casibus eversa, apud mœnia urbis modo instauratur. Ejus initia a Trithemio ad præsentem annum referuntur. « Anno, inquit, 1331, Balduinus archiepiscopus Trevirensis capellam S. Albani, cum horto latissimo adjacente, pretio comparavit a monasterio S. Matthiæ extra muros Trevirenses; et pro Cartusianis monachis cœnobium construere cœpit, quod in octo annis perficiens ac magnifice dotans, novum consecra-

ANNUS 1331

Gesta Balduini lib. III. apud Baluz. Miscell. I.

vit. » Hæc ille in Chronico Hirsaugiensi, qui annum consecrationis ecclesiæ notat 1340 in Chronico Spanheimensi; dies vero ejusdem dedicationis designatur in Gestis ejusdem Balduini, festum S. Thomæ; diploma fundationis Balduinus anno tantum 1335 scriptum dedit.

Ex Charta 1331.

Sed jam ante datum prædictum diploma Conventus habitasse in hac Domo Trevirensi colligimus ex Charta Capituli generalis ejusdem anni quæ sic habet : « Excusatio Prioris Domus prope Trevirim de non veniendo ad Capitulum generale admittitur, nec fit ei misericordia. Et domino Archiepiscopo Trevirensi per Priorem Cartusiæ rescribetur, quando sibi fuerit opportunum. » Anno sequenti, « conceditur Priori S. Albani quod possit festum sancti Albani cum Capitulo celebrare; » sed anno 1337 conceditur idem festum « solemniter celebrari cum candelis. Et prædicta Domus S. Albani Ordini nostro incorporatur propter reverentiam domini Archiepiscopi Trevirensis fundatoris : cui conceditur per nostrum Ordinem universum monachatus, quia fundavit duas Domos et dotavit competenter; et adhuc, ut de ipso confidimus, dictis Domibus conferet multa bona. » In Chartis annorum sequentium sæpe precibus Ordinis commendatur, et post suum obitum habuit plenum monachatum, sub die prima Februarii, quo dicitur obiisse in Charta anni 1354. Eundem diem ponit Trithemius, cum quo tamen non omnes conveniunt. Moriens sepeliri apud nostros Trevirenses optarat, sed Canonici suæ Metropolitanæ Ecclesiæ hoc ipsum non permiserunt. Dum vivebat sæpius in hanc Domum se recipiens, noctu diuque sine famulorum strepitu orationi et contemplationi in exstructa sibi cella vacabat; abstinentias, vigilias cæteraque pœnitentiæ exercitia more Cartusiensium sustinens, factus ipse velut Cartusiensis, non professione quidem aut voto, sed sola pietate et imitatione. Sic enim accipienda sunt quæ de eo scribit Dorlandus, nempe quod « sese etiam Ordini mancipaverit, factus socius pœnitentiæ ut socius fieret et gloriæ. »

*Incorporatur Ordini.*

*Benefactores præcipui,*

Balduino, in Sede Trevirensi, successit Boemundus de

Saarbruck, et huic Cuno de Falckenstein, qui tot beneficia Nostris contulit, ut etiam tanquam alter fundator hodie habeatur. Sæpius morabatur apud Confluentiam, unde ad cartusiam vicinam satis frequenter divertens, ibidem cum licentia quam sibi a Capitulo generali anni 1383 in scriptis tradi voluit, per plures dies consistebat. Obiit anno 1388, et in Charta anni sequentis habuit tricenarium ; de eo adhuc alibi dicemus.

ANNUS 1331

Post Cunonem, Ecclesiam Trevirensem rexit Wernerus de Koningstein, illius ex sorore nepos qui ad Capitulum generale in Domo Seizensi celebratum scribens, preces per Chartam anni 1393 obtinuit. Obiit anno 1418. Cujus successor Otho de Zigenheim denuntiatur mortuus in Charta anni 1439. Jacobus de Sirck, et ipse Trevirensis archiepiscopus, patrem suum commendavit, cujus ideo obitus his verbis denuntiatus fuit in Charta anni 1446 : « Nobilis et devotus dominus Arnoldus de Sirck, miles, dominus in Frauenberg, progenitor R. D. archiepiscopi Trevirensis. » Joannes de Bade, Jacobi de Sirck successor, in Chartis annorum 1500, 1501 et 1502 commendatur cum Archiepiscopis Moguntinensi et Coloniensi, et dicitur defensor universalis Ecclesiæ, et magnus fautor Ordinis ; et in Charta anni 1503 quo obiit, vocatur magnus benefactor. Richardus Greiffenschlau,qui sedebat anno 1525, hanc cartusiam a Rusticis lutheranis combustam instaurari jussit, ut dicemus eodem anno.

*et fautores.*

Ex benefactoribus hujus Domus, paucos habuimus, tum ex manuscriptis Domus tum ex nostris Chartis, quorum hæc sunt nomina : Conradus, præpositus Trevirensis, obiit ex Charta 1371. Walramus, scabinus Trevirensis, Decretorum Doctor, florebat anno 1380 ; post mortem sepultus est in choro Conversorum. Elisabetha de Tremonia, ex Charta 1383, sepulta in hac Domo. Hæc moriens quædam etiam Domui Coloniæ legaverat, unde videtur orta discordia inter Conventum ejusdem Domus et Trevirensem, cujus tunc erat Prior D. Winandus, filius præfatæ Elisabethæ. Hanc vero discordiam statim sopitam colligimus ex Charta 1385, in qua

ANNUS 1331

« committitur Prioribus Confluentiæ et Ruremundæ quod videant et examinent causam quæ vertitur inter Priorem et Conventum Domus Coloniæ et Priorem Trevirensem, super quadam hæreditate eidem Priori Trevirensi ex parte suæ matris devoluta ; et visis et inspectis utriusque partis juribus, determinent præfatam causam secundum Deum et ordinem rationis. »

*Capella SS. Catharinæ et Barbaræ fundatur.*

Emiko de Landecke, civis Moguntinus, qui anno 1370 commendatur in Charta, fundavit capellam quam voluit dicari sanctis Virginibus martyribus Catharinæ et Barbaræ, ubi et sepulturam accepit anno 1387, die 29 Januarii. Et in Charta sequenti habuit tricenarium, ibique vocatur laicus. Et anno 1387, sicut ipse optaverat, huic Domui per Chartam conceditur, « ut possit festum sanctæ Barbaræ cum duodecim lectionibus et officio sicut Agathæ, vel cum tribus lectionibus et Missa cum collecta propria, si voluerit, celebrare. »

Ex Histor. Abbatum Luxemburg.

Theodoricus et Catharina, cives Trevirenses, magni benefactores obierunt; qui habent duos Breves ex Charta 1383. Magister Thomas de Treviris, habens tricenarium ex Charta 1389. Gotfridus de Spanheim, archidiaconus S. Agathæ in Longuiono, Ecclesiæ primariæ Trevirensis canonicus, obiit anno 1395, 23 Maii, sepultus in choro Monachorum. Tilmannus ab Eidel, abbas Munsteriensis Luxemburgi, Archiepiscopi Trevirensis suffraganeus, obiit circa annum 1410, 27 Junii ; ante Capitulum, amplo lapidis tegumento conditus, prout vivens disposuerat. Magister Conradus de Womatia[a], civis Trevirensis. Henricus Raistin[b], præpositus ecclesiæ S. Paulini extra muros Trevirenses. Joannes de Coreo alias Mourelai[c], canonicus S. Simeonis Trevirensis. Joannes de Esshe abbas Prumiensis obiit ex Ch. 1476. Joannes Leyendecker, sacerdos et canonicus ad S. Simeonem Treviris, Sacræ Theologiæ Doctor, specialis amicus et fautor, obiit anno 1494, Idibus Augusti.

[a] Ex Charta 1444.

[b] Ex Charta 1455.

[c] Ex Charta 1461.

Heymannus Franck, decanus S. Simeonis, obiit anno 1503. Antonius de Guls obiit anno 1508, jacet in choro Conver-

ANNUS 1331

sorum. Petrus Steynhuser[a], beneficiatus Ecclesiæ majoris Trevirensis. De aliis benefactoribus post Domus instaurationem agemus anno 1525. Matthias a Sare-Castro[b], decanus Ecclesiæ Trevirensis et Officialis ac Juris utriusque Doctor. R. P. Abbas et venerabiles in Christo Patres Prior, Subprior et Cellerarius monasterii S. Mathiæ Trevirensis, ex Charta 1543. Hi omnes cum pluribus aliis, peste perierant.

[a] Ex Charta 1520.

[b] Ex Charta 1540.

EXORDIA CARTUSIÆ CONFLUENTINÆ.

VIII. Confluentina Domus, quam idem Balduinus in sua diœcesi hoc præsenti anno paulo post inchoatam a se Trevirensem cœpit ædificare, vocatur cartusia Montis S. Beati, sesqui leuca ab ipsa urbe Confluentia distans. Locus, (unde nomen habet) apud scriptores multum celebris est ac venerabilis ex reliquiis sanctorum Cornelii Papæ et Martyris, Servatii Trajectensis ac sancti Beati, Confessorum, quorum corpora tribus in capsulis asservari scribit noster Dorlandus. Addunt Browerus et Molanus reliquias sanctæ Noitburgis virginis ibidem requiescere, quam primum circa annum Christi plus minus septingentesimum Coloniæ sepultam, inde in hanc cartusiam translatam fuisse dicit noster Surius.

Chronicon Cartus. lib. VI, cap. 24.

Ad diem 31 octobr.

Præcipuus tamen loci patronus semper agnitus est sanctus Beatus, cujus propterea festum Nostri ritu solemniori hactenus colunt, juxta licentiam sibi factam per Chartam anni 1337 his verbis : « Conceditur Rectori Montis S. Beati prope Confluentiam et Conventui suo, ut possint celebrare solemniter cum candelis festum sancti Beati, ob reverentiam Domini Archiepiscopi Trevirensis fundatoris. »

*Sub titulo Montis sancti Beati.*

At vero a quibus locus hic olim fuerit habitatus, et quomodo nostro Ordini adscriptus, paucis narrat Henricus Kalkar autor fere synchronus. « Mons sancti Beati supra Confluentiam locus sanctus est et valde antiquus ; ibi olim pro fide Christi solebant martyrizari Christiani. Quibus sanctis Martyribus, dum aliquando reliquiæ sancti Servatii deducebantur per Mozellam, Sanctus idem ex opposito eorum veniens, reverentiam facere videbatur in capsella tumultuans, quasi erigendo se et assurgendo eos salutans. Unde et Fratres ibidem de Reliquiis ejus partem obtinuere non modicam.

ANNUS 1331

*Quinam primi hujus montis incolæ.*

Hunc locum olim monachi incolebant Benedictini; quibus amotis, venerunt seculares Canonici. Post quos, mirabili instinctu, archiepiscopus Trevirensis Balduinus, frater Henrici Imperatoris, instituit ibi Domum Ordinis Cartusiensis. Qui etiam prope Trevirim faciens Cartusiensibus Domum, cum ipsis sæpe vixit in abstinentiis, Horis, vigiliis et jejuniis et in legendis Missis, et ad ipsos serviendo, sicut frater humilis. » Hæc Kalkar.

*Series fundationis evolvitur.*

Hist. Cart. ms. fol. 414.

De eodem fundatore hæc in Molino leguntur : « Balduinus Dei gratia et sanctæ Sedis Ecclesiæ Trevirensis archiepiscopus, sacri Imperii per Galliam archicancellarius, frater Henrici Imperatoris, se suaque nostro Ordini mancipavit, factus socius pœnitentiæ, ut socius fieret et gloriæ. Nam Fratrum abstinentias consectatus, vigiliis laudibusque et sacrificiis sese inferens, humilem assiduo famulatum Domino exhibebat. Ostenditque ei Altissimus locum prope Confluentiam, Moguntinæ ditionis oppidum, in quo volebat a Cartusiensibus honorari. Accidit ut Trevirenses, ad supplicem Confluentinorum precem, sacrum B. Servatii loculum, benedictionis ergo, deportarent ad Confluentiam. Appropinquante vero illo ad montem ubi sanctus Beatus sepulchrum obtinet gloriosum, et Confluentinis cum magna laudum gloria crucibus et cereis obviam illis occurrentibus, beatus Servatius dans honorem sancto monti et religiosis qui illic degebant Fratribus, feretrum suum a capite in aerem ultro levavit, atque ad montem meridianum in quo sancti Beati memoria colitur, tertio sese quasi consortem suum salutans, inclinavit. Hoc ipso in loco sancti Cornelii papæ et martyris, et S. Servatii, divi quoque Beati corpora, tribus in capsulis pretiosis requiescunt. Olim in hac ecclesia, sacra nigrorum Monachorum Religio fuerat instituta, sed personæ ipsius exorbitantes ab Ordine, religionisque cultibus et bonorum ipsius distractione, ipsam reliquerunt deformatam ac penitus desolatam.

« Disponente itaque Deo, archiepiscopale regimen adeptus magister Balduinus, præ cæteris ecclesiis et monasteriis, ejusdem ecclesiæ destructioni paterno compatiens affectu, diuti-

ANNUS 1331

nam sui animi vigilantiam super eo convertens, in Collegiatæ ecclesiæ et Canonicorum secularium dignitatem solemniter erexit. Cumque Decanus et Canonici propter nimiam exilitatem redituum et loci solitudinem, residentiam personalem ad deserviendum in eadem ecclesia personaliter continuare nequirent ; voluntarium tunc laborem subivit pius Præsul cogitatusque revolvit infinitos, et tandem senum sapientumque accepto consilio, ad reducendam ipsam ecclesiam in aliquam Religionis observantiam mens ejus resedit.

*Benedictinis succedunt Regulares Canonici,*

« Inter cæteras autem sanctas Religiones, venerabilem Cartusiensem Ordinem pluribus invenit sanctis operibus præfulgere, habentem quidem proprium in communi unde vivant, et de extrinsecus cura non indigentes, ut tota mentis contemplatione serviant soli Deo.

*istisque Cartusienses,*

« Vigilantissimus itaque Antistes, Decano, Canonicis et Vicariis ecclesiæ Montis S. Beati aliunde satisfaciens, ipsisque assentientibus, a dicto loco transfert et disponit : ita quod ex nunc, de cætero perpetuo, per se vel alium vel in eorum locum, permutando, præbendas conferendo, in vita vel post ipsorum vitam vel aliquo alio quovis modo, nunquam aliquis tanquam Decanus, aut alias Personatus vel Officiatus, Canonicus vel Vicarius, regressum aut institutionem habeat in eamdem (ecclesiam) de consuetudine sive jure. Instituit in dictum locum ecclesiam seu monasterium Montis sancti Beati, Ordinem Cartusiensem per Fratres ipsius Ordinis perpetuo observandum, cum privilegiis, Indulgentiis, Indultis et libertatibus omnibus ipsi Ordini concessis et in futurum concedendis.

*agente Balduino Trevirensi præsule.*

« Præfatum insuper locum, ecclesiam seu monasterium Montis S. Beati una cum domibus, muris, ædificiis, curtibus, hortis, vineis, agris, decimis, pratis, pascuis, arboribus, sylvis, nemoribus, aquis, aquarum decursibus, exitibus, introitibus, censibus, reditibus, proventibus, specialiter etiam jure utendi incisione et deductione arborum, et jure in nemoribus Confluentinis et aliis, necnon omnibus juribus, rebus et bonis ac pertinentiis eorumdem universis, ac jure

ANNUS 1331

possessionis, proprietatis, et quasi præfato Ordini Cartusiensi, ex nunc, perpetuo donatione perfecta irrevocabili et inter vivos, donat et confert, et in eumdem transfert per præsentes. » Hæc Molinus.

*Amici hujus Domus.*

Nullum specialem hujus Domus benefactorem in nostris Chartis reperimus præter unum qui in Charta anni 1586, sic denuntiatur : « Hammannus Abrospach, præbendarius et benefactor Domus Confluentiæ, cui multis annis fideliter servivit. » Fautoribus tamen et amicis Nostros non caruisse deprehendimus ex iisdem Chartis in quibus plures occurrunt Confluentini Ecclesiastici et cives quorum hæc sunt nomina:

Henricus, decanus ecclesiæ sancti Castoris, anno 1352. Joannes sacerdos, præpositus ecclesiæ Sancti Florini Confluentiæ anno 1396. Winandus de Stega, decanus S. Castoris Confluentiæ, Decretorum Doctor, anno 1450. Dominus Simon de Unss in Confluentia, habens plenum monachatum in Provincia Rheni, sub 13 Maii, ex Charta 1458. Petrus de Indagine, canonicus S. Castoris Confluentiæ, anno 1460. Magister Tilmannus de Buissi, Decretorum Lector, præpositus ecclesiæ S. Florini in Confluentia, ex Charta 1461. Nicolaus de Merla, canonicus S. Florini in Confluentia, anno 1491. Jacobus Clingen, canonicus S. Castoris ejusdem urbis, anno 1495.

ORDINATIONES CAPITULARES.

IX. Ordinationes hujus anni tales edictæ sunt :

1. « Præcipitur, ut districtius et efficacius potest fieri, omnibus personis Ordinis, ut nullus modo quocumque seu colore, per se vel per alium, directe vel indirecte, factis aut verbis aut signis aut litteris, aliquam personam cujuscumque conditionis existat, inducat ad petendum ab Ordine aliquod beneficium speciale, præterquam recommendationem generalem quæ precibus Ordinis fieri consuevit; nec leviter concedant Anniversarium in Domibus suis, nec ullo modo pro temporalibus ad spiritualia se obligent, nisi prout licite fieri poterit de consilio peritorum.

2. « Declaramus ut quicumque de cætero scienter elegerint Priorem, hominem ita senio vel alio impedimento perpetuo

impeditum, ut non possit venire ad Capitulum generale, privati sint illa vice jure eligendi, et electio de tali facta nullius sit momenti. ANNUS 1331

3. « Item cum alias ordinatum fuerit quod Priores soli non equitent sine persona Ordinis, et multi Priores sui Ordinationes Ordinis transgredi nimis faciliter non verentes, reperti fuerint attentasse : monemus omnes Priores qui possunt habere Conversos aut Redditos, secundum suarum Domorum facultates, quod ipsos recipiant et habeant, et ex tunc soli non equitent ; et qui habere non possunt, duos famulos secum ducant.

4. « Item quæcumque persona equitaverit in futurum sine mantica quam retro se portet non audeat equitare.

5. « Item declaramus quod Priores consilium, Monachorum vocem non habentium, in agendis non requirant nisi velint.

6. « Item omnibus Domibus Ordinis conceduntur tres sepulturæ, more solito. »

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1332.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Clari de Font. Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 17. | Ann. 249. | Ann. 2. |

CONCORDAT CUM G. DE MONTEFLORIDO DOMUS CARTUSIÆ.

I. ANNO Redemptoris millesimo trecentesimo trigesimo secundo, Indictione decima quinta, R. P. Clarus, Prior Cartusiæ, cum Guillelmo Bochardi de Monteflorido quamdam fecit concordiam, magni momenti (aiunt Rerum nostrarum Scriptores) ob hanc quæ sequitur causam. Jam superius narravimus Calesienses monachos, summa coactos inopia, Aymaro de Bellovisu vendidisse grangiam de Foresta, quam postea cum omnibus juribus suis Major Cartusia comparavit : exinde necesse erat omnes qui antea Calesii homines ligios se confessi fuerant, nunc Cartusiæ homagium præstare ; inter eos, unus e primoribus, ut videtur, extitit Guillelmus Bochardi miles, qui, anno 1323, 7 Aprilis « ad instantiam et requisitionem, sunt verba Cartæ, fr. Jacobi Vethone, Procuratoris Domus Cartusiæ, solemniter et in veritate confitetur se tenere in feudum ligium et de feudo ligio quemdam mansum... Religiosorum et Conventus Domus Cartusiæ.... et antecessores suos tenuisse in feudum tam a prædictis Religiosis dicti Instituti Cartusiæ quam a Religiosis monasterii Calesii, a quibus in hoc facto dicuntur habuisse prædicti Religiosi Cartusiæ quemdam mansum vocatum : tenementum seu Curtile *auz Amelbers*.... pro quo quidem toto manso terræ feodali et pro feudo ipsius confitetur prædictus G. Bochardi se esse et esse velle et esse debere hominem ligium prædictorum

Vide ann. 1298.

Ad ann. 1303.

Vetus Cartular. fol. CXXXII.

ANNUS 1332

Religiosorum monasterii Cartusiæ..... exceptis fidelitatibus et homagiis quod idem dominus G. Bochardi dicit se et asserit se primo et ante dictos religiosos Cartusiæ teneri Domino de Montebello et Religiosis monasterii Stamedii... ; dictus G. Bochardi et prædecessores ejus solebant primo tenere dictum feudum a monasterio Calesii... Actum apud Aurisiacum, ante ecclesiam dicti loci. »

Die vero 17 Augusti 1330 « Nobiles dominæ et domicillæ, Katelina, Francisia, Alixia et Byatrisia, sorores et filiæ et hæredes communes nobilis viri G. Bochardi quondam militis, confessæ sunt et publice recognoscunt prædictum Dominum patrem earum tenuisse et servasse, tenere velle et debere a dicto Priore et Conventu Domus Cartusiæ in feudum et beneficium feudi ligii... mansum dictum : *lo mas aus Amalbers.... ;* item confitentur se debere et teneri, ratione dicti mansi dictis Religiosis ad homagium præstandum et ad faciendum eisdem Religiosis quidquid bonus vassallus præstare et facere tenetur Domino suo.... »

Vet. Cartul. fol. CXLIIII.

Quidam autem Guillelmus Bochardi, dictus de Monteflorido, Majorum fidelitatis immemor, « multa damna et gravamina Domui Cartusiæ intulerat ; inde petebant et petere intendebant Religiosi dictæ Domus Cartusiæ restitutionem, a dicto Guillelmo Bochardi, unius peciæ terræ unum jornale continentis ; item, cujusdam campi juxta reyvoyriam de Tremonay ; item petebant quod dictus Guillelmus cessaret ab inquietatione qua dictam Domum Cartusiæ in usu pascendi oves et pascua impediebat, et in usu pro hominibus Cartusiæ in parochia de Aurisiaco, custodiendi absque tributo et servitute vineas suas ; item petebant expensas, quas fecit dicta Domus ratione præmissorum (quas æstimabat XL solid. grossor. turonens. argenti), restitui et solvi per dictum Dominum. Tandem post multas altercationes, de tractatu et ordinatione venerabilium virorum D. D. Guillelmi de Montebello canonici Valentinensis, et Joannis Rocheti canonici S. Andreæ Gratianop., amicorum communium, partes conveniunt in modo qui sequitur : Jornale terræ remaneat domino

*Causa querelarum.*

Vet. Cartul. fol. CXVI.

ANNUS 1332

G. Bochardi, sed recognoscat illud tenere in feudum; campum restituat; jus habeat conventus Cartusiæ depascendi oves suas et custodiendi, sine servitute, vineas suas. Pro bono pacis, damna, gravamina, et pensas quittet dicta Domus Cartusiæ dicto domino G. Bochardi. Quas quidem ordinationes vir venerabilis et religiosus Domnus Clarus, Prior Domus Cartusiæ et f. Joannes Vethone Procurator dictæ Domus, et dominus Guillelmus Bochardi de Montefiorido, acceptaverunt, approbaverunt, laudaverunt.... Post hoc, G. Bochardi confessus est se tenere, velle et debere in feudum francum et de feudo franco de feudo dictæ Domus dictum jornale. Dicti vero Religiosi, pro se et Conventu suo et successoribus, volentes, cupientes et affectantes dominum Wuillelmum Bochardi, ejus hæredes, prædecessores et successores ipsis Religiosis et suæ Domui prædictæ efficaciter obligare : ex pura et mera gratia et amore Dei, tribuunt et conferunt dicto Guillelmo Bochardi, patri, matri, et uxori ejusdem, et omnibus, universis et singulis, prædecessoribus et successoribus suis, et filiis ac filiabus suis, vivis et mortuis, præsentibus, præcitatis et futuris, *Participationem* Missarum, orationum, jejuniorum, eleemosynarum, abstinentiarum, et omnium aliorum bonorum spiritualium quorumcumque, quæ in dicta Domo Cartusiæ fiunt et de cætero fient quoquo modo, Domino concedente, ad omnimodam intentionem ipsius Guillelmi Bochardi et suorum. Et in dicta Domo Cartusiæ semel in anno in prima dominica Quadragesimæ fiat perpetuo pro prædictis et quolibet prædictorum in speciali memoria, sicut pro Anniversariis privatis et benefactoribus dictæ Domus in dicta Domo Cartusiæ fieri consuevit... Acta sunt hæc in dicta Domo Cartusiæ, in domo domini Episcopi Gratianopolitani, in logia dictæ domus.... Et ego Petrus Richardi de Berlando, autoritate imperiali publicus notarius, his omnibus præsens fui rogatus, scripsi et tradidi cartam istam sigillo meo solitoque signatam. »

*Modus compositionis.*

*G. Bochardi participatio bonorum spiritualium confertur.*

PRIVILEGIA CARTUSIÆ GRATIANOPOLITANUS EPISCOPUS CONFIRMAT.

II. Hac cum domino Bochardi de Montefiorido inita pactione, Prior Cartusiæ, ut prudentissimus erat et sanctæ pacis

ANNUS 1332

amator, Domus suæ privilegia et jura a duabus potestatibus, ecclesiastica pariter et civili, corroborari atque confirmari fecit. Guillelmus, Gratianopolitanus episcopus, perhonorificas ei dedit litteras in hæc verba :

Vetus Cartul. Maj. Cart. fol. CLXXXIII.

« Nos Guillelmus, Gratianopolitanus episcopus, divina miseratione, tam præsentibus quam futuris, nota facimus quæ sequuntur. In primis videlicet ut omnibus innotescat, quod cum nobis constet Ordinem Cartusiensem, per privilegia plura publica Summorum Pontificum Romanorum, esse antiquitus exemptum, immunem et liberum a Diœcesanorum visitatione, correptione, subjectione, exactione, et in suis Domibus Ordinum celebratione ; itemque a decimarum solutione et collectarum ac subsidiorum quorumlibet præstatione et ab aliis multis et diversis rebus, quæ omnia in dicti Ordinis privilegiis plenius continentur ; et nos tempore nostro causa devotionis pluries ad Domum Cartusiæ venerimus et ibidem moram contraxerimus longiorem, maxime in Adventu et Quadragesima ; ac etiam inibi quandoque sacros Ordines celebraverimus ; nobisque pluries Priores dictæ Domus foras transmiserint exenia de cibis seu de bonis suis ad hospitia nostra : recognoscimus et fatemur quod Priores et Fratres dictæ Domus Cartusiæ, quæ in nostra diœcesi dignoscitur constituta, generose semper et honorifice nos recipientes, exhibuere tam nobis quam nostris, verbo et opere, sedule et humanitus officia charitatis ; sacros item Ordines ibidem de dictorum Priorum et Fratrum consensu semper et voluntate fecimus et non aliter ut decebat ; et nihilominus cum toto hoc rarissime et paucissimos sæculares vel Religiosos volumus ordinare ; exenia quoque seu servicia quæ nobis pluries foris miserunt aliqua, per suam gratiam et non ex aliquo debito hoc fecerunt. Quare ut dignum est pro ipsis et Domo eorum scilicet Cartusiæ, protestationem faciendo decernimus et volumus ut prædicta omnia nobis gratis et non alicujus debiti ratione exhibita, videlicet frequens receptio personæ nostræ et nostrorum in dicta Domo Cartusiæ, et prolixioris moræ nostræ contractio, Ordinumque sacro-

*Major Cartusia ab omni Diœcesani subjectione exempta.*

ANNUS 1332

rum celebratio, enceniorumque seu serviciorum aliquorum exhibitio aut transmissio, tam pro tempore lapso quam etiam adfuturo, si forte de cætero de præmissis, vel aliquo præmissorum, supradictis usi fuerimus in dicta Domo Cartusiæ seu usi fuimus aut ab ipsa Domo percepimus vel percipiemus, nullum omnino præjudicium seu damnum possit incurrere prædicta Domus Cartusiæ contra ipsius privilegia, exemptiones et libertates propter nostram consuetudinem aut usum vel exemplum ; magna esset ingratitudo si gratuita beneficia pro debito ab aliquo quærerentur. Verum quia in dicta Domo semper steterimus ad nostras proprias expensas, in hoc apparet liquide quod Diœcesanos suos non teneantur recipere gratis. Igitur intentio nostra semper fuit Ordinis Cartusiensis privilegia, libertates et jura non minuere sed potius in suo valore ac robore conservare. In quorum omnium prædictorum robur et testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini 1332, XIII die mensis Aprilis. »

*Comes Sabaudiæ privilegia a suis antecessoribus data ratificat.*

Ad ejusdem Prioris instantiam, Aymo Sabaudiæ comes, sicut et antecessores sui (nempe : Amedeus, Octobr. 1290, Yennæ ; Philippus, 1268, die Jovis ante Nativitatem B. Mariæ, ante castrum Altæruppæ ; Amedeus, 1236), Domus Cartusiæ privilegia a Thoma de Sabaudia anno 1225 concessa ratificavit in hæc verba : « Aymo comes Sabaudiæ, universis has Literas inspecturis, tam præsentibus quam futuris, salutem et memoriam rei gestæ. Nos ad imitationem patris nostri Amedei comitis eamdem prohibitionem autoritate nostra perpetuo confirmamus, et ut singula superposita pleniorem habeant firmitatem, sigilli nostri munimine præsentem paginam fecimus roborari. Actum est istud anno ab Incarnatione Domini 1332, die XXV mense Aprilis. »

FUNDATIO DOMUS BELNÆ.

III. Eodem anno, serenissimus Princeps ac dominus, dominus Eudo, Dei gratia, Burgundiæ Dux, volens gratissimam oblationem offerre Deo, summo Duci, per quem Reges Principesque regnant : Divinæ Majestati obtulit de pinguedine terræ suæ Burgundiacæ, quando palatium paradisumque de-

ANNUS 1332

liciarum de Fontenay transtulit plene et perfecte ad Cartusianos. Sunt autem tales fundationis Domus Belnensis tabulæ :

*Tabulæ fundationis.*

« In nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Nos Eudo, dux Burgundiæ, Palatinus, dominus Salinensis, notum facimus omnibus præsentibus et futuris, quod nos, in sana mente et sano corpore, attendentes magna beneficia Domini nostri in nos ; cupientes æternam et permanentem felicitatem possidere ex caducis bonis rebusque transitoriis ; ad augmentum divini cultus, ad honorem Dei et gloriosæ Virginis Mariæ matris Jesu Christi, sancti Joannis Baptistæ totiusque Curiæ cœlestis ; pro remedio tum animæ nostræ, tum carissimæ consortis nostræ Joannæ Franciæ, ducissæ Burgundiæ, comitissæ Attrebatensis, dominæ Salinarum, tum antecessorum et successorum nostrorum catholicorum ; et præ singulari affectu quem ad Religionem Ordinis Cartusiensis gerimus : de nostris propriis bonis dotavimus et fundavimus, dotamus et fundamus unam Domum prædictæ Religionis pro duodecim Monachis et tribus Fratribus, in loco Ducatus nostri qui dicitur Fontenay prope *Beaulne* diœcesis Ædunensis ; promittentes Deo et dictæ Religioni ædificare et perficere, misionibus nostris et de bonis nostris, in dicto loco et appenditiis ejus, ad formam Ordinis Cartusiensis, ecclesiam, claustrum, refectorium, Capitulum, sexdecim cellas, officinas cæteraque ædificia convenientia et sufficientia ad perpetuam habitationem et receptionem dictorum Religiosorum, famulorum, hospitum et bonorum eorum. Et pro fundatione prædictæ Domus, nos, de nostra pura liberalitate et sincera voluntate, dedimus et damus in puram, simplicem et perfectam donationem factam inter vivos, Deo, Religioni et Religiosis prædictis, cccc libras annui et perpetui reditus stabiliti supra omnibus infrascriptis, scilicet : totum locum et manerium de Fontenoy, ut est in sua porprisia muris clausum, cum omnibus juribus quæ in eo habemus vel habere intendimus, cum omni justitia, jurisdictione et dominio dicti loci ; nihil nobis aut aliis reservantes, excepta sola salvaguardia. Volumus insuper, concedimus, consentimus,

Apud Bohic, ad hunc annum.

*Dat fundator manerium de Fontenoy,*

ANNUS 1332

quod dicti Religiosi, qui nunc sunt et erunt, dictum locum de Fontenoy, insimul omnia ædificia facta in eo aut facienda, habeant, possideant et manuteneant, libera, Deo dicata, exempta ab omni jurisdictione sæculari ; et plene gaudeant omnibus immunitatibus, privilegiis, libertatibus concessis aut concedendis dicto Ordini Cartusiensi, vel alicui ejus ecclesiæ sive monasterio, generaliter aut specialiter. Item dedimus et damus, modo prædicto, molendinum nostrum, situm subtus manerium de Fontenoy ; insimul clausuras dictorum molendini et manerii, cum justitia media et bassa... ; item, totam villam nostram de Chaulloinges cum omnibus privilegiis nobis hic acquisitis.. Item, modo prædicto, dedimus et damus rivum nostrum de Bosoise a molendino de la Doez usque ad molendinum quod est subtus curtile præfatorum Religiosorum ; stricte prohibentes omnibus quibuscumque, sub pœna decem librarum, ne quis, sine licentia dictorum Religiosorum, in dicto rivo pisces capiat quocumque modo....; item, damus totam decimam nostram vini et frumenti in civitate et finagio de Nuys... et circa festum Omnium Sanctorum intrare poterunt dicti Religiosi domos eorum qui decimas vini eis solvere debebunt, de omni vino gustare et levare quod voluerint ; id est, pro qualibet operata vineæ, quatuor pintas vini melioris ad mensuram de Nuys... Item dedimus grangiam nostram subtus la Chourelle..., sylvam de Savigny..., duodecim petias vineæ in finagio de Beaulne... etc.

*et villam de Chaulloinges,*

*et decimam in finagio de Nuys.*

« Et Nos, pro nobis, heredibus, successoribus nostris, et pro omnibus causam a nobis habentibus, dedimus et damus, concedimus, quittamus, guerpientes, ratificantes, confirmantes totum in toto, in perpetuam eleemosynam... ; item plene amortizamus Deo, Ordini et Religiosis supradictis, ex nunc et ex tunc imperpetuum ; devestientes nos... ; et, per traditionem prædictarum Litterarum, in perpetuam possessionem, puram, pacificam et corporalem introducentes Domnum Henricum *, Priorem dictæ Domus, nomine Ordinis sui..., salva justitia alta, ressorto et baronia sæculari.... locum de Fontenoy... Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, præsenti

* Polleti, qui postea fuit Prior Cartusiæ.

cartæ jussimus apponi sigillum magnum Cameræ nostræ. Datum apud S. Dionysium in Francia, XII Kalend. Maii, anno Domini MCCCXXXII; sigillatum sigillo magno in cera rubra, quod habet militem sedentem super equum, tenentem spatam in manibus. » Hactenus carta fundationis cartusiæ prope Belnam, quæ primum scripta fuerat in Abbatia de Chastis, anno Domini 1328.

ANNUS 1332

SECUNDUM CLAUSTRUM IN MAJORI CARTUSIA FUNDATUR.

IV. Hoc etiam anno Richardus de Chausenco sacrista et canonicus ecclesiæ S. Barnardi de Romanis, *secundum* Conventum in Majori Cartusia fundavit. Hujus insuetæ fundationis rationem ut facilius pleniusque Lector intelligere possit, quædam animadvertenda sunt. Cartusiensis Religionis exordio, Monachorum numerus in qualibet Domo statutus est XIII vel ad summum XIV, ut R. Pater Guigo in suis Consuetudinibus declarat : « Numerus, ait, habitatorum hujus Eremi, Monachorum tredecim est; non quod semper tot simus, nunc enim non sumus tot, sed quod tot si Deus eos miserit, suscipere instituimus. Sed et si talis aliquis unus, cujus utilitas et honestas videatur vix posse recuperari, misericordiam postulaverit, addetur et quartus decimus : si tamen facultas Domus tolerare posse putabitur. » Sequenti sæculo, R. Pater Rifferius, iisdem ac Guigo verbis, veterem usum confirmavit. Notandum quod in hoc numero quatuordecim, includebantur Prior et Procurator; et si Domus quatuordecim Monachos habens Priorem elegisset in alia Domo, poterant esse quindecim. Statutum est insuper in Capitulo generali, firmiterque sancitum ne absque ejusdem (Capituli) permissu Domus aliqua ullo modo personam supra numerum acciperet. Si qua vero Domus contrafecisset, Prior et ejus Procurator (si ei consensisset) sine retractatione, ex Capituli decreto, obedientias amittebant.

Consuetud. cap. LXXVIII.

Antiq. Statut. II. P. cap. XXIV. I.

Ibid. cap. V. 33.

Ibid. cap. XIX. 2. 3.

Verumtamen jam circa sæculi XIII finem, præscriptus Monachorum numerus cœpit augeri, imo fere semper duplicari, unde hæc verba in Cartis passim leguntur : « duplicare Conventum, novum fundare Conventum, vel claustrum... » Sciendum autem est hoc in quibusdam tantum

ANNUS 1332

Domibus factum fuisse et graves ob causas ; cur autem hoc anno 1332, cellæ in claustro Majoris Cartusiæ duplicatæ sint, sequens Ordinatio Capituli 1324 ostendet : « Cum sæpe in Domo Cartusiæ qui ad habitum veniunt, admitti non possint, ne numerus personarum a Statutis sancitus excedatur : licentiam damus usque ad viginti Monachos recipiendi in dicta Domo, ut sic bono Ordinis provideatur. » Multoties enim ad novas Domos inchoandas, Matris Cartusiæ professi, utpote spiritu Cartusiano uberius imbuti, potissimum a Fundatoribus requirebantur. Hoc itaque anno Richardus de Chausenco, juxta facultatem in Comitiis generalibus datam, 6000 florenos aureos, quos in Cartusia depositivos habebat, largitus est, ut in hac Domo aliæ pro tredecim Monachis cellæ fundarentur et dotarentur. Reverendus Pater hoc opus sexennio absolvit. Obiit Richardus die tertia Aprilis 1343, et ei tanquam magno benefactori conceditur plenus monachatus cum psalteriis per totum Ordinem.

ACTA CAPITULI GENERALIS.

V. In hujus anni Charta sequentes leguntur Ordinationes :

1. « Ordinamus ut de cætero, propter præceptum Ecclesiæ, per omnes Domos nostri Ordinis, in festis duodecim Apostolorum et Evangelistarum et quatuor Doctorum de quibus non fecimus festum Capituli, fiat festum Capituli quantum ad Monachos in prædictis festis ; et Conversi in operibus occupati non cessent ab ipsis, nec propter Capitulum ad Domum Superiorem ascendant.

2. « Ut uniformitas, sicut in Statutis continetur, in divino Officio servetur in Ordine, procurent omnes Priores et Vicarii habere Legendam quæ legitur in Cartusia in Octavis et per Octavas festi Eucharistiæ, cujus Legendæ copiam in Cartusia poterunt reperire.

3. « Monemus et volumus quod in Domibus omnibus Conversorum a Domibus superioribus separatis in quibus est capella, celebretur Missa omni hebdomada ter vel bis ad minus a Procuratore vel Priore, justo impedimento cessante, vel impeditis, Prior, vel eo absente Vicarius, unum de Monachis ad celebrandum ibidem possit mittere. »

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1333.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Clari de Font. Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 18. | Ann. 250. | Ann. 3. |

R. P. CLARUS MISERICORDIAM PETIT.

I. ANNUS adest Christi trecentesimus trigesimus tertius supra millesimum, Indictione prima, quo Clarus, Prior Cartusiæ, suis oculis humilior in dies effectus totis viribus conatur regimen abdicare, minis etiam extorquere tentans quod precibus assequi non poterat. Cernens enim misericordiam sibi a Patribus denegari, hanc a Summo Pontifice se postulaturum comminatus est ; sed Diffinitores, nescii labefactari minis, interposita etiam præcepti autoritate, prohibent, raro ac inimitabili exemplo, ne suam abdicationem a Curia Romana deprecaretur. Verum ut aliquid precibus ejus tribuerent, potestatem ei fecerunt duos eligendi Priores qui auditis discussisque illius rationibus, eum vel absolverent vel in officio confirmarent. « Priori Cartusiæ, sunt verba Chartæ hujus anni, ad præsens non fit misericordia, et conceditur eidem, propter nimiam suam importunitatem, quod possit vocare duos Priores discretos qui faciant ei misericordiam, si viderint expedire Domui Cartusiæ, promotioni et honori Ordinis et personæ. Et præcipitur sibi in virtute sanctæ obedientiæ quod nullo modo per se, nec per alium quoquo modo, suam absolutionem in Romana Curia procuret vel postulet obtinere. » An Priores vocaverit, non reperi ; constat solummodo quod in officio perseveraverit ad annum 1338 quo tandem pii desiderii effectum obtinuit, ut ibidem dicemus.

ANNUS
1333

VEXATIONES IN MONACHOS MONTIS DEI.

II. Hoc anno gravis ac diuturna in Montis Dei Cartusienses orta est vexatio, quam Monachus ejusdem ex actis rei gestæ sic enarrat : « Sub regimine Rodolfi de Metis, anno videlicet 1333, contigit ut Ludovicus comes Flandriæ et Registensis, apud Ulmontium, agrum Registensis agri, animi relaxandi gratia sæpe divertens, cum venationi sylvas adjacentes non sibi sufficere crederet, etiam in sylvam Montis Dei audacter venaturus veniret : ruptis sepibus et aditibus nemorum, effractis et complanatis quibusdam fossatis in quibus numerosa piscium multitudo alebatur. Cum vero in dies pejora adhuc impune ageret, nec ei quis resistere auderet, querelæ monachorum aures Philippi regis pulsant, quorum gemitibus compassus Rex, mandat Comiti ut a molestandis Fratribus desistat, et curet informari de delictis in eo a suis commissis. Verum Comes efferatus iterum venari cœpit in agris Montis Dei, et cum audisset quod quidam frater Conversus e manibus domesticorum suorum cervum eripuisset, Domum nostram exspoliari jussit. Correriam primum combusserunt, cujus tamen Capella incolumis mansit. Inde stabula et metarias depopulati sunt. Ex litteris quibus paulo post Monachi apud Regem conquesti sunt, compertum habemus quod Comitis homines armati ferreis malleis portas et seras fregerunt ; occiderunt quoque triginta vaccas, duodecim boves, tres vitulos, centum sexaginta porcos, unum equum, unum asinum et plura alia animalia, item secum abduxerunt octo canes perforaruntque triginta octo vini cados (quorum singuli duos modios habebant magnæ mensuræ Antissiodorensis), duo dolia olei ex nucibus, et duo dolia vini novi ; item perdiderunt ducentas libras candelarum, et unum dolium magnis nucibus plenum ; quæ omnia in Monachorum usum congregata fuerant. Dilaniaverunt etiam multa tergora et pelles vitulinas ; item discerpserunt nonnullas fistulas plumbeas quibus aqua in monasterium permeabat, et fregerunt magnam copiam utensilium in coquina et cæteris officinis, et multa alia damna fecerunt, jubente Comite, ut aiebant. Quas injurias et gravamina nobis intulerunt vi armorum, regia gardia contempta et de-

*Omnia Domus bona vastantur.*

specta. Isti quidem dum hæc patrabant, minantes dicebant monachis quod si Comitis voluntati non parerent, sese reversuros et dictam Domum eversuros. Cum vero ad Comitem venissent, dure et acriter eos reprehendit quod tantillum mali et damni fecissent, et præcepit eis dictam Domum destruere (adeo ut non amplius ibi Montis Dei esset vestigium), nisi præfati Monachi dictis processibus abrenuntiarent, sibique in omnibus obedirent, vel si apud Regem de excessibus et damnis sibi illatis conquererentur.

« His ita factis, Cartusienses Regem deprecati sunt quod præ amore Dei, præ miseratione et misericordia, medelam idoneam breviter applicaret, dicto Comiti et suis hominibus præcipiendo de cunctis supramemoratis regio Procuratori et monachis rationem reddere; quod præstitit Dominus Rex, datis literis die 25 Julii 1333, ipsomet Comiti Registensi, et die 9 Octobris baillivo Fannello de Wadencourt. De qua controversia iterum dicemus ad annum 1344.

BELLA IN BRABANTIA

III. Eodem tempore bellum inter eumdem Comitem et Joannem Brabantiæ ducem ortum est, eo quod Joannes obstetisset quominus Mechliniani in verba Ludovici, qui Mechliniam ab Episcopo Leodiensi emerat, jurarent. Cum igitur utrinque armis decertaretur, nostri horum locorum Cartusienses ad Capitulum generale ascendere impediuntur, maxime Prior Antverpiæ, quem Diffinitores per Chartam hujus anni excusant, « quod propter guerras ad Capitulum generale non venerit. » Anno quoque sequenti : « Prioris Capellæ excusatio admittitur propter guerrarum pericula et viarum discrimina. » Flandri tamen victi pacem petierunt, quam Philippus, rex Franciæ, anno 1334 tribus matrimoniis sancivit. Sicque pax reddita est.

*et Italia.*

In Italia quoque bellum hoc anno ingruebat, quamobrem Priores Trisulti et Padulæ excusantur quod non venerint ad Capitulum generale, « propter itinerum difficultates et guerrarum imminentia pericula. »

CONVENTUS SCALÆ DEI DUPLICATUR

IV. In Hispaniis felicius res nostræ incedebant. Joannes patriarcha Alexandrinus et Ecclesiæ Tarraconensis admini-

ANNUS 1333

strator, filius Jacobi II regis Arragonum, et frater Alphonsi IV tunc temporis regnantis, antecessorum suorum cartusiæ Scalæ Dei fundatorum vestigiis inhærens, duplicem Conventum in eadem Domo fundavit, constructis in novo claustro ac sufficienter dotatis duodecim cellis, ut ex sequenti inscriptione in dicto claustro apparet :

*a Joanne Alexandrino patriarcha.*

« Hoc opus claustri præsentis cum cellis et apparatibus suis, fecit fieri de bonis suis inclytus et Reverendissimus, sanctæ et præclaræ memoriæ Dominus, Dominus Joannes, illustrissimi D. Jacobi recordationis eximiæ regis Arragonum filius, Patriarcha Alexandrinus. Qui in sortem Domini electus et divinis obsequiis mancipatus, a Sancta Sede apostolica variis gratiis et privilegiis merito insignitus, Cartusiensis (ad quam affectione speciali et devotione præcipua ferebatur) Religionis puritatem, et vitæ austeritatem in qua vivunt istius Ordinis professores, ac bona spiritualia quæ fiunt continue in eodem attendens, speransque indubie, ut sola Dei bonitate ad regna cœlestia per hanc Scalam scandere mereretur ; cupiens devotionem hujus operis indicio demonstrare, ad honorem Dei et Beatæ Virginis Mariæ matris ejus, in hoc monasterio Conventum ordinavit, mandavit et voluit duplicari ; semper ad Deum pro anima sua ac parentum suorum et omnium fidelium oraturum, ac Deo ad laudem et gloriam sui nominis serviturum : pro cujus provisione legavit dicto monasterio locum suum de Saydino, diœcesis Ilerdensis. Eisdem Monachis etiam pro studio in sacra Theologia ab ipsis utilius impendendo, Bibliam suam pulchram, glossatam, undecim volumina habentem, (interdicta tamen penitus ipsius Bibliæ alienatione) perpetuo concessit, prout in sua inde facta ordinatione pia et laudabili continetur ; in multis aliis gratiis et beneficiis istud monasterium honoravit. Anno Domini 1333, 6 Kalend. Septembris. »

*Precibus Ordinis commendatur.*

Cum mentem suam pius Princeps Patribus in comitiis hujus anni congregatis significasset, preces pro eo per totum Ordinem edictæ sunt his verbis : « Orabitur pro reverendo in Christo Patre domino Joanne, Sanctæ Alexandrinæ Sedis

ANNUS 1333

divina Providentia Patriarcha, Ordinis nostri. » Ex quibus ultimis verbis quidam avide intulerunt eum fuisse nostri Ordinis Professum, quod nulla ulterius autoritate probari potest ; unde satius credimus post hæc verba « Ordinis nostri » addendum fuisse benefactore vel fautore, sive aliquid aliud simile, quod tamen exscriptoris lapsu in Charta missum est.

*Novam cartusiæ ecclesiam dedicat.*

Eodem tempore idem Præsul templi novi Cartusiensium perfecit consecrationem, pro cujus memoria sequens inscriptio (quæ exstat juxta sacellum Sancti Crucifixi) gothicis caracteribus pariete cavata est :

Anno milleno tercentum terdecies tres,
Augusti mense, Septembris sexto chalendas,
Suam basilicam consecravit Reverendus
Inclitus Alexandrinus patriarcha Joannes,
Filius illustris Aragonensis quoque Regis;
Raymundo fratre de Bosco stante Priore.

Insuper dedit Joannes consecrationis Literas in quibus, inter alia, Raymundi Berengarii et uxoris ejus nomina leguntur; hic Raymundus per Chartam hujus anni precibus Ordinis commendatus fuerat ante fratrem his verbis : « Orabitur pro filio domini Regis Aragonum, et domina Blanca ejus consorte, et filia eorumdem. » Fuit Raimundus comes Pratensis, et inter benefactores Domus Scalæ Dei annumeratur. Ejus uxoris obitus reperitur in Charta anni 1338 : « Obiit inclytæ memoriæ domina Blanca Romaniæ Despina (*al.* despota), consors inclyti domini Infantis Raimundi Berengarii, comitis de Pratis, habens tricenarium, etc. » Nullus hactenus quem sciam, nomen hujus feminæ Comitis agnovit. Quæ forsan filia fuit Yolandæ Dœspinæ Græcorum despotæ viduæ, de qua Raynaldus ad ann. 1338, n. 48 ; sed hæc tantum conjectando dicimus. Ad Joannem patriarcham redeamus cujus Charta anni 1334 meminit sic : « Conceditur Priori Scalæ Dei quod possit recipere duos monachos de Domo Sancti Pauli ad professionem cum pace personarum et consensu Prioris sui. Et hoc, ob reverentiam Domini Patriarchæ Alexandrini, pro quo Domino Patriarcha specialiter orabitur. Cui etiam Do-

ANNUS 1333

*Ejus obitus*

mos Ordinis nostri in illis partibus constitutas humiliter commendamus. » Denique eodem anno, mense Septembri obiit ; cujus obitum Charta anni sequentis sic denuntiat : « Obiit Dominus Patriarcha Alexandrinus, qui duplicavit Conventum in Domo Scalæ Dei ; cui conceditur monachatus, et obiit xv Calendas Septembris. » Sepultus jacet in ecclesia Tarraconensi, in sepulchro marmoreo cum hoc epitaphio :

*et epitaphium.*

« Hic quiescit corpus sanctæ memoriæ domini Joannis, filii domini Jacobi, regis Aragonum, qui decimo septimo anno ætatis suæ factus archiepiscopus Toletanus, sic dono scientiæ infusæ divinitus, et gratia prædicationis floruit, quod nullus ejusdem ætatis in hoc ei similis crederetur. Carnem suam jejuniis et ciliciis macerans, in vigesimo octavo anno ætatis suæ factus Patriarcha Alexandrinus, et Administrator Ecclesiæ Tarraconensis. Ordinato per eum, inter multa alia bona opera, novo monasterio Scalæ Dei, diœcesis Tarraconensis, ut per ipsam Scalam ad cœlum ascenderet. Reddidit spiritum Creatori xiv Calendas Septembris, A. D. MCCCXXXIV, anno vero ætatis suæ xxxiii ; pro quo Deus, tam in vita quam post mortem ejusdem, est multa miracula operatus. »

Ex hac inscriptione, quæ ex stylo recentior apparet, satis liquet eum nunquam Ordinem Cartusiensem amplexum fuisse, nisi forsan ex devotione et imitatione. Eum porro laudant Historici tanquam virum insigni pietate, sanctitate summaque sacrorum Librorum litteratura illustrem. « Huic Antistiti vere magno apud posteros, ait Bzovius ex Zurita, maximæ gloriæ fuit quod cœnobium monachis Cartusianis ab Alfonso rege in paupertatis patientia dicatum ornatumque, et a Petro ejus filio Scalæ Dei nomine inditum, et Jacobo nepote regiis honoribus et præmiis amplissimis decoratum, et ædem continentem ample magnificeque exornavit. »

FUNDATIO CUCULLARUM PRO DOMO GLANDERII.

V. In cartusia Glanderii, quæ est agri Lemovicensis, quidam pius sacerdos, hoc anno, reditus annuos largitus est ad parvas cucullas singulis bienniis unicuique Monacho confi-

ANNUS 1333

ciendas. Extant litteræ sequentis tenoris : In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Notum sit omnibus....

GUIGO DALPHINUS MORITUR.

VI. Hoc anno, die 29 Julii, occiditur Guigo, ultimus hujus nominis dalphinus, Domus Cartusiæ benefactor, et specialiter Monialium Saletarum cui multa beneficia contulit in gratiam matris suæ Beatricis de Hungaria ibidem aliquando Monialis, et amitæ suæ Mariæ ejusdem parthenii Priorissæ. Ejus obitus cum tricenario per totum Ordinem anno sequenti in Charta denunciatus est. Ex Isabella Philippi Longi regis Franciæ filia, uxore sua, quæ cum eo commendata fuit anno 1328 precibus Ordinis, nullam suscepit prolem. Cui propterea in Dalphinatum successit Humbertus frater ejus, alter fundator Saletarum. De quo sequentibus annis multa occurrent dicenda.

*Quorumdam amicorum Ordinis obitus.*

Ex amicis Ordinis nostri obiit, ex Charta, Aymarus de S. Quintino, canonicus Aniciensis. Et post eum Joannes de Borgia, domicellus, Perroneti de Borgia de Scalis filius, qui suo testamento hoc anno tertio Calendas Maii condito, unum Anniversarium in Majori Cartusia fundavit, relicto hærede Joanne filio sub tutela Perutæ uxoris suæ.

CARTUSIÆ BONONIENSIS FUNDANDÆ CONSILIUM SUSCIPITUR,

VII. Hoc etiam anno primum fundandæ cartusiæ Bononiensis consilium suscipitur. Qua vero occasione (id jam diu ante meditatum fuerat), accipe ex Chronico cartusiæ Vallis Pisii, quod ante annos ducentos Stephanus de Chirella ejusdem Professus et Prior edidit.

Apud Molin. fol. 439.

*a J. Andrea, Juris Doctore.*

« Rem ut arbitror, inquit, memoria dignam, et impendendæ hospitalitatis exemplo merito proponendam referre disposui, quam a fide dignis Domus hujus antiquis narrantibus accepi in hæc verba : Quidam Joannes Andreas, vir nobilis Bononiensis, Juris utriusque Doctor eximius ac Canonici Juris glossator, cum aliquando iter ageret de partibus Gallicis veniendo, frigoris tempore, contigit ut præoccupatus hora tardiori niviumque impedimento, iter deviaret, atque animo fatigatus ad grangiam nostram Pisii cum suo comitatu declinaret. Cumque fuisset a duobus fratribus Conversis ibi morantibus charitative susceptus, et igne calefactus, mensa præ-

ANNUS 1333

parata, et victu simplici, juxta Ordinis morem ab eis benedicta, ipse modum conspiciens tacitus accubuit, et de his quæ apposita fuerant cum patientia sumpsit, similiter et famuli sui. Cœna vero absoluta, cum ipsi Fratres simpliciter et devote gratias agerent, ipse quoque rem notabat, et animo lætabatur super ritu et simplicitate ipsorum. At cum tempus quiescendi esset equitaturis, ipsis bene cibatis aiunt illi : Domine, tempus est ut quiescamus omnes, vos igitur hac nocte quietem accipietis cum patientia in lectulo Prioris nostri. Quibus auditis, credens se cameram lectumque magni apparatus introire, cœpit cum gratiarum actionibus renuere, et se fore contentum lectulo minori. Cum autem cameram ipsam fuisset ingressus, stratumque parvulum cerneret cum paleis et coopertaris laneis ornatum, admirans multum et devotionis motus spiritu, præstante Domino, nocte illa in lectulo quiescendo, ritum Religionis hujusmodi, nunc mores et dictorum Fratrum vitæ puritatem cœremoniarumque simplicitatem, nunc Regulæ ipsius rigorem asperitatemque secum ruminando, plurimum duxit esse laudandam, et hanc vitam fore felicem, securioremque ad cœlestem gloriam promerendam ; facto igitur mane, cum iter arripere decrevisset, voluit pecunia hospitalitatem sibi ab ipsis Fratribus hilariter præstitam recompensare, quibus omnino renuentibus, vale faciens illis, se pro certo firma dispositione statuisse dixit : Cum primum Bononiæ fuero, vita comite, taliter pertractabo, auxiliante Domino, quod brevi prope civitatem ipsam Religionis ejusmodi solemne monasterium extruetur. Quod et factum fuit, prout etiam ipse in Commentariis suis plenius describit. » Hactenus ex Chronicis Vallis Pisii.

*Qua vero occasione?*

Deinde majore inter eum et Cartusienses necessitudine intercedente, cogitavit Andreas serio stare promissis. Verum cum pius Doctor scientia plus abundaret quam divitiis, nec solus posset tantum opus absolvere, quosdam adjutores pari incensos studio adinvenit, inter quos eminet Franciscus de Sero, Parmensis, Sanctæ Mariæ Tungrensis canonicus, qui hoc præsenti anno primus omnium operi manum admovit,

*Adjuvante eo Fr. de Sero, Parmense.*

quasdam domos et terras in dotem quatuor Monachorum largiens, ut ex ipsomet concessionis Instrumento apparet, quod hunc habet tenorem :

ANNUS 1333

« Anno 1333, die 22 Augusti, venerabilis vir dominus Franciscus canonicus S. Mariæ Tungrensis, Leodiensis diœcesis, natus olim domini Alberti de Sero Parmensis, qui nunc moratur Bononiæ in capella S. Andreæ de Ansaldis ; in plena sospitate mentis per Christi gratiam constitutus, cupiens suæ providere saluti, de bonis temporalibus sibi a Deo collatis aliqua sua rependere Collatori, et sic terrena pro cœlestibus felici commercio commutare, sperans pro transitoriis recipere sine fine mensuram ; habens devotionem ad Cartusiensem Ordinem et professores ipsius, quorum sancta Religio, vitæ austeritas et morum decor, Ecclesiam Dei vehementer exornant, et multos ædificant et alliciunt ad opera virtuosa et salutifera exercenda, propter quæ duces in viam Salutis dici possunt : ad ampliationem ipsius Ordinis, sub reverentia et veneratione omnipotentis Dei et beatæ Mariæ semper Virginis et totius cœlestis curiæ, sponte et ex certa scientia et non per errorem, sub infrascriptis modo et forma ac legibus et conditionibus inviolabiliter observandis, dedit, concessit, assignavit, donavit et tradidit jure proprio in perpetuum, pure, libere, simpliciter et irrevocabiliter inter vivos, ita quod nulla possit ingratitudine revocari, Ordini et Fratribus Cartusiensibus prædictis et fratri Galgano professo ejusdem Ordinis et Priori Scholæ Dei prope Parmam ibidem præsenti, recipienti, stipulanti vice et nomine Ordinis Cartusiensis et Fratrum ejusdem, infrascripta bona ; quam donationem et traditionem non solum de infrascriptis bonis conjunctim, sed etiam de singulis divisim facere intendit, ita quod singulæ nedum petiæ terrarum infra descriptæ, sed et tornaturæ intelligantur esse donatæ singulariter. Videlicet : domum unam cum solo et ædificio in balchione positam Bononiæ in capella S. Damiani, in contrata S. Dominici, juxta viam publicam, juxta magistrum Scotum fabrum et juxta Bricium tinctorem ; quam domum emit a domina Antonia quondam

*Terras concedit.*

*Iustrumentum concessionis.*

Ex Archiv. Domus Bononiensis.

ANNUS 1333

domini Druduli olim Bernardini. Item aliam petiam terræ aratoriæ et hortivæ.... Item petiam terræ vineatæ quinque tornaturarum, positam in guardia Civitatis Bononiæ in loco dicto Camalduli, juxta possessiones Fratrum Sancti Joannis in Monte a duobus lateribus, ad habendum, tenendum et possidendum vice et nomine dicti Ordinis Cartusiensis et Fratrum Ordinis, cum omnibus et singulis (quæ infra prædictos continentur confines, vel alios si qui forent veriores) accessibus et egressibus suis usque in viam publicam, et cum omnibus et singulis quæ dictæ res donatæ et traditæ habent super se vel infra seu intra se in integrum...

*Assensus Prioris Cartusiæ reservatur.*

« Quam donationem, traditionem, et omnia et singula in hoc Instrumento contenta et apposita, valere voluit dumtaxat si Prior Major Cartusiensis Ordinis deliberaverit, elegerit, ratificaverit et acceptaverit, infra sex menses proxime venturos, præsentem donationem per se vel sindicum et procuratores aut sindicos ad hoc constitutos, cum conditione, pacto et onere de construendo et fieri faciendo vel acquirendo et habendo in civitate vel districtu, aut guardia vel diœcesi Bononiensi, in qua cum multis Ordinibus abundet, hunc deesse non decet, unum locum et monasterium vel oratorium pro Ordine suo, in quo divinum Officium perpetuo celebretur cum Priore et illis monachis et Fratribus, prout in dicto monasterio vel oratorio construendo, fiendo vel acquirendo valeant vitam eorum deducere secundum modum, Regulam et observantiam Ordinis Cartusiensis ; et infra tres annos post acceptationem, ratificationem et promissionem proxime secuturam, debeant fecisse et construxisse ac ædificasse vel acquisivisse locum et monasterium vel oratorium prædictum ; et in eo continuam residentiam perpetuo faciant cum Priore, et illis Fratribus et Monachis qui ex loci proventibus suam vitam substentare valeant, ita tamen quod cum Priore in loco ipso esse debeant quinque vel saltem quatuor Fratres ad minus, in observantiis Religionis et Ordinis supradicti. Et si prædicta non fecerint, ut dictum est, prædicta omnia bona donata et data redeant, perveniant, et pervenire debeant, ad

praefatum dominum Franciscum donatorem vel ejus hæredes secundum voluntatem et dispositionem dicti domini Francisci; nonobstante prædicta donatione facta, ut penes ipsum perinde remaneant ac si præsens donatio facta non esset. Quæ omnia et singula suprascripta et infra scripta et præsenti contractu contenta juravit prædictus Franciscus, ad Sancta Dei Evangelia tacta in manibus reverendi viri domini Buxoli de Parma Decretorum Doctoris, Auditoris curiæ Domini nostri Domini Legati, recipientis juramentum prædictum nomine ipsius Ordinis et omnium quorum interest: et promisit mihi Rodulpho notario subscribendo, tanquam publicæ personæ stipulanti et recipienti vice et nomine dicti Ordinis et Fratrum, perpetuo firma et rata habere et tenere, observare et adimplere, et non contra facere. Actum Bononiæ in capella S. Andreæ prædicta, in domo habitationis ipsius domini Francisci, præsentibus domino Buxolo prædicto, Joanne quondam domini Gerardis de Ghixilleriis, qui dixit se cognoscere contrahentes, et Migolo quondam Dominici pilipario capellæ sancti Dominici, testibus ad hæc vocatis et rogatis.

ANNUS 1333

« Ego Antonius quondam Petri Papponi, imperiali et Communis Bononiensis autoritate notarius, vigore et autoritate mihi a Consilio octingentorum et populi attributa et concessa, ut constat ex reformatione scripta manu Richardi fratris Joannis de Fantuciis notarii, prout rogationibus seu notis olim Rodulphi Rolandi notarii inveni, ita fideliter sumpsi, scripsi et authenticavi, et in publicam formam redegi et scripsi. » Quid vero inde secutum, dicemus anno sequenti.

VIII. Ex Charta Capituli generalis :

ORDINATIONES PLURIMÆ.

1. « Monemus et volumus quod in omnibus Domibus Conversorum a Domibus superioribus separatis, in quibus est capella, celebretur Missa omni hebdomada, ter vel bis ad minus a Procuratore vel Priore, justo impedimento cessante. Quibus absentibus vel impeditis, Prior vel eo absente Vicarius, unum de antiquioribus Monachis ad celebrandum ibidem possit mittere; qui, Missa celebrata, ad Domum superiorem, non bibens nec comedens revertatur; et si circa

ANNUS 1333

adimpletionem prædictorum Prior fuerit negligens vel remissus, de negligentia sua clamet culpam suam in proximo Capitulo subsequenti. Et ipsi Monachi non intrent vel visitent officinas. » Confirmatio est Ordinationis anno præcedenti factæ.

2. « Tempore Paschali dicatur Evangelium *Ego sum vitis vera,* in festis B. Ambrosii et B. Hugonis, si in dicto tempore dicta festa contigerit celebrari.

3. « Declaramus ut in festivitatibus de quibus noviter ordinatum est ut cum Capitulo celebrentur, Conversi qui fuerint cum Monachis de jejuniis observent quod Monachi; qui vero fuerint in Domibus inferioribus vel alibi, faciant sicut scribitur in Statutis.

*Quid Conversus inutilis ?*

4. « Qui reputentur inutiles Monachi vel Conversi, de Monachis scribitur in Statutis. Conversos autem esse inutiles declaramus, qui impedimentis perpetuis præpediti, non possunt secundum Ordinis consuetudinem laborare.

5. « Injungitur omnibus Prioribus ut omnes novas constitutiones, declarationes, reformationes et Ordinationes Ordinem generaliter contingentes, quæ factæ sunt in præsenti Capitulo et in futuris fient, Domino concedente, supra primam, secundam et tertiam Partem Consuetudinum, in Statutis suis scribi faciant, annis singulis infra subsequens proximum Capitulum generale. Hactenus vero factas, scilicet Capitulis retroactis, prout in Statutis Domus Cartusiæ continentur similiter scribi faciant infra proximum Capitulum generale.

*Quædam notabilia de Visitationibus.*

6. « Cum olim injunctum fuerit Visitatoribus qui forent pro tempore, Visitationes sibi commissas citius solito inchoarent ac studerent exequi diligenter, quidam vero in hoc fuerint culpabiliter negligentes, quorum negligentiam certum est in detrimentum Ordinis redundare, præcipitur eis ut clament de sua negligentia culpas suas; et hi qui sibi commissas Visitationes nondum inceperunt, has intra festum proximum Omnium Sanctorum incipere non omittant. Visitatores autem prædicti, et qui pro tempore fuerint, inquirent diligenter in singulis Domibus, utrum præfatas novas constitutiones, de-

clarationes et reformationes, juxta prædictam ordinationem inscriptas redegerint; et quos in præmissorum adimpletione repererint negligentes, districte puniant, et eis sub pœna præcipiant ut prædicta juxta Domorum suarum facultates et dispositiones non negligant adimplere.

7. « Præcipitur Prioribus Domorum N N... quod clament per litteras culpas suas in proximo Capitulo, super eo quod ipsi in suis Domibus in cœnis in Refectorio dari pitantiam permiserunt, et quod de cætero talia fieri non permittant. » Cum vero quidam ex præfatis Prioribus hanc ordinationem labefactassent, per Chartam anni sequentis sic puniuntur: « Quia Priores...., comederunt pitantiam in cœna in Refectorio et ministrarunt Conventui et ministrari permiserunt, comedant per quinque dies Capituli in Refectorio mane sine pitantia. »

8. « Priori Stolæ Dei non fit misericordia et in officio suo habeat patientiam, et in executione ejus habeat diligentiam ut fructum boni operis assequatur. Et ei conceditur ut duobus Novitiis Domus suæ, licet annus probationis nondum completus sit, professionem possit facere, cum de multa sufficientia commendentur.

9. « Prior et Conventus Boni Loci, si sibi et Domui suæ viderint expedire, homines captos infra clausuram Domus suæ, cum auxilio privilegiorum Ordinis procurent sibi restitui. » Alexander III, Summus Pontifex, sua Bulla data anno 1176 prohibuerat ne quis infra terminos Domorum nostrarum homines capere auderet.

10. « Præcipitur Priori Vallis S. Georgii ut in Domo sua divinum Officium cum nota de cætero faciat celebrari, prout in aliis Domibus Ordinis fieri consuevit.

11. « Priori et Conventui Domus Luvigniaci et aliis quibus placuerit, conceditur ut festum Conceptionis B. Mariæ Virginis possint solemniter celebrare, et fiat officium sicut in Nativitate ejusdem, in nomen Conceptionis, Nativitatis nomine commutato. »

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1334.

| Joannis PP. XXII | Ordin. Cartus. | Clari de Font. Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 19. | Ann. 251. | Ann. 4. |

GODEFRIDUS MAURBACENSIS VISITATOR GENERALIS DOMORUM IN GERMANIA.

I. MILLESIMUS trecentesimus trigesimus quartus annus Christi Redemptoris, Indictione secunda exurgit, quo Clarus, Prior Cartusiæ, utens plenitudine potestatis sibi super annum a Capitulo generali transcriptæ, Godefridum Priorem Maurbacensis cartusiæ in Visitatorem omnium Domorum in Sclavonia et Germania sitarum instituit, scripto ad eum quod hic adjungimus diplomate :

Ex Chronic. ms. Maurbac.

« Dilecto in Christo fratri suo, Domno Godefrido Priori Vallis Omnium Sanctorum, Clarus Prior Cartusiæ salutem in Domino sempiternam. Cum Domos nostri Ordinis in Sclavonia et Alemania constitutas, tam in capitibus quam in membris, correctione et diligentis discretæque Visitationis remediis intelleximus indigere; et propter perplexitatem nimiam plenam periculis nequeamus personas sufficientes invenire, qui ad exercendum Visitationis officium illuc audent proficisci : Nos de bonitate vestræ conscientiæ, quam zelo justitiæ, rigoris et honestatis Ordinis, donoque discretionis providæ divina largitione dotatam esse credimus, firmiter confidentes ; autoritate Capituli generalis cujus vices gerimus supra annum, vobis tenore præsentium concedimus plenam, efficacem et liberam potestatem visitandi præfatas Domos et singulas, tam in capitibus quam in membris, toties quoties eas aut earum aliquas Visitationis remedio noveritis

*Plenam potestatem Visitandi ei traditur,*

indigere. Mandantes vobis, et vos in charitate Christi ut fortius possumus exhortantes, quatenus Deum præ oculis semper habentes, et honorem ac rigorem nostri Ordinis in affectibus cordis vestri, assumpto vobiscum uno Priore nostri Ordinis provido et discreto, quem mutare et alium vel alios vobiscum assumere qui vobis placuerit (quoties volueritis) valeatis, in prædictis Domibus omnibus et singulis corrigatis, emendetis et disponatis secundum Deum et nostri Ordinis instituta, et prout saluti personarum et utilitati Domorum magis cognoveritis expedire, quæcumque in ipsis tam in personis quam rebus, usibus et consuetudinibus earumdem, emendatione, correctione, salubrique dispositione reperiretis indigere... (Et post nonnulla quæ legi non poterant) Prioribus etiam dictarum Domorum de quibus vobis videbitur necessarium vel utile misericordiam possitis facere ab officio Prioratus, et eos ad petendum misericordiam compellere cum effectu ; et electionibus Priorum, qui eis vel in aliis Domibus substituendi fuerint, interesse ; electionesque eorum secundum Statuta nostri Ordinis, si secundum materiam et formam canonice celebratæ fuerint, confirmare. Domibus quoque Pastoris solatio destitutis valeatis cum effectu de bonis et discretis Prioribus providere, si forte dictarum Domorum Conventus jus eligendi contingeret amisisse, vel si forte utilius esset Conventibus reddere voces suas. Quod si forsitan aliquando contingeret vos taliter impediri, ut prædicta vel aliqua de prædictis per vos personaliter exequi nequiretis, possitis eo casu toties quoties opus fuerit, super prædictis et eorum singulis, duobus providis et discretis Prioribus nostri Ordinis committere vices vestras, qui secundum fines mandati vestri, quæ mandata sunt a vobis exequendi plenam habeant potestatem. Super præmissis autem omnibus et singulis eorumdem vobis per præsentes plenarie committimus vices vestras, donec eas ad nos duxerimus revocandas : præcipientes omnibus et singulis dictarum Domorum personis in virtute sanctæ obedientiæ, ut vobis et delegatis vestris obediant, et, si necesse fuerit et a vobis requisiti, vos et eos

*cum facultate delegandi.*

ANNUS 1334

adjuvent in omnibus supradictis. Et rogamus vos ut ad impletionem omnium prædictorum, ut minus poteritis, differatis. In quorum omnium præmissorum robur et testimonium, sigillum majus Domus nostræ Cartusiæ, quo in arduis utimur negotiis, præsentibus litteris duximus apponendum. Datum in eadem Domo Cartusiæ, 29 die mensis Aprilis, Anno Domini 1334. »

JOANNES PAPA XXII MORITUR.

II. Exeunte vero anno, Joannes Pontifex Maximus, fundator cartusiarum Boni Passus et Cadurcensis, Avenione in palatio Apostolico decessit, pridie Nonas Decembris, ætatis suæ nonagesimo; sepultus in ecclesia Cathedrali ut constat apud omnes, et inde postea translatus a suis Cadurcum, patriam suam, ut aliqui volunt. Scribit tamen Gregorius Reischius, Prior cartusiæ Friburgensis, in epistola ad R. P. Franciscum Puteanum præfixa privilegiis Ordinis nostri, ipsum Joannem in cartusia Bonipassus tumulatum fuisse, quod nusquam tamen scriptum reperi. Joannis obitus denuntiatur in Charta anni sequentis cum pleno monachatu sub tertio Nonas Decembris, sed a plerisque Autoribus dicitur obiisse pridie Nonas ejusdem mensis. Septemdecim diebus post mortem Joannis ei in Pontificatu successit, accepto Benedicti XII nomine, Jacobus Novellus, Ordinis Cisterciensis, episcopus tunc Mirapicensis et cardinalis.

HUMBERTUS DALPHINUS PARTHENIO SALETARUM BENEFACIT.

III. Humbertus dalphinus, quem vidimus anno elapso Guigoni fratri suo successisse, cœpit divitias suas in Cartusienses effundere, maxime vero in Moniales Saletarum, propter Mariam amitam suam, quam singulari amore et observantia colebat. Hujus igitur intuitu volens antecessorum suorum ejusdem parthenii fundatorum liberalitatem augere ac etiam superare, quoddam jus, quod vintenum vocant, Monialibus adscripsit, confecto propterea tali Instrumento :

Ex Cartular. ms. Saletar. fol. XI.

« In nomine Domini, amen. Noverint universi et singuli quod anno Domini millesimo tercentesimo trigesimo quarto, Indictione secunda, die nona mensis Decembris, coram me Notario et testibus infrascriptis, illustris princeps dominus Humbertus, dalphinus Viennensis, Viennæ et Albonis comes,

ANNUS 1334

dominusque de Turre, divinæ considerationis intuitu motus erga illustrem dominam, dominam Mariam de Viennesio ejus amitam, Priorissam monasterii Monialium Saletarum, Ordinis Cartusiensis, et erga dictum monasterium divina premitus* consideratione, et contemplatione dictæ dominæ Mariæ et erga Conventum et dominas Moniales ejusdem, in remedium animæ suæ et parentum et prædecessorum suorum ; pro se et suis heredibus et successoribus universis, dedit et donavit, donatione pura, perpetua et irrevocabili inter vivos, dictæ dominæ Priorissæ præsenti stipulanti et recipienti nomine suo et dicti sui monasterii ac Conventus et dominarum Monialium ejusdem præsentium et futurarum, et mihi Notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine dicti monasterii, *vintenum* * suum quod ipse dominus Dalphinus percipit et ejus prædecessores percipere consueverunt super fluvium et in fluvio Rhodani apud Quiriacum, cum omnibus juribus, emolumeñtis, præmiis et obventionibus dicti vinteni, in eo et occasione ejusdem vinteni percipi consuetis et debitis et ad eum spectantibus quoquo modo ; retento tamen per ipsum dominum Dalphinum quod ipse possit ordinare ad voluntatem suam quomodo dicti vinteni emolumentarii inter dictos monachos et dominas Moniales dicti monasterii consumetur et distribuetur, vel ad ponendum in dicto monasterio plures monachos vel plures Moniales, prout dicto domino Dalphino placuerit faciendum et ordinandum, secundum valorem et facultates dicti vinteni duntaxat. Dedit, inquam, dictus dominus Dalphinus prædictæ dominæ Priorissæ et mihi Notario, tanquam publicæ personæ stipulanti et recipienti, nomine dicti monasterii et Conventus ejusdem, præfatum vintenum cum suis juribus, ad habendum, tenendum et possidendum ut quasi, et quicquid dicto monasterio et dominæ Priorissæ ac Conventus ejusdem præsentibus et futuris perpetuo placuerit faciendum ; reservata tamen, ut præfertur, ordinatione dicti domini Dalphini. Investiens dictus dominus Dalphinus prædictam dominam Priorissam de dicto vinteno et suis juribus per traditionem unius baculi, et ponens ipsam,

*Jus vintenii eis concedit,*

* pressus.

*intuitu amitæ suæ Mariæ, Domus Priorissæ,*

* i. e. jus vigesimæ partis fructuum.

*quam investit de dicto jure per baculi traditionem.*

ANNUS 1334

nomine dicti monasterii et ipsum monasterium, in omnibus loco sui. Volens mandans et præcipiens quod ex nunc dictum vintenum cum suis juribus dictæ dominæ Priorissæ vel suo vicario, nomine dicti monasterii expediatur realiter et perfecte ; et quod deinceps in eodem ponere possit dicta domina Priorissa et ejus successores quæ præerunt in dicto monasterio vintenarium et levatorem ad eorum libitum, qui dictum vintenum levent et exigant et recolligant et jura ipsius percipiant, levent et exigant ad opus et utilitatem dicti monasterii, et eidem dominæ Priorissæ præsenti et futuræ vel ejus mandato teneantur reddere rationem et reliqua rationis. Promittens et jurans ad sancta Dei Evangelia, tacto libro, dictus dominus Dalphinus, pro se et suis prædictæ dominæ Priorissæ et mihi notario infrascripto, præsentibus stipulantibus, ut supra, præsentem donationem ratam habere et non contra facere vel venire per se vel per alium, et dictum vintenum perpetuo salvare suis propriis expensis dicto monasterio contra omnes, et defendere in judicio et extra, non expectata denunciatione quacumque. Renuncians omnibus juribus quibus posset contra promissa facere vel venire ; præcipiens dictus dominus Dalphinus mihi Notario, et dicta domina Priorissa me requirens, quod præmissis conficiam tot quot voluerint Instrumenta dicti dominus Dalphinus et domina Priorissa et successores eorum.

« Actum in ecclesia dicti monasterii, præsentibus testibus vocatis et rogatis fratre Rodulpho de Arenis, Ordinis Prædicatorum, fratribus Simone de Vienna, Joanne de Dorgoina, Joanne Revolli, Girardo Suciteti, Francisco de Crimiaco, Joanne de Quiriaco, Joanne de Viviaco dicti Ordinis ; fratre Laurentio Besson capellano dicti monasterii, fratre Petro Guilleti capellano dicti monasterii, domino Juliano de Vespa presbytero, et me Humberto Pilati, etc... » Et in pede ipsius etiam ita scriptum : « Et grossatum est pro monasterio. »

PRECES PRO PACE INTER DALPHINUM ET SABAUDIÆ COMITEM INDICANTUR.

IV. Eodem fere tempore cum inter eumdem Principem Humbertum et Comitem Sabaudiæ pacem conciliare Summus Pontifex Joannes et Philippus rex Franciæ totis viribus ten-

ANNUS 1334

tarent, Deum ad id propitium reddere Nostri studebant, indictis precibus per Chartam hujus anni : « Nos, inquiunt, specialiter recommendatos habemus dominum Comitem et dominam Comitissam Sabaudiæ et liberum eorum et dominum Dalphinum Viennensem et liberum eorum, et orabitur pro pace inter eos. » Nec quidem frustra, nam inter utrumque Principem pacem eodem ferme tempore confirmatam legimus apud Guichenonem.

DOMUS BONONIENSIS FUNDATIO PROSEQUITUR.

V. Interea Franciscus de Sero, canonicus Tungrensis, et Joannes Andreas Bononiensis, conceptum anno præcedenti fundandæ cartusiæ apud Bononiam consilium, effectum dare cœperunt. Loco siquidem dicto Caxara, qui uno milliari versus Occidentem Bononia extra portam Pratelli distans, ad torrentem Apesam, fluvio Rheno mœnia ipsius cartusiæ allambente, adjacet, ex pecuniis ejusdem Canonici comparato, primarium ecclesiæ lapidem die 17 Aprilis, nomine Bertrandi Bononiensis episcopi, posuit Bonacurtius abbas S. Proculi. Hanc ecclesiam sub vocabulo sancti Hieronymi Doctoris, cum aliquot cellis ædificare voluit pius doctor Joannes Andreas ut testatur Instrumentum sequens :

*Primarius ecclesiæ lapis ponitur.*

*Hujus rei Instrumentum.*

« In Christi nomine et suæ Matris Virginis gloriosæ, ac B. Joannis Baptistæ, et Confessoris gloriosi B. Hieronymi, et totius cœlestis Curiæ, Amen. In millesimo trecentesimo trigesimo quarto, Indictione secunda, die decimo septimo mensis Aprilis, pateat universis per hoc præsens publicum Instrumentum, quod venerabilis vir dominus Bonacursius, abbas monasterii S. Proculi de Bononia, ex commissione speciali sibi facta, ut dicebatur, a Reverendo in Christo Patre domino Bertrando, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Bononiensi episcopo, scripta manu B. Angelini, episcopalis Curiæ notarii, primarium lapidem solemniter benedictum imposuit suis manibus in fundamento ecclesiæ fabricandæ prope Bononiam ultra canale Rheni, in loco qui dicitur Caxara, in prædio Cartusiensis Ordinis noviter per Procuratores Ordinis empto, ad Domum et monasterium pro ipso Ordine fabricandum. Cujus confines sunt vineæ a duobus lateribus,

Histor. ms. Ordin. p. 440.

ANNUS 1334

ab alio vinea hospitalis de Caritate de Bonon., ab alio vinea domini Dominici de Pragatuli. Quæ emptio facta fuit a diversis personis de pecunia ipsi Ordini et ipsius Procuratoribus propter idem largita per venerabilem virum dominum Franciscum de Sero, Parmensem, canonicum ecclesiæ B. Mariæ Tungrensis. Et in ipsa impositione lapidis facta per dictum dominum Abbatem, assistente sibi et cooperante fratre Galgano, Priore Domus Scholæ Dei de Parma, Ordinis Cartusiensis, et ipsius Ordinis Procuratore. Hoc autem fuit expresse ad supplicationem domini Joannis Andreæ, Decretorum Doctoris, intendentis ecclesiam ipsam fundare cum aliquibus cellis, et quod monasterium, ecclesia, domus et locus ipse denominetur a glorioso Doctore et confessore beato Hieronymo, et sub ejus vocabulo fundetur, construatur et etiam consecretur semper secundum morem Ordinis et facientium professionem in illo, scilicet ad honorem Dei et gloriosæ Virginis Mariæ et B. Joannis Baptistæ. Facta fuerunt prædicta omnia in loco prædicto, et in ipso prædio, præsentibus Reverendis viris domino Nicolao abbate monasterii S. Felicis de Bononia, domino fratre Manfredino, Priore S. Georgii prope Bononiam, et aliis multis ad prædicta rogatis testibus.

*Ecclesia S. Hieronymo dicatur.*

« Ego Antonius quondam Petri Popponi, imperiali et communitatis Bononiæ autoritate notarii, vigore et autoritate mihi a consilio Octingentorum et populi attributa et concessa, ut ea referunt scripta manu Ricardi de Pantuciis notarii, prout in rogationibus seu notis olim Rudolphi quondam Rolandi notarii inveni, ita fideliter subscripsi, scripsi, et authenticam et in publicam formam redegi et scripsi. »

Deinde paucis post mensibus, jam erectis aliquot ædificiis, novus Prior institutus est Petrus de Garzano, professus Domus Casularum, a regimine Montis Brachii propterea assumptus, autoritate Clari Cartusiæ Majoris Prioris, juxta illius mandatum Prioribus Casularum et Vallis Pisii factum ut sequitur :

« Religiosis et dilectis in Christo fratribus Prioribus Casu-

larum et Vallis Pisii, Prior Cartusiæ salutem in Domino, et ad cultum divini Nominis augmentandum, palmitemque nostræ Religionis fructifere propagandum prompto ac voluntario animo laborare. Vos non ignorare posse, non dubito, quod Ille, cujus laus et gloria resonat in omni loco dominationis ejus, pia inspiratione, inter modulatas jubilationes et tripudiosos concentus qui in ejus laudibus persolvuntur in loco et ab iis, in quo et in quibus affluentia copiosiori suæ benedictionis pluviam distillavit, aperiendo eis intellectus et sapientiæ cataractas, Cartusiensis Propositi legem scilicet audire sit dignatus, et pauperum suorum planctus et gemitus exaudire, et ponere in suo salutari ; mandans eis ædificari et præparari per fideles suos servos tabernacula et tentoria peregrinationis eorum congruentia in deserto Bononiæ, famosissimæ civitatis.

ANNUS 1334

*Petrus de Garzano Prior designatur*

« Ad requisitionem factam per pium et devotum Dei famulum, carissimum Monachum Cartusiæ nostræ, Domnum Fredericum (qui vocante Domino, relicta peregrinatione, ivit in regionem vivorum), nunc fundatores a nobis de persona sufficienti et honesta pro Priore postulant provideri : Nos, considerata fundatorum reverentia, civitatis decentia, et nostri Ordinis honestate et promotione, etsi non ignoremus quod illuc mitti debeat persona sufficiens et honesta, tamen Monachorum illius linguæ sufficientias et facies ignoramus. Quare discretioni vestræ committimus ut DD. fundatoribus, imo potius Ordini, pro nova illa plantatione sine cultore plantata, de persona sufficiente et honesta, cui nota sit illa lingua, provideatis et præficiatis Priorem. Quod si non reperitis sufficientem, sicut nostis locum illum decere et honestati nostri Ordinis expedire, Priorem Montis Brachii adeatis, et sedulo et efficaciter inducatis ut petat misericordiam ab officio suo, quod de autoritate præsenti faciatis, et eum ad dictum locum Priorem per vos instituendum mittatis. Quod si forsitan misericordiam petere recusarit, ipsum nihilominus, vestra autoritate, autoritate Capituli generalis, tenore præsentium compellatis ; quo sic facto, ipsum insti-

*a Reverendo Patre Cartusiæ.*

ANNUS 1334

tuatis Priorem dictæ Domus, et illuc mittatis ad dictam plantulam temporaliter et spiritualiter promovendam. Non enim est nostræ Institutioni contrarium, si unus Prior de Domo una, considerata majori utilitate et honore totius Ordinis, ad Domum aliam transferatur. Gratus est enim fundatoribus, et ab ipsis etiam Monachis postulatur. Datum in Domo nostra Cartusiæ, xii Kalendas Novembris, anno Domini 1334, cum appositione sigilli ipsius Domus nostræ Cartusiæ in testimonium prædictorum. »

*Fredericus novæ Domus protoprior moritur.*

Fredericus Monachus Cartusiæ, quem noster Clarus in præfatis litteris vocat pium et devotum Dei famulum, per aliquot annos Domum Parmensem sapientissime rexerat; sed anno 1333, abdicato regimine, in Cartusiam matrem suam se recepit, ubi hoc præsenti anno, xv Calendas Septembris obierat, ut constat ex Charta anni sequentis in qua et de novo Bononiæ Priore sic disponitur : « Excusatio Prioris Domus B. Hieronymi prope Bononiam de non veniendo ad Capitulum generale admittitur, nec fit ei misericordia. Et ob reverentiam Fundatorum, conceditur quod possit uti sepulturis aliis Domibus ultimo concessis. Conceditur etiam tricenarium pro octo personis vocatis et vocandis, si ibi perseveraverint ad Ordinis voluntatem. » Hæc Charta. Nec dubium quin per nomen « fundatorum » designentur Joannes Andreas et Franciscus de Sero qui revera velut primi promotores habendi sunt, licet Franciscus multo majora contulerit; nam præter ea quæ jam commemoravimus, novissime suo testamento, Nostros universales hæredes instituit, moriensque die 20 Aprilis anno 1340, corpus suum voluit in ecclesia hujus Domus sepeliri. Ejus obitus his paucis verbis denunciatus fuit in Charta ejusdem anni : « Obiit dominus Franciscus, canonicus Beatæ Mariæ Turgensis, habens tricenarium, etc. »

*Franciscus de Sero primus fundator.*

Ex Charta 1340.

Notæ ad Vitam B. Petroni Cartusiensis.

Bartholomæus Senensis eamdem ecclesiam designat Turgensem, videlicet quam nostri Bononienses constanter affirmant eamdem esse ac Tungrensem, quæ olim erat Episcopalis nunc vero sub ditione Episcopi Leodiensis. Idem porro

Bartholomæus patrem Francisci vocat Albertum de Sero Gaiygnacensem in diœcesi Parmensi. De Joanne Andreæ vero, ita scribit Hartmannus Schedelius : « Joannes Andreæ, patria Bononiensis, Jurisconsultus suæ ætatis celeberrimus et Pontificii quam maxime uberrimus fons, tempestate ista floruit ; Novellas super Decretales edidit celeberrimas et Sextum Clementinasque accuratissime glossavit, atque in Sexto alias Novellas composuit. Insuper et opus Mercuriale, et in additionibus Speculi aliud peregregium edidit, et in laudem Divi Hieronymi opus, *Hieronymianum* appellatum, composuit. Ipsius autem clarissima gesta et alia ad eum pertinentia, ex Additionibus ipsius (*Extrav. de Vita et honestate Cleric.* in titulo de filiis presbyterorum) optime colliguntur. Obiit autem anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo Bononiæ, ex peste, prout ejus discipulus Joannes Calderini meminit in cap. *Vestra,* de cohabitat. Cleric. et mulierum, in Decretalibus. » Hæc Schedelius.

ANNUS 1334

*Joannes Andreæ secundus fundator; ejus elogium.*

Non solum autem scriptis suam erga D. Hieronymum devotionem Joannes Andreæ posteritati testatam reliquit, sed etiam, ut diximus, Domum Ordinis Cartusiensis, sub ejus nomine prope Bononiam ædificavit, quæ appellatur Domus Sancti Hieronymi, vel Domus Montis S. Hieronymi, prope Bononiam, ut legimus in Charta Capituli generalis anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo celebrati.

Apud Bohic. Annal. mss. Ordinis, ad ann. 1348.

Ejusdem Joannis Andreæ meminit etiam Sutor noster ita scribens : « Joannes Andreæ, qui a Papa excellentissimus Jurista, a Panormitano Juris canonici Speculum, ab aliis vero Fons canonum appellatur, in *Novella* de Cartusianis multa cum laude meminit, ubi ita dicit : Ordinem Cartusiensem et Cirsterciensem multis specialibus beneficiis ab olim ditavit et honoravit Ecclesia . Ubi et Domum Ordinis Cartusiensis prope Bononiam se fundasse gloriatur. Et (in cap. Consilium et observat. Jejuniorum) Tractatum ab Arnoldo de Villanova pro Cartusiani Ordinis defensione confectum contra Cartusiensium obtrectatores summat. Aliis denique

De Vita Cart. Lib. II. Tract. 3. capit. 2.

ANNUS 1334

in locis de Cartusianis verba faciens, eos probat, laudat, tueturque vehementer.

« Fuit quoque hic a Joanne XXII Papa vocatus pro consilio, cui Cartusienses tradiderunt Statuta sua dudum ab Ecclesia confirmata, contra calumniatores, propter Deum examinanda. Quibus perlectis ac subtili indagatu pervisis, respondit nunquam se audivisse vitam cum tanta discretione, sobrietate, humilitate et charitate esse institutam. Itaque adeo Cartusiensibus est affectus in Christo, quod novam Domum dicti Ordinis de suo proprio patrimonio fieri procuravit. Suis etiam Canonistis et Legistis, in Novella sua super cap. de Jejuniis, sic satisfecit : Hunc librum sic consummavi, quia etiam quam plures nobilis status amicis nostris Cartusiensibus (apud quos est vera Religio) detrahere conantur. » Hæc anonymus quidam, autor Libri *De approbatione Sacri Ordinis Cartusiensis,* cujus jam meminimus.

Certum est Joannem Andreæ, nomen alterius fundatoris Domus Bononiensis jure mereri, cum « intenderit ecclesiam ipsam fundare cum aliquibus cellis, » quas reipsa fundavit, licet ipse de fundatione hujus Domus loquens, dicat tantum

*Ecclesiam ædificavit.*

se laborasse, ut hæc Domus ædificaretur ; sed præstat illius verba modestiam redolentia referre, quæ habentur in ejus Glossis ubi agitur de Decimis Novalium Cisterciensium et Cartusiensium Ordinibus a Summis Pontificibus concessis : « Hos duos Ordines, inquit, multis specialibus beneficiis ab olim ditavit et honoravit Ecclesia ; cujus ego sequens vestigia juxta parvitatem meam, ad ipsos multum afficior, et satis Ordini primo profeci. Et quia Ordo secundus in diœcesi Bononiensi Domum aliquam non habebat, laboravi per tempora posterius, et novissime per Dei gratiam obtinui Ordinem illum hic prope Bononiam collocari. Qui locus fundatus currentibus annis Nativitatis dominicæ 1334, sub nomine patroni nostri beati Hieronymi titulatur. »

Præter bona ab eo nostris Bononiensibus collata, suis eos consiliis multum adjuvit, ita ut Patres Diffinitores per Char-

Ex Charta 1337.

tam aliquando Priorem hujus Domus admonuerint, « ut

quia sua Domus adhuc est tenera et novella, recurrat ad consilium illius excellentis Doctoris domini Joannis Andreæ pro negotiis suis tutius peragendis. »

*Cellarum fundatores.*

Cellarum fundatores fuere : Stephanus Cornolinus, Margarita de Montolino, Franciscus filius legitimus inclyti viri Joannis Andreæ præfati, Ghelina de Gollutiis, Bartholomæa uxor quondam domini Thomæ de Lastignano, Guido Mutinensis, Antonius Placentinus, Nicolaus de Sanctis, miles, etc. Joannes Bentivolus, quondam dominus Bononiæ, quartam decimam cellam ædificavit anno 1397 *. Alii benefactores sub initium Domus fuerunt : Bertus, pater domini Deolay de Sala, qui cum duobus prænominatis dicitur ad dotem Domus contribuisse, in litteris superius exscriptis datis die 17 Aprilis. Guido de Baisio, episcopus Ferrariensis, mortuus anno 1349, hospitium antiquum in capite refectorii ædificavit ; illustris Margareta de Pepolis, uxor quondam Palamedis Lambertini dotavit primam capellam constructam in honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ, circa annum 1341. Juanus, canonicus Cathedralis Bononiensis, eodem tempore quoddam pratum contulit, et donavit certos libros. Hieremias Angelellus, canonicus Bononiensis, hanc Domum hæredem instituit anno 1416 ; et anno sequenti sepultus fuit in ecclesia ejusdem Domus ; jacet ante portam chori.

* Vid. etiam ann. 1339.

FUNDATIO CARTUSIÆ COLONIENSIS.

VI. Hoc quoque anno concepta fuit fundatio cartusiæ S. Barbaræ in urbe Coloniensi a Walramo ejus archiepiscopo qui propterea sequens Instrumentum confici voluit :

*Carta fundationis,*

Apud Molin. Histor. ms. Ordin. Cartus. p. 422.

« Nos, Walerannus, Dei gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, Sacri Imperii per Italiam archicancellarius, universis præsentes litteras inspecturis notum facimus quod nos, ob animæ nostræ salutem, et ob specialem favorem quo Ordinem Fratrum Cartusiensium prosequimur, et ut idem Ordo in nostra diœcesi amplietur, et memoria nostra in eadem perpetuo peragatur ; pro structura monasterii et claustri ipsius Ordinis in civitate nostra Coloniensi erigenda et facienda, deputavimus et deputamus per præsentes Priori seu personæ idoneæ quam Magister dicti Ordinis ad hoc adjunxe-

ANNUS 1334

rit, reditus centum maldronum siliginis annuatim et quinque solidos grossos turonenses singulis septimanis per collectorem redituum nostrorum in Colonia pro tempore existentem persolvendos ; quousque in subsidium dictæ structuræ et sustentationem Fratrum qui in eodem fuerint instituti, de aliis reditibus perpetuis, secundum quod nobis videbitur expedire et Deus nobis inspiraverit, duxerimus ordinandum. In hujus rei testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus Literis apponendum. Datum Coloniæ, anno Domini 1334, ipso die beati Nicolai episcopi. »

Apud Surium, die XXIV Octobr.

Cum vero de loco extruendæ Domus Archiepiscopus esset sollicitus, casu veniens ad locum illum ubi S. Severinus animam S. Martini in cœlum ab Angelis deferri conspexit, dicitur et ipse vocem audivisse cœlitus delapsam, dicentem : « S. Martinus vult hic ædificari. » Ita referunt Dorlandus, Sutor et plures alii. At Henricus Calkar, autor fere coævus et ejusdem Domus professus, agens de Domibus non sine prævio miraculo ædificatis, hæc tantum habet : « Archiepiscopus Coloniensis Walramus, sanctæ memoriæ, dum quondam hanc ipsam Domum S. Barbaræ Coloniensis fundare volens, multis hoc attentasset extra Coloniam locis, tandem nutu Dei pervenit in hunc locum dictum *Sent Martinweldt,* in quo olim sanctus Severinus audivit concentus Angelorum animam S. Martini in cœlum deducentium. »

*Annus fundationis definitur.*

De tempore quo hæc Domus primum cœpit ædificari, non nihil inter se discrepant Autores, quorum sententias prætermittimus, domesticis adhærentes documentis quibus constat, ut jam diximus, hanc fundationem conceptam fuisse hoc anno ; ædificia vero inchoata anno proxime sequenti probatur ex Libro Benefactorum ubi hæc leguntur : « Dominus Walramus archiepiscopus Coloniensis sacrique Imperii per Italiam Archicancellarius, germanus frater domini Willelmi, marchionis pro tunc Juliacensis, pius ac R. in Christo Pater fundator noster, anno Domini 1335, circa festum Purificationis beatæ et gloriosæ Deigenitricis Mariæ virginis, Sancti Spiritus gratia afflatus et piæ devotionis spiritu accensus,

ANNUS 1334

monasterium nostrum seu Domum hanc S. Barbaræ virginis et martyris, infra mœnia urbis Coloniensis, de voluntate et consensu Capituli, Dominorum Ecclesiæ Majoris et Magistrorum civium, Consulum, Scabinorum ac civium civitatis Coloniensis, primum exorsus est erigere, et ad divini cultus ampliationem nos Cartusienses huc vocare : pro memoria sua sempiterna et animæ suæ salute et remedio, etc. »

*Mortuo Walramo fundatore,*

Etsi pauca in dotem contulerit Walramus, ab omnibus tamen tanquam fundator habetur ; obiit anno 1349, pridie Assumptionis B. Mariæ Virginis, et in Charta anni sequentis habuit tricenarium. Eo mortuo ejusque hæredibus dotem ab eo assignatam præbere cunctantibus, cœperunt Nostri egere magnaque premi pauperie, ut etiam monachos dimittere et ad alios Conventus viciniores compulsi fuerint ablegare. Sed ecce vix uno alterove dimisso, Deus qui non deserit sperantes in se, sicut olim ad Eliam Thesbiten alendum, ita et modo excitavit honestam quamdam viduam quæ, cognitis Cartusiensium angustiis, mox accurrit, rogans ut Fratres reducantur, se enim promptam paratamque iisdem subvenire ; et confestim septingentos numeravit florenos in eorum subsidium. Alias quoque cum Prior feria secunda Paschæ non haberet vel parum quid de piscibus quod Conventui apponeret in refectorio, jam Sexta in choro inchoata (post quam ex more prandium sumitur), ecce quædam matrona pulsat ad januam petens alloqui Priorem ; quem cum frater Conversus pergeret accitum, porta semiclausa relicta, reversus invenit saccum optimis repletum piscibus intra portas repositum, nemine amplius comparente. Quod ubi Priori innotuit cum gratiarum actione coctos pisces Conventui jussit ministrari.

*Nostri egere cœperunt,*

*sed cœlitus adjuvantur.*

Ex successoribus fundatoris plures reperimus Nostros sua benevolentia cohonestasse. Fridericus de Saerwerden, qui hanc Ecclesiam rexit ab anno 1370 ad annum 1414 quo obiit, multis privilegiis hanc cartusiam munivit, quapropter per totum Ordinem sæpius preces pro eo fusæ sunt.

*Colonienses Episcopi Domus fautores.*

Theodoricus de Morsa, præfati Friderici successor, insignem se Ordinis nostri fautorem et hujus Domus benefacto-

ANNUS 1334

rem exhibuit; sacellum, maxime suis sumptibus ædificatum et annuis reditibus dotatum, anno 1427 Beatæ Mariæ Virgini dicavit. Post mortem habuit plenum cum psalteriis monachatum et Anniversarium sub die 14 Februarii quo obierat, anno videlicet 1463. Ad ejus etiam instantiam Fridericus comes Morsensis, forsan ejus frater, inter mortuos Charta anni 1449 preces obtinuit; cujus etiam uxor denuntiata fuit anno 1459, ubi vocatur Engelberta de Clivis; quod nomen ei etiam tribuitur a Rittershusio licet perperam ab Hieronymo Henninges nominetur Beatrix. In Charta anni sequentis legitur et inter obitus : « Nobilis domina Catharina de Clivis et de Marka quæ habet Anniversarium sub die 2 Septembris. » Fuit hæc soror Engelbertæ. Alter quoque frater ejusdem Theodorici habuit tricenarium per Chartam 1458, ubi sic designatur : « R. P. Walramus de Morsa, electus et confirmatus episcopus Monasteriensis Ecclesiæ. »

Hermannus de Hassia et ipse archiepiscopus Coloniensis, filius fundatoris cartusiæ Vogelsbergensis, de quo suo loco, Cartusienses semper amavit; quem ideo magnus fautor Ordinis in nostris Chartis dicitur, cujus etiam obitus reperitur ad annum 1570, licet jam biennio ante obiisset ut asserunt Sammarthani.

Philippus de Oberstein, Hermanni successor, post obitum qui ponitur in Charta anni 1575, commendatur precibus Ordinis. Post eum nullus reperitur usque ad annum 1657, quo denunciatur cum Anniversario sub die 13 Octobris Ferdinandus archiepiscopus Coloniensis et episcopus Leodiensis, Monasteriensis et Hildesiensis.

*Præcipui cartusiæ promotores.*

Inter præcipuos qui se Walrami fundatoris in promovenda cartusia socios et adjutores exhibuerunt, primum sibi locum merito vindicat Constantinus Liskirchen miles, qui dono dedit fundum pro cœnobio extruendo. Ejus posteri etiamnum florent Coloniæ, Nostrosque suis pergunt fovere beneficiis. Alterum locum meretur Gerardus Scerfgin, scabinus Coloniensis, fundator primæ et antiquæ ecclesiæ ubi sepultus fuit anno 1340. Ex eodem genere prodierunt Joannes et Rembal-

ANNUS 1334

dus benefactores, et Franco Scerfgin qui in Charta 1390 denunciatur mortuus et dicitur Magister civium urbis Coloniensis, habuitque Brevem per totum Ordinem.

*Cellarum fundatores.*

Fundatores cellarum diversis extiterunt temporibus : Henricus de Revele sacerdos et Wolquinus, frater illius, mortuus anno 1350. Henricus Suderman anno 1366. Henricus Gronepape Tremonensis, cujus obitus extat in Charta anni 1386. Joannes Clonsvoet, sigillifer Ecclesiæ Monasteriensis, anno 1416. Lambertus de Monte, Doctor et S. Andreæ canonicus, anno 1484 ; cujus obitus his verbis habetur in Charta anni 1500 : « Magister Lambertus de Monte, sacræ Theologiæ professor, habens plenum monachatum in Provincia Rheni sub 17 Aprilis ; qui extitit plurium cellarum in ipsa Provincia fundator, et habet per totum Ordinem Missam de B. Maria. » In Charta anni ponitur Joannes de Monte, canonicus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Gradus apud Coloniam, qui forsan frater est præfati Lamberti. Joannes Lenep, alias Stummel, cellam quoque fundavit circa annum 1489. Willelmus Urfz, decanus ecclesiæ Collegiatæ S. Georgii Coloniæ, in Charta anni 1546 dicitur fundator unius cellæ.

*Amici speciales.*

Alii benefactores et amici speciales extiterunt : Reynardus de Pomerio, miles, qui in Charta anni 1383 dicitur Coloniæ reclusus, habuitque Brevem per totum Ordinem. Tyrus de Colonia simile beneficium habuit cum tricenario in eadem Charta, in qua dicitur magnus benefactor Ordinis. Domicella Catharina Gartzwiler de Colonia, in Chartis 1396 et 1397 dicitur magna benefactrix multarum Domorum. Albertus de Beveria, civis Coloniæ, ex Charta 1421. Jacobus Berensau, civis Coloniæ, anno 1433. Magister Henricus de Piro, præpositus S. Truberti Coloniensis et canonicus S. Pauli Leodiensis, anno 1439. Adolphus Bruler, quondam magister civium et reddituarius civitatis Coloniæ, et Agnes uxor ejus. Joannes Potet et Alerdis de Wilke cives ejusdem, ex Charta anni 1441. Joannes de Roerde, civis Coloniæ, anno 1447. Petrus de Udenheim, decanus majoris ecclesiæ Sanctorum Apostolorum Coloniæ, 1449. Christianus de Cipel, Legum Doctor,

ANNUS 1334

præpositus Beatæ Mariæ ad Gradus Coloniæ, 1450. Joannes de Verendorp, canonicus Coloniæ, 1451. Petrus de Merœde, canonicus S. Severini, 1452. Henricus de Hardefust, civis Coloniæ, ex Charta 1454, forsan ex genere sancti Patris Brunonis. Henricus de Xantis, Sacræ Theologiæ professor, canonicus S. Andreæ, anno 1455. Joannes de Serdmel, decanus SS. Apostolorum Coloniæ, anno 1456. Dorothea Koelsach, olim abbatissa Monialium reformatarum in Seyn Coloniæ, an. 1460. Nicolaus Rector Congregationis in Widembach Coloniæ, 1462. Joannes Rinck civis Coloniæ, ex Charta 1465 ; videtur esse frater Petri Rinck, Juris utriusque Doctor, qui anno 1453 Capitulum et bibliothecam hujus cartusiæ incendio fortuito consumptæ instauravit ; cujus obitus reperitur in Charta anni 1501, in qua dicitur magnus fautor Ordinis, et habuit plenum monachatum in provincia Rheni sub 8 Februarii. Joannes Poulart, cantor et canonicus S. Andreæ, anno 1466. Gerardus de Nussia anno 1499, vineas et agros dedit. Agnes Hardenradt anno 1535, et Joannes Hardenradt et Agnes uxor ejus anno 1548. Theodoricus a Meinertzagen, præpositus Aquisgranensis, vivebat anno 1529. Catharina Brandis, vidua illustris domini Rhan civis Coloniensis, anno 1610. Joannes Hollander 1613. Guillelmus Haistein U. J. Doctor et Consul Coloniæ, 1624. Joannes Remps, Cancellarius Archiepiscopi Coloniensis, habens Missam de beata Maria, 1632. Willelmus Salentinus, comes in Solm, canonicus Cathedralis Coloniensis et Argentinensis, anno 1635. Fridericus Georgius a Schorborn, metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ cantor, senior et præfectus Bingensis, octogenario major in hac Domo sepultus, anno 1640 ; habuit Anniversarium sub 2 Januarii. Reverendissimus Comes a Krichingen, metropolitanarum Ecclesiarum Coloniensis et Argentinensis respective decanus et canonicus capitularis, obiit ex Charta 1671.

PAUCA DE QUODAM HUJUS DOMUS NOVITIO.

VII. Sub initia fundationis hujus Domus, quidam Novitius in hac Domo ad Ordinem admissus, cum semel discessisset, ac postmodum denuo admitti postulasset, nequaquam voto quivit potiri suo, de quo hæc narrat noster Dorlandus :

« Habemus, ait, Domum Ordinis in Agrippina Colon., ad quam Scholaris quidam se contulit conversionis gratia. Receptus, probatus, appensus est, sed inventus est minus habens. Nam suadente salutis nostræ adversario qui illi importunus atque assiduus incumbebat, cessit improbissimo exactori, et dans locum diabolo, mundi palæstram iterum agressus est. Hæc est illa palæstra qua perditissimi homines diabolo militant, bravium æternæ perditionis sortituri. Huic tentationi cessit et locum dedit in die beatissimi Thomæ apostoli, sed rogantibus eum Priore et Fratribus, acquievit usque in diem protomartyris Stephani permanere. Ultra autem non sustinens, totum sese hosti tradidit et eodem die (non animadvertens præsentes solemnissimos dies) habitum rejecit, et ad seculum, ad fumigantem Sodomam quam ardebat, recucurrit. Compunctus tamen paulo post, ipso sacro Theophaniæ die rursum recipi se petiit, non tamen impetravit et merito quidem; suadet namque sanctissimus Hugo noster, Lincolniensis præsul, Ordini semper cavendum esse a levitate instabilium palearum. Hic igitur non admissus, cernens se non posse recipi, ista subintulit dicens : Merito Fratres nunc recipiendus essem, si expulsionis causam advertere dignaremini. Nam ipsa Vigilia Thomæ apostoli vidi hoc monasterium nigerrimis canibus plenum, qui latratibus et rictibus fugere hinc me compellebant. Quia igitur non mea sponte sed Zabuli importunitate victus terga præbui, oro ut vestra me clementia benigne recipiat, quem malignitas hostis ejicere cogitarat. Non est tamen ob hæc ad Ordinem reassumptus, occulto Dei judicio, aliud aliquid de eo disponente. » Hæc Dorlandus ; quæ fere centum ante eum annos retulit Hermannus a Petra, sermone 35 in Orationem Dominicam. Hactenus de Domo Coloniensi.

Chronicon Cart. Lib. VI. c. 13.

VIII. Hoc anno quidam pius civis Gratianopolitanus quasdam pecunias cunctis Ordinis Domibus distribuendas legavit; cui propterea singulare beneficium spirituale, gratitudinis ergo, per Chartam concessum est his verbis : « Obiit Bernardus Juliani de Gratianopoli, qui legavit toti Ordini in testa-

B. JULIANI TOTIUS ORDINIS BENEFACTOR.

ANNUS 1334

mento suo quadraginta libras grossorum turonensium, quam eleemosynam recipimus et acceptamus. Pro qua eleemosyna tam magna et bona, merito tenetur totus Ordo bona spiritualia compensare. Ideo juste duximus ordinandum (ut per beneficia Ordinis anima ipsius defuncti purgetur et a Domino mercedem recipiat, et nos debitum nostrum faciamus) quod usque ad decem annos, incipiendos a præsenti Capitulo, in qualibet Domo nostri Ordinis solvatur tricenarium pro anima dicti defuncti ; et in anno præsenti quilibet Monachus sacerdos dicat tres Missas cum tricenario, et non sacerdotes et Moniales dicant unum psalterium ; Conversi vero et Redditi dicant C *Pater noster* et totidem *Ave Maria*. »

DECRETA CAPITULARIA.

IX. Decreta hujus anni :

1. « Cum detestandum sit omnibus Religiosis proprietatis vitium, declaramus quod in nulla Domo nostri Ordinis sint aliqua bona propria vel distincta : id est quod nullus conventus vel aliqua persona cujuscumque Domus habeat vel custodiat separatim, appropriatim a bonis totius communitatis Domus ; sed omnia bona quæ possidet Domus, et eleemosynæ, dona, xenia quæ mittuntur, dantur et offeruntur Domui, conventui et personis. Prior, qui totam administrationem Domus habet et ad quem debet pertinere, recipiat, habeat et custodiat et distribuat et expendat, prout viderit secundum Deum et conscientiam communi utilitati Domus expedire ; quia secundum Scripturas et jura, bona communia debent privatis præferri. Eleemosynas autem denuntient conventibus Priores in Capitulo, et quantum poterunt bono modo, juxta voluntatem donatorum, distribuant indigentibus et illis quibus mittantur, omni superfluitate resecata, et pace omnium observata, ita tamen quod autoritas.... » Hæc postea fere de verbo ad verbum Statutis Novis inserta sunt.

2. « Inhibemus omnibus personis Ordinis ne inducant fundatores suos seu alios seculares ad scribendum Capitulo generali de factis particularibus et privatis Domorum ; et de correctione Monachorum et excessuum ipsorum, qui non debent ullatenus propalari, se nullatenus intromittant.

ANNUS
1334

3. « Præcipitur Priori S. Michaelis prope Moguntiam, quod quamdiu Bavarus qui sanctæ Ecclesiæ inobediens extitit, erit inobediens, in præsentia gentis suæ divina officia non celebrent * ; caute tamen et humiliter, propter evitanda scandala se habeat in præmissis. » Hic est Ludovicus, Bavariæ dux et Imperator, qui schisma fovebat.

* i. e. ejus Monachi.

4. « Præcipitur Priori Vallis Gratiæ prope Brugas, quod diligenter requirat virtute privilegiorum nostrorum monachum qui intravit ad Carmelitas. » Discordiam inter Carmelitas et Nostros ortam fuisse discimus ex Charta anni 1336, in qua de eodem negotio agitur his verbis : « Ordinabitur de subsidio faciendo Priori Vallis Gratiæ prope Brugas, cum quæstio quam habet cum Carmelitis sine debito fuerit terminata. »

5. « Prior Novæ Cellæ illum Monachum qui fuit Frater Minor antequam nostrum Ordinem intraret (in quo Ordine Minorum maculam irregularitatis contraxerat quam ingrediendo nostrum Ordinem omnino subticuit, ac post de nostro Ordine exivit) recipere non tenetur, sed illum ad suum primum Ordinem remittat.

6. « Injungitur Prioribus Casularum et Montis Brachi, ut quantocius potuerint, vadant ad Domum Montis S. Petri, et Priori præcipiant ut petat misericordiam ; quam eidem faciant indilate eo quod non se opposuerit, ut deberet, ne mulieres intrarent Domum suam, et quædam bona Domus suæ alienavit ; de quibus suam culpam recognovit.

7. « Conceditur iterum Priorissæ Montis Beatæ Mariæ de Gosnayo quod festum B. Catharinæ possit cum Capitulo celebrare ; et quod, pro impetrandis privilegiis in Curia Romana sibi necessariis, juxta formam et Statuta Nostri Ordinis possit mittere Procuratorem pium ad ipsam Curiam Romanam. Et hoc faciat per auxilium et preces amicorum suæ Domus. Et præcipitur Vicario ejusdem Domus ut sicut cæteri veniat ad Capitulum generale.

8. « Prior B. Mariæ de Capella, propter inordinatam petitionem quam fecit de ducendo monacho suo ad parentes suos

ANNUS 1334

contra Statuta Ordinis, sit extra sedem suam in ecclesia per unum mensem.

9. « Cum Priorissæ Cellæ Robaudi fuerit injunctum per Visitatores ut in Capitulo generali clamaret culpam suam super hoc quod decem Moniales suas, saltem permissive, fecit fugitivas per menses, et peteret misericordiam, quæ non fecit ; injungitur ei ut infra festum sancti Joannis Baptistæ petat misericordiam, et super prædicto excessu clamet culpam suam et super hoc etiam quod petit multiplicari conventum suum, cum non habeat unde illas quas habet commode valeat sustentare. » Moniales istæ dicuntur fugitivæ juxta stylum Statutorum, non quod habitum dimisissent aut extra Domum vel Ordinem aufugissent, sed quia contra Statuta, apud parentes per aliquot menses commoratæ fuissent, licet cum licentia Priorissæ.

10. « Ille Novitius Domus Januæ, qui per amicos suos violenter fuit de dicta Domo avulsus et per octo dies detentus, faciat professionem in fine anni probationis suæ, computatis illis diebus quibus violenter fuit detentus.

11. « Cum Visitatores Picardiæ Visitationis officium exercendo detenti fuerint et arrestati propter quædam pedagia ; et pro liberatione eorum Domus Vallis S. Petri fecerit expensas, ordinamus quod Domus dictæ Visitationis solvant illas expensas, cum sine culpa dictorum Visitatorum, qui modum patriæ ignorabant, acciderit eis detentio supradicta. Summa vero expensarum fuit sexaginta librarum cum decem solidis. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1335.

| Benedicti PP. XII | Ordin. Cartus. | Clari de Font. Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 1. | Ann. 252. | Ann. 5. |

I. ANNUS Christi trecentesimus trigesimus quintus supra millesimum, tertia Indictione, exoritur nobis, quo « Odo, Prior Angionis citavit Joannem de Rossilione abbatem S. Eugendi *, Cantorem, Infirmarium, Joannem de Gigniaco et Guillelmum dictum Alamant ejusdem Abbatiæ monachos, coram Guillelmo de Sure archiepiscopo Lugdunensi, quem Benedictus XI executorem et judicem nominaverat ad judicandum de injuriis per dictos de sancto Eugendo Domui Angionis illatis. » Injuriæ istæ gravissimæ erant, nam quingenti fere rusticani, quibusdam Abbatiæ sancti Eugendi monachis deducentibus, cartusiam vi et armis invadentes diripuerant et plura ejusdem ædificia penitus destruxerant. Tantorum causa malorum, ex jurgiis occasione limitum sat incerto constitutorum nascentibus, processit : utriusque Domus animalia casu aliquando, aliquando ipsis agentibus pastoribus, nunc abbatiæ, nunc cartusiæ pascua ingrediebantur ; inde litigia necnon et rixæ, et dum Monachi jura sua coram judice tueri nitebantur, eorum servi eadem jura vi et violentia defendere conabantur. Fatendum vero est sæpius possessionum confinia non tantum confuse, imo vero contrarie fuisse determinata, ut, exempli gratia, ex diplomate Friderici imperatoris cartusiæ Angionensi concesso (apud Lugdunum, XIV Kalend. Septembris, anno 1178) videtur, in quo omnes Domus terminos singillatim

ANGIONENSIS CARTUSIA DEVASTATUR,

* St-Claude.

Ex Catalogo ms. Priorum Angionens.

*a servis abbatiæ S. Eugendi.*

ANNUS 1335

enumerat ; in alio autem Instrumento quædam antiqua diplomata Caroli Magni in favorem S. Eugendi confirmante, idem Fridericus eosdem fines abbatiam inter et cartusiam designat sed alios ac illos ab ipsomet jam edictos. Quis ergo miretur, dum res ita se haberent, hujusmodi contentiones subortas fuisse ?

Lugdunensis Archiepiscopi sententia in casu de quo agimus omnino nos latet, sed ex communiter contingentibus, sic decisum fuisse putamus : agnoto scilicet Angionensium jure, S. Eugendi Monachi pastores colonosque suos improbarunt, quædam deinceps servanda spoponderunt, ac fortassis mulctam exiguam persolverunt.

DOMUS ORDINIS IN MORTUOMARI FUNDATUR,

II. Testamento suo, die 12 Aprilis hujus anni confecto, Petrus, de Mortuomari dictus, cardinalis et episcopus Antissiodorensis, Domum Ordinis nostri fundavit in provincia et diœcesi Lemovicensi, apud Mortuummare, Dominorum de Rupecavardi oppidulum. « Petrus (Gouin, latine Galvani vel Govani), ait Autor Historiæ Antissiodor. Episcoporum sæculo XIV, natione Aquitanus, genere mediocri, vir acutissimi ingenii, utriusque Juris professor solemnis, inter consiliarios Regis strenuissimus, a Sancta Sede regiarum interventu precum, ac ejus exigentibus meritis promotus, successit Petro de Grez Antissiodoriensi episcopo, in festo Omnium Sanctorum 1326. Strenue rexit sedem sed parum, quia (anno sequenti, xv Kalend. Januarii) effectus exstitit sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, tituli S. Stephani de Monte-Cœlio ; in quo statu vixit partem sollicitudinis dictæ Ecclesiæ portans, et de sancta vita famatus. Fundavit in loco originis propriæ quatuor conventus Ordinum Monachorum, scilicet Cartusiensium, et alios duos Ordinum Mendicantium. » Hucusque Autor Anonymus. Quæ de quadruplici fundatione, sat confuse scripsit, clarius insinuat Petri cardinalis epitaphium, quod subjicimus : « Hic jacet reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Petrus Galvani..... qui de Mortuomari suam originem traxit et in præsenti loco, ubi fuit natus, sepultus est : in quo loco tres Ordines fundavit, scili-

*una cum tribus aliorum Ordinum.*

cet Cartusienses, Augustinienses, et Carmelitas, et unum Hospitale [cum duodecim Capellanis] ad recipiendum pauperes et numerum duodecim puerorum instituit ; et obiit in die Veneris sancti, XVIII Aprilis, hora nona, anno Domini MCCCXXXV. » Si vero fidem habemus cuidam Majoris Cartusiæ Manuscripto, cujus est titulus : *Series Domorum Ordinis,* non Hospitium sed Collegiatam erexisset Petrus ; etenim ibi legimus : « Petrus S. Stephani, in Cœlio Monte presbyter cardinalis, quatuor ecclesias in oppido Mortuimaris fundavit : Collegiatam, Cartusiensium, Carmelitarum et Augustianorum. » Sunt qui putarunt ad usum quatuor istorum monasteriorum unicam et omnibus communem fuisse ecclesiam ; nec casu id accidisse vel ob pecuniæ inopiam, sed ex voluntate fundatoris. In hac unica ecclesia, prout Cardinalis disposuerat, tum Carmelitæ et Augustiniani, tum Capellani, officium diurnum pariter ac nocturnum omni tempore, semper et absque ulla intermissione cantare debebant, hac tamen lege ut Cartusiani, dum horis ab eorum Statuto præscriptis officium persolvebant minime turbarentur.

*Unica ecclesia pro omnibus.*

Hæc Domus modice et insufficienter dotata positaque in loco solitudini incongruo, a Nostris derelicta est anno 1413*, et juxta Fundatoris decretum, aliis Religiosis ibidem morantibus, transmissa.

* Vide ad hunc annum.

In Charta Capituli generalis anni 1335, Cardinalis de Mortuomari denuntiatur mortuus die 14 Aprilis, habens Monachatum et tricenarium per totum Ordinem. « Corpus defuncti, ait Autor anonymus jam citatus, deportatum fuit ad locum originis suæ et inter (quos fundaverat) Religiosos tumulatum. » Prior vero cartusiæ Glanderii, quæ non multum a Mortuomari abest, jussus fuerat sepulturæ Domini Cardinalis interesse ut per eum Ordo noster sui grati animi sensa propalaret : mandato haud acquievit dictus Prior, inde in Charta Capituli hæc audivit : « Priori Glanderii, non solum propter ejus instantiam, sed quia non interfuit sepulturæ Domini Cardinalis, ... fit misericordia. »

Obitum Petri de Mortuomari ad diem decimum octavum

ANNUS 1335

*Quo die obierit Fundator.*

Aprilis 1335, feria sexta hebdomadis sanctæ, refert ejus sepulchri titulus, cui tamen est neganda fides : constat quippe Pascha hoc anno in diem sextum decimum incidisse. Charta autem Capituli nostri generalis Petrum die quarta decima mortuum recte dicit : et sic iterum videre est quantæ sint autoritatis, quæ in his ad temporum ordinem pertineant, Capitulorum nostrorum Acta publica.

IMMUNITATEM DOMUS BASSÆVILLÆ EPISCOPUS ANTISSIODORENSIS CONFIRMAT.

III. Hoc anno, ut referunt Sammarthani, « in Bassævillæ Cartusianorum monasterio exceptus Aymericus Guenaut, Antissiodorensis episcopus, Monachis de immunitate cavit sua, scripto professus se devotionis, non jurisdictionis, causa eos invisisse :

Gall. Christ. XII. Instrum. fol. 1841.

« Universis, inquit, præsentes litteras inspecturis, Aymericus miseratione divina episcopus Antissiodorensis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos ad Prioratum monasterii Vallis sancti Joannis de Bassavilla, Cartusiensis Ordinis, nostræ Antissiodorensis diœcesis, die prima mensis Septembris anno Domini 1335 causa peregrinationis et devotionis, quam ad dictum monasterium et personas ejusdem habemus, personaliter accessisse ; ibique per totam diem moram traxisse ac etiam pernoctasse, non causa visitationis seu procurationis, sed solummodo causa peregrinationis et devotionis prædictæ ; tenore præsentium decernentes ac etiam declarantes dicto monasterio seu personis nullum per hoc seu propter hoc in futurum generari præjudicium, nec nobis nec successoribus nostris fuisse jus aliquod acquisitum. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum in dicto Prioratu, die et anno prædictis. »

CARTUSIÆ ARGENTINENSIS EXORDIA.

IV. Autor anonymus Chronici ms. Cartusiæ Argentinensis ejus sic refert exordia :

Ex Chronic. ms. hujus Domus.

« Anno a salutifero semper Immaculatæ Virginis et Matris Dei partu, millesimo trecentesimo trigesimo tertio, summo in terris Capite, Christi Vicario, existente Joanne vigesimo secundo, præsidente reverendissimo episcopo Bertholdo cathedrali Ecclesiæ Argentinensi, sub Reverendo Patre Generali

totius Ordinis Cartusiensis Claro de Fontanis, circa festum S. Jacobi venit primum, Spiritu Sancto afflatus, venerabilis ac religiosissimus in Christo Pater D. Joannes de Missena, Norinbergiæ oriundus, in civitatem Argentinensem ; habens socium V. P. Gerardum de Saxonia Monachum, et Conversum fratrem Gerardum Wernerum de Pinguia carpentarium.

ANNUS 1335

« Et mox ut advenit, sciscitatus est de domicilio Reverendissimi episcopi Bertholdi qui erat tum temporis cathedralis Ecclesiæ Argentinensis episcopus, filius landgravii de Buchock in Burgundia. Quod cum resciisset, subito se illuc cum prædictis sociis contulit, sui adventus causam explicavit, sanctum propositum aperuit, et ad illud exequendum Episcopi auxilium et consilium humillime imploravit. Episcopus, audita propositione et causa adventus rescita, maximo cum affectu hos tres velut de cœlo delapsos suscipit non secus ac olim Patriarcha Abraham tres de cœlo missos Angelos ; omnem mox favorem et juvamen promittit, totam suam diœcesim ut ubicumque placuerit loco habitare offert, præcipue tamen mentionem facit de loco Castri Paganici, quod erat extra civitatem Argentinensem inhabitabile. Ex tam benigna receptione et adeo gratiose facta promissione miro gaudio repleti, remeant hi primi Initiatores cartusiæ Argentinensis ad hospitium quod conduxerant, et exspectant auxilium de cœlo et juvamen ab hominibus bonæ voluntatis. Vivunt pariter diu noctuque Deo psallentes, exercitia spiritualia servantes, in oratione perseverantes et per hanc Deo negotium istud unice recommendantes.

*Primi Monachi adveniunt,*

« Transit annus millesimus trecentesimus trigesimus tertius a festo S. Jacobi et incipit trigesimus quartus ; tendit et hic ad medium nec tamen sentitur auxilium, ubique decursu malo seu Sathana persistente in via : ita ut decreverint mutare propositum et ad propria remeare sine executione finali. Consolatione autem divina recepta a Domino, qui in se sperantes non deserit, permanent ibidem in magna paupertate viventes, in angustiis et pressuris multis ; sed omnia de manu Domini suscipientes et pro amore ejus tolerantes atque

*et in summa vivunt egestate.*

ANNUS 1335

de eleemosynis Christi fidelium utcumque se sustentantes. Non modicum etiam animabat illos a quadam sanctimoniali prædicta prophetia : prædictum quippe erat per multos annos a quadam pia persona, Gilkendæ vel Gitkendæ nomine, reclusa et consecrata apud S. Aureliam Argentinæ, futuros scilicet sanctos homines de Religione in Alemania, ignota in hoc loco, et in Paganico Castro in magna paupertate cum magna constantia victuros ; et Paganicum illud Castrum fore sanctum aliquando claustrum, constanter asseverabat. His itaque sermonibus confortati et roborati perseverabant in loco hi tres prædicti, præstolantes auxilium de Sancto.

*Cives tandem opem ferunt.*

« Et ecce commovit Deus corda, post unum et medium annum adventus eorum, multorum Christi fidelium utriusque sexus et conditionis, ecclesiasticæ et sæcularis ; ita ut augeretur benefactorum numerus de die in diem, qui sua offerebant pro alimento servorum Dei, seque ad offerendum plura pro ædificatione novæ cartusiæ in loco Castri Paganici quem jam tum Episcopus Argentinensis illis concesserat, paratos ostendebant ; hæc tam largiter oblata, et plura promissa munera, animique fautorum et benefactorum ad benevolentiam omnino inclinati, incitabant primos illos supranominatos Patres ut jam cogitarent manum operi seriam applicare et opus aggredi novæ cartusiæ ædificandæ. Invocato itaque auxilio de Sancto, anno post Christum natum millesimo trecentesimo trigesimo quinto, delineatio fundamentorum paratur et eadem fundamenta novæ cartusiæ in loco prope Argentinam sæpe dicto jaciuntur ; et hoc et sequenti millesimo trecentesimo ac trigesimo sexto, trigesimo septimo, octavo, egregie laboratur ita ut præcipua pars monasterii perficeretur. Gaudium erat et magna voluptas dum certatim confluerent Christi fideles ad offerenda munera animo devotissimo ; quilibet memoriam posteritatis suæ in erectione hujus novæ Domus relinquere satagebat : hic pecunias, ille census perpetuos ; unus victui necessaria, alius structuræ materialia ; unus utensilia, alter argentea et aurea vasa, pleno corde perfectaque voluntate offerebat. Omnium horum nomina cum debita

*Domus ædificatur.*

gratitudine in speciali Libro Benefactorum sunt inserta ad perpetuam memoriam : ex quo colligere licet tempora illius sæculi aurea, nostra vero ferrea esse, quibus nulla jam monasteriis dona seu bona offeruntur, imo vero ne offerantur omni modo impeditur, eo quod ad manum sæculo mortuam illa deveniant, de qua amplius recipi non possint. Porro venerabilis Pater Joannes de Myssena Prior, et Pater Gerardus e Saxonia Procurator, cum fratre suo Converso Wernero de Pinguia, mediis istis in laboribus et curis vivebant pariter sicut tres Angeli Dei ; die ac nocte psallebant Domino, negotium illud ferventissimis orationibus ei commendabant, interioribus vacabant exercitiis et secundum morem Cartusianum talem ducebant vitam ut et Deo accepti et hominibus amabiles essent : unde odor virtutum eorum et sanctissima ac honestissima conversatio eorum totam undequaque Alsatiam perfudit. Verum V. P. Gerardus e Saxonia Domus Procurator hoc anno obiit.

ANNUS 1335

*Primus Domus alumnus.*

« Erat tum temporis in Alsatiæ partibus Clericus quidam nomine Joannes de Gotts Kiresson postmodum dictus : Coloniensis. Hic erat vir magnæ autoritatis et altæ reputationis apud Statistas ; ille sancti Ordinis amore et piæ horum prædictorum conversationis exemplo allectus petiit admitti in consortium illorum ; admissus fuit et professus primus in nova cartusia Argentinensi, in tantum perfecta, ratione ædificiorum, ut jam quatuor et ultra possent inhabitare, anno Christi millesimo trecentesimo trigesimo nono. Ipse quoque Reverendissimus Episcopus Argentinensis videns profectum operis incœpti et in dies majus majusque incrementum novæ hujus plantationis, novo diplomate concedit, ratificat et confirmat ut in loco supradicto ædificent ; et omnia privilegia et libertates ecclesiastici Collegii ut nanciscantur vigorem suæ autoritatis impertit in hæc verba, nunc scripto quæ alias ore protulerat :

*Diploma fundationis ab Episcopo concessum.*

« Nos Bertholdus Dei gratia episcopus Argentinensis, notum facimus tenore præsentium universis, quod nos laudabilis vitæ puritatem sanctæ plantationis Ordinis Cartusiensis, cu-

ANNUS 1335

jus alta humilitas præ cæteris Religionibus coruscat, in horto Domini attendentes : ejusdem Ordinis Fratribus, ut se in area extra civitatem Argentinensem super Bruscia inter Koenigshoffen et Eckebolsheim collocent et recipiant, Domum novam et monasterium cum basilica construendo, indulsimus et concessimus ; et præsentibus indulgemus eidem sacræ plantationi favente Altissimo construendæ, ut divinæ domus et ecclesiastici Collegii nomen, privilegia et libertates nanciscatur, nostræ autoritatis Ordinariæ impertientes vigorem ; firma spe concepta quod per Fratrum inibi per gratiam Dei recipiendorum devota precamina, Ecclesia nostra Argentinensis, et civitatis et diœcesis nostræ cleri et populi, virtutum gratiis et spiritualibus proficiant incrementis. Datum Benofeld, sub sigillo nostro episcopali, anno Dei 1339, feria sexta ante festum S. Joannis Baptistæ. » Hoc eodem anno 1339, ut infra dicemus, incorporata fuit hæc Domus Ordini nostro.

FUNDATIONIS VALLISCLARÆ CONFIRMATIO.

V. Mortuo Idib. Sept. 1334, Archambaudo de Talleyrand, Vallis claræ, ut diximus, fundatore, Rogerius Bernardi, ejus frater et successor, ut suum in Nostros demonstraret affectum, sequenti carta omnes Archambaudi donationes ratas habere voluit et confirmare : « Universis præsentes litteras inspecturis, nos Rogerius Bernardi, comes Petragoricensis, salutem, ac fidem præsentibus adhibere. Noveritis quod quondam inclytæ recordationis dominus Archambaudus, quondam comes Petragoricensis, charissimus germanus noster, pro sua suorumque salute fundaverit et ordinaverit quemdam locum vocatum de Valle clara subtus Montignacum, Ordinis Cartusiensis ; et dicto loco ac Patribus conventus dicti loci de Valle clara, quos ibidem venire et habitare fecit, dederit ille in perpetuum in eleemosyna, pro sustentando vitam eorumdem et pro salute animæ suæ et parentum suorum (ut prædictum est) res et bona quæ sequuntur : videlicet dictum locum de Valle clara cum suis juribus et pertinentiis universis, situm subtus dictum locum de Montignaco inter fluvium Aelle ex parte una, et iter per quod itur de Montignaco versus Pisonem ex alia ; item duas petias vineæ

sitas in parochia S. Martini de Montignaco, quarum una est inter dictum locum de Valle clara, quodam itinere intermedio, ex parte una, et vineas Petri de Lespau ex alia et patris Domini Comitis ex altera; alia vero est inter locum de Valle clara quodam itinere intermedio ex parte una, et pratum heredum quondam Bruni de Saga domicelli ex alia, et vineam Guillelmi Pinchon ex alia. Item quoddam anguillare quod est subtus Lictermet in fluvio Aelle, cum omnibus ripis, ingressibus, egressibus ac pertinentiis suis universis; item quamdam boriam vocatam de la Pomareda, cum omnibus juribus diversis ac pertinentiis suis, sitam in honore* Montis-pavonis, in parochia S. Martialis d'Artensa, inter tenancias de la Rambaudia ex parte una et mansum heredum Guillelmi Giraud ex alia parte, cum tenentia de Puerboson.... Item decimam ad ipsum germanum nostrum spectantem in parochia de Avancens, cum omnibus diversis juribus, exitibus et proventibus universis. Et nos Comes prædictus, dicti charissimi germani ac prædecessoris nostri vestigiis inhærentes ejusque propositum et voluntatem tenere et servare pro viribus cupientes, gratis et sponte, omni dolo et fraude cessantibus in hac parte, ex nostra certa scientia, pro nostris et nobis, dictam donationem et promissa omnia et singula supradicta, dictis Priori et Conventui dicti loci pro se et suis ad perpetuum, tenore præsentium confirmamus, ratificamus et etiam approbamus; et volumus et concedimus quod ista donatio sit facta de prædictis per prædictum quondam germanum nostrum Priori et Conventui supradicto, valeat ac obtineat ad perpetuum omnimodam et irrevocabilem roboris firmitatem; et quidquid juris, actionis, possessionis et proprietatis nobis competit in præmissis, totum illud transferimus in eosdem ad habendum, gerendum, levandum, perficiendum, ac perpetuo jure pacifice possidendum et faciendum, et inde deinceps, tanquam de re sua propria omnimodam voluntatem : ita tamen quod dicti Prior et Conventus et successores eorumdem, ibidem in dicto loco moram contrahere teneantur et Deo serviant, videlicet pro salute animæ nostræ et dicti germani

ANNUS 1335

*Donationes exponuntur.*

* territorio.

ANNUS 1335

nostri et omnium parentum nostrorum. Quæ promissa omnia et singula, rata, grata et accepta habentes, et tenere et servare ad perpetuum promittimus eisdem Priori et Conventui pro se et successoribus suis, et in contrarium non venire per nos vel per alium aliqua ratione, vice vel ingenio, tacite vel expresse; et de promissis omnibus et singulis, pro nobis et nostris nos facere et portare eisdem bonam et firmam et sufficientem in omnibus quarentiam: in cujus rei testimonium Nos, comes prædictus, damus et concedimus et fieri volumus dictis Priori et Conventui has litteras præsentes, sigilli majoris munimine roboratas ad majoris roboris firmitatem. Datum apud Montignacum in vigilia S. Joannis Baptistæ, anno Domini millesimo CCC trigesimo quinto. »

ORDINATIONES.

VI. Ex Capituli generalis hujus anni Charta Ordinationes sequentes merito describendæ veniunt :

1. « Pro Summo Pontifice nostro Benedicto Papa XII, ordinamus unam Missam in Conventu et aliam in privato in qualibet Domo Ordinis, ab omnibus sacerdotibus celebrandam. » Abhinc incœpit hæc *Missa pro Papa* quæ quotannis usque nunc per Chartam Capituli generalis ordinatur.

2. « Novam constitutionem de Monachis semel singulis mensibus communicandis, per Sedem Apostolicam specialiter ortam, causa devotionis extendi volumus ad Nostros; cum præ cæteris Religiosis devotioni debeamus intendere: statuentes quod quilibet Monachus non sacerdos et Clericus Redditus apud nos, in prima Dominica cujuslibet mensis ad minus, juxta tenorem dictæ constitutionis, cum debita præparatione recipiat Eucharistiæ Sacramentum. » Clemens V, in Concilio Viennensi, hanc constitutionem pro Monachis Ordinis S. Benedicti ediderat.

3. « Consuetudinem Domorum Ordinis in quibus, diebus singulis, Missa de B. Maria Virgine dicitur, tanquam sanctam et laudabilem approbamus et etiam confirmamus; consulentes et monentes in Domino nonnullos Priores et Monachos præfatæ consuetudini contrarios, quatenus ad honorem Dei et

*Missæ quotidianæ de Beata usus laudatur.*

ipsius beatæ Virginis dictam consuetudinem devotionis specialis intuitu, imitentur. »

In iisdem Comitiis, Domus in Germania separantur a Provincia Lombardiæ, et nova instituitur, sub nomine Provinciæ Alemaniæ.

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1336.

| Benedicti PP. XII Ann. 2. | Ordin. Cartus. Ann. 253. | Clari de Font. Pr. Cart. Ann. 6. |
|---|---|---|

VESTIUM FUNDATIO AB HUMBERTO DELPHINO FACTA.

I. ANNO Redemptoris sexto et trigesimo supra millesimum trecentesimum, Indictione quarta, Humbertus dalphinus memoriam sui apud Majorem Cartusiam vestium fundatione reddidit immortalem, ut constat ex illius animæ commendatione quæ singulis Dominicis coram Conventu solet fieri et fiet quamdiu stabit Cartusia. Hujus fundationis primum Instrumentum, quod ipse Princeps apud Majorem Cartusiam constitutus coram toto Conventu confici jussit, hujus est sententiæ :

Cartul. Maj. Cartusiæ.

« Humbertus dalphinus Viennensis, dux Campisauræ, Viennæ et Albonis comes ac Palatinus. Notum facimus quod nos volentes Dominum Deum nostrum, a quo bona cuncta percepimus, de data nobis ab eo substantia honorare, et temporalia transitoriaque bona pro spiritualibus et æternis salubriter commutare, pro remedio animæ nostræ..... concedimus et largimur donatione pura, efficaci, forma ut melius potest intelligi, irrevocabiliter inter vivos, Deo et B. Mariæ semper Virgini et beato Joanni Baptistæ et Majori Domui Cartusiæ quæ ad eorum honorem specialiter est fundata, religiosisque viris dilectis et devotis nostris Priori et Conventui dictæ Domus et eorum successoribus, centum solidos grossorum turonensium argenti, monetæ Regis Franciæ bonæ legis et justi ponderis, cum O rotundo, perpetui reditus, modo et forma quæ inferius describuntur. Et ut donationis

nostræ præsentis effectus et executio facilius habeantur, nobilibus viris, dilectis fidelibus Joanni Alamandi, domino Sichillinæ, et Francisco de Thesio domino de Thorano, militibus, consiliariis nostris, harum serie committimus et mandamus quatenus, postpositis quibuscumque aliis negotiis nostris, assignationem et affectamentum dictorum centum solidorum dictis Domui et Conventui studeant affectualiter adimplere... Volumus insuper et ordinamus quod pro et de prædictis reditibus Conventus Monachorum dictæ Domus et Clerici Redditi, annis singulis circa festum Omnium Sanctorum, de bono panno in eadem Domo fieri solito vel æquivalenti, sine defectu quolibet, induantur : tunica videlicet, cuculla, caligis, almucia de bono panno et duobus peduliorum paribus ; et de biennio in biennium, circa prædictum festum Omnium Sanctorum, fiat et detur cuilibet Monacho et cuilibet Clerico Reddito una bona pellicia nova de pellibus agninis. Et similiter circa prædictum festum fiat et detur cuilibet Monacho et Clerico Reddito, de triennio in triennium, unus bonus pelliciolus de pellibus agninis similiter ; ita quod, quantum annis singulis dabitur de vestibus novis cuilibet Monacho et Clerico Reddito, tantum quilibet de suis veteribus vestibus reddere teneatur. Et prædictas vestes Prior et Procurator qui pro tempore fuerint, pauperibus Christi pro remedio animæ nostræ, pure amore Dei, annis singulis faciant erogare. Similiter quando pelliciæ et pellicioli tradentur, quilibet tantum de veteribus quantum de novis recipiet reddere teneatur. Et dictæ pelliciæ et pellicioli prædicti Fratribus Conversis et Redditis similiter pro animæ nostræ remedio tribuantur. Qui Fratres quantum de dictis pelliciis et pelliciolis recipient, tantum de suis veteribus reddere teneantur. Quæ ex integro, sicut supradictum est de vestibus, præfatis temporibus, pure pro remedio animæ nostræ et prædecessorum nostrorum, amore Dei pauperibus erogentur.

*Vestes veteres pauperibus erogantur.*

« Nos vero Prior et Conventus prædictæ Domus Majoris Cartusiæ propterea unanimiter convocati, promittimus bona

ANNUS 1336

fide in verbo et voto religionis, ordinationem prædictam dicti domini Dalphini de faciendis, reddendis et erogandis vestibus, pelliciis et pelliciolis et aliis suprascriptis quæ per nos incumbunt et designantur, fieri attendere, complere et inviolabiliter per nos et successores nostros perpetuo observare, nullo inobservantiæ vel conditionis exquisito colore. Datum in Domo prædicta Cartusiæ sub annulo secreto una cum aliis nostris sigillis, die penultima Septembris, anno M CCC XXXVI. »

Tribus post annis, alias litteras amplissimas apud Pontem Sorgiæ, Avenionensis diœcesis, scribi jussit quibus annuum reditum promissum assignavit. Quæ quidem omnia ejus uxor eodem anno approbavit.

AYMO COMES IN MAJOREM CARTUSIAM LIBERALIS.

II. Aymo comes Sabaudiæ pia ductus æmulatione, nolens se inferiorem liberalitate Nostris exhibere quam Humbertus, multa quoque beneficia, uxore consentiente contulit, ut colligimus ex Charta hujus anni in qua Patres, ne apud Ordinem periret tanti Principis munificentiæ memoria, illum his verbis gratiæ causa commendant : « Orabitur pro illustribus domino Comite Sabaudiæ et domina Comitissa ejus consorte et liberis eorum. Et quia liberales sunt Ordini in eleemosynis largiendis, et in ejus necessitatibus favorabiliter gratiosi, conceditur eis tricenarium per totum Ordinem. » Et in Charta anni 1338, iterum jubetur « orari pro domino Comite Sabaudiæ, speciali nostri Ordinis benefactore, et pro domina Comitissa ac liberis eorum, et pro omnibus pro quibus postulant atque rogant. » Et anno 1340 indicitur « una Missa de Spiritu Sancto per omnes Domos Ordinis pro inclyto Principe domino Aymone, comite Sabaudiæ et ejus consorte. » Denique mortua præfata Comitissa an. 1342, ejus obitus per Chartam anni sequentis his verbis denunciatur. « Obiit illustris domina Uxolenta (*al.* Violenta) comitissa Sabaudiæ, cui ob reverentiam domini Comitis conceditur tricenarium. Pro cujus prosperitate et pace per omnes Domos Ordinis orabitur et dicetur Missa de Spiritu Sancto specialis in qualibet Domo. » Sed paulo post obiit idem Aymo die 24 Junii, cujus obitus debuit denunciari an. 1344; at Chartam ejusdem anni non habemus.

ANNUS 1336

PRATIBAJONIS MONIALES AB ORDINE DEFICIUNT.

III. Ab anno 1292 quo vidimus horrendum carmen diræ interdictionis Sacrorum in Moniales Pratibajonenses pronunciari, licet paulo post restitutæ fuerint et Ordini reconciliatæ, nihilominus observantia cœpit sensim elanguescere donec tandem malitiam suam complentes, Patrum obedientiam Ordinisque jugum penitus excusserunt circa præsentem annum, quod quidem colligimus ex Chartis capitularibus. Et primum quidem anno 1334, cum Priorissa misericordiam ab officio juxta formam Ordinis petiisset, licet sibi eam fieri non cuperet, « reservatur, inquiunt Patres, Priori Cartusiæ, qui faciet ei misericordiam quando viderit expedire et quantocius poterit, rescribet ei et suo Conventui hortando et consulendo ut se conforment Ordini sicut et cæteræ Moniales. »

OBITUS REGIS ARRAGONUM,

IV. Hoc anno, nono Calendas Februarii, obiit Alphonsus IV rex Arragonum et per Chartam habuit tricenarium. Sub finem ejusdem anni in Majori Cartusia defunctus est etiam Jacobus Vethone dictus de Scalis, ex natali solo, oppido videlicet Sabaudiæ. Hic ex professo Cartusiæ præfectus est circa annum 1314 Domui Correriæ, cui multa contulerat pater ejus, Humbertus de Vethone, vir nobilis qui præter Jacobum alium quoque filium, Humbertum dictum, Ordini dicavit in Domo Sylvæ benedictæ. Jacobus vero plurimum profecit eidem Domui Correriæ, impetratis ab Amædeo comite Sabaudiæ multis gratiis et reditibus. Deinde translatus ad regimen Excubiarum, Nobiles vicinos eidem Domui infensos autoritate Principis Dalphini compescuit. Cumque Major Cartusia vexationibus Domini Intermontium opprimeretur, nostrum Jacobum suum instituit Procuratorem, a Prioratu propterea Excubiarum absolutum ; qui quantum insudaverit pro tuendis Cartusiæ juribus non solum patet ex his quæ diximus annis superioribus, sed maxime ex Charta anni 1334, ubi studium ejus tum erga Domum Cartusiæ, tum erga totum Ordinem commendatur et remuneratur his verbis: « Committitur Priori Cartusiæ ut de Jacobo Vethone Procuratore Cartusiæ, qui multum laboravit pro Ordine et adhuc

*et V. P. D. Jacobi de Vethone, Cartusiæ Procuratoris.*

ANNUS 1336

laborat, ut laboret adhuc libentius et patientius pro Domo Cartusiæ et pro Capitulo generali, possit ejus beneficium spirituale augmentare secundum quod sibi videbitur expedire. » Hæc Charta ; quæ videntur dicta ut in officio perseveraret, sed ipse salutem suam velut unum sibi necessarium cunctis aliis negotiis præponens, apud Priorem Cartusiæ adeo vehementer egit ut misericordiam ab officio impetrarit, velut si finem præsensisset suum. Vix enim cellæ restitutus, in pace quievit tertio Calendas Decembris hujus anni, et in Charta sequenti habuit plenum monachatum.

ACTA B. PETRONI PROSEQUUNTUR.

V. Circa hæc tempora, Petrus Petroni præclarum humilitatis præbuit exemplum, in hoc quidem potius admiratione quam imitatione dignus. Cum enim ad Sacerdotii dignitatem Superiores eum promovere vellent, ipse, ne munus illud Angelicum subire cogeretur, sinistræ indicem sibi abscidit, ut fusius his verbis enarrat supracitatus Bartholomæus Scala : « Petrum interim, ait, ad Evangelicæ perfectionis fastigium hisce gradibus, quemadmodum supra demonstratum est, ascendentem, majoresque quotidie in Christianæ humilitatis atque obedientiæ virtute efficientem processus, visum est cœnobii Præsidenti, ad Diaconatus ordinem jam promotum, ad Sacerdotii quoque apicem evehendum : quo per istiusmodi dignitatis munus magis idoneus evaderet ad cætera Ordinis ministeria exequenda. Hæc ut primum ad aures Petri perveniunt, mirum quam graviter ac dolenter ea ipse acceperit : unum tantummodo per id maxime tempus laborans, qua scilicet ratione tam honorificum munus effugere posset, indignum se prorsus existimans, cui tantum onus Angelicis humeris formidandum demandaretur ; scilicet veritus ne, per hanc speciosam occasionem, ad aliorum regimen rerumque administrationem iter sibi aperiretur, cum et subesse perpetuo potius quam præesse fixum illi esset, simulque constitutum, quoad per eum fieri poterat, nunquam se rerum temporalium tricis involvere : in sermone quotidiano usurpare solitus, res temporarias illarumque curationes plurimum homini ad cœlestia anhelanti afferre

Cap. VI.

*Indignum se ratus,*

detrimenti, ac majoribus pretiosioribusque muneribus eum expoliare atque nudare. Quocirca, cum id ipsum nosset præclare, facere non poterat quin omnem quo posset conatu obsepiret viam, qua cum honoribus pro Ordinis consuetudine tum rei familiaris administrationi aditus pateret minime dubius, hoc degendæ vitæ genere facilius se humilis magistri sui Christi vestigia persecuturum.

ANNUS 1336

« In hac itaque deliberatione obfirmato animo cum esset Petrus, Cœnobiarcham ultro convenit ; ejusque pedibus advolutus, suum illi aperit consilium, sibique fixum in animo exponit, nunquam se velle suscipere Sacerdotii dignitatem ; quoniam suæ ipsius imperitiæ conscius, negat se posse, salva religione, hujuscemodi subire munus : proinde eum vehementer obsecrare obtestarique per Christum Dominum, ne ad id onus suscipiendum cogatur. Munus longe suis viribus impar, dignioribus, doctioribus, sanctioribusque demandandum ; se sua pernosse vitia, suæque licet imbecillitatis haud ignarum, paratum tamen esse pro viribus in cæteris Ordinis functionibus, quæ ad privatæ vitæ rationem spectant, omnia semper excipere munia ; in Sacerdotio vero suscipiendo, se non esse eum qui ejus partes pro rei majestate adimplere posset : quandoquidem divinam pene virtutem, et omnibus numeris absolutam tum corporis tum animi integritatem exigit. Satis superque auctum se atque cohonestatum Diaconatus ordine, ad cujus dignitatis gradum se prorsus indignum ascendisse, si recte meminerit quæ Apostolus scribit cum ad Timotheum, Diaconi mores, integritatem, et virtutes exponit : denique nihil non facere, nihil non dicere, ut ejusmodi se munus declinare permitteret. Nec incassum plane : siquidem Cœnobiarcha, modestiam Petri atque animi submissionem satis admiratus, gratulatusque pariter illius mentis candorem, peramanter in ejus ruit amplexus (quippe nihil æque valet, ad hominum benevolentiam nobis conciliandam, atque submissio moderatioque) eumque adhortatur ad Ordinis consuetudinem se ut accommodet ; quod per hanc, vel omnium primam uti et præstantissimam inter omnes Mona-

*instat apud Priorem, ut non fiat sacerdos,*

*nec frustra,*

ANNUS 1336

chorum functiones, majorem se liberius Deo conjungendi habiturus sit facultatem. At pius juvenis nihilominus, parendi longe quam imperandi avidior, rursus Cœnobiarcham precatur precibus quidem infimis, ne a suscepto proposito se patiatur abduci. Demum id in præsentia tenuit ægerrime, aliis quam plurimis excusationibus ad frustrandum allatis, ut multum intercesserit tempus, quo nulla sollicitudine de proposita sibi dignitate premeretur.

*sed ab illius successore coactus.*

« Interea Francisco olim Altoviti, Domus Præsidenti, Franciscus Turæ Montaninus, Senensis, sufficitur ; qui cum Petri consilium nullo pacto probaret (ut qui præclare intelligebat, quantum ad Dei gloriam propagandam splendoris, ad mortalium vero salutem commodi, conferant per Sacerdotium, qui una cum morum integritate conjunctam habent innocentiam vitæ atque sanctimoniam), non modo aliquid eorum, quæ ad Sacerdotii gradum detrectandum Petrus afferebat, ad animum non admittebat, sed ne ad aures quidem ; quin etiam illum monet hortaturque ut oneri supponat humeros, et Patrum consilia volenti libentique animo amplectatur. Et ecce novum in Petro certamen sui deprimendi ac submittendi, ecce rursus angustiæ. Etenim quibus humilitatis studiis Cœnobiarchæ voluntatem ad suam flectere se posse putabat, iisdem ipsis vehementius multo eum inflammabat, ut se de munere obeundo ad arbitrium ejus totum componeret. Quapropter cum omnem præreptum precibus locum, atque nullum esse reliquum perfugium ad evadendum Petrus cerneret ; ac propius jam abesset ut manus daret, quam optata ex sententia consequeretur ; interiori quam antea cura excubavit animo, iis studiosius observandis, quæ potissimum eum voti compotem facerent. Sed primum omnium ad Numinis voluntatem explorandam, ejusque auxilium in rebus suis afflictis vocandum, per multas preces incumbit, ut in summa voluntate Christi consilia exequendi eam sibi injiciat mentem, qua et aditum omnem huic dignitati obstrueret, et sui pariter contemptum, non verbis modo sed re ipsa, per omnem vitam persequeretur. Nec in irritum

*implorato Numine,*

fusa obsecratio. Nactus enim spatium per eos dies medicum alloquendi familiariter, quærit ab eo, utrumnam, si unus ex altera manuum digitus cuipiam omnino amputaretur, mortis ille discrimen adiret : ex quo cum hoc tulisset responsum, nihil videlicet in ea obtruncatione subesse periculi præter doloris ; vix credas, lætior quam sit effectus, non desperans fore, ut ea maxime ratione, rem utique ex animi sententia ipsemet conficeret. Id quod ab ipso Physico, quem vocant, ea animi dexteritate atque adeo tortuosis quibusdam interrogatiunculis expiscatus est, ut nunquam cogitatione assequi potuerit, quorsum isthæc Petri oratio tenderet.

ANNUS 1336

*et medico consulto,*

« Quid multa ? Igne humilitatis, velut œstro quodam, percitus Petrus, rem aggredi statuit omnino ; omni spe videlicet in uno Deo rei bene gerendæ reposita. Per summam itaque speciem quodam die cochlearia lignea conficiendi, salutarem sinistræ digitum putatorio scirpiculo sibi prorsus abscidit ; atque usque adeo constanter in se ipsum sævire ostendit, ut generoso ac alto quodam sui contemptus spiritu concitatus, nihil doloris visus sit pati ; quoniam nullo emisso ejulatu, nullo edito gemitu, ac si omnino doloris vim non sentiret, fortiter sectionem illam tulerit. Neque tamen id egregium humilitatis facinus suo tum caruit præmio. Tanta quippe repente divinæ dulcedinis vi perfundi se sensit, ut, sicuti sub mortis suæ tempus confessus est, nova in præsentia divinæ gratiæ luce ejus menti oblata, certum de futura in cœlesti patria felicitate et gloria consequenda pignus acceperit. Verum, ne quid hic deesset ad probandam Petri patientiam, factum est, ut experimento exin didicerit, valde sibi care illam qualem dulcedinem stetisse : quandoquidem (uti chirurgus, qui ei medicinam fecit quique illi superstes fuit, satis constanter asseveravit) Petrus inter curandum ex nimio dolore in terram sæpenumero corruebat exanimis. Atque tandem hoc validissimo impedimento fecit effecitque ut in omni vita dignitatem ullam inire potuerit nunquam : itaque in sinu gaudens desiderium suum explevit, se scilicet omnium vel infimum cunctisque subjectum exhibendi pariter ac

*indicem sinistræ manus sibi abscindit.*

ANNUS 1336

vocitandi; Franciscum Assisinatem, cujus in defugiendo Sacerdotii munere exemplum in intimis medullis sibi semper inhæserat, imitatus; dein Ammonium eremitam æmulatus eximie; in utroque vero altissimam Christi Domini humilitatem secutus, qui non ministrari sed ministrare se venisse, verbis simul et factis sane quam egregie, dum inter mortales immortalis ipse Deus ageret, ostendit. »

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1337.

| Benedicti PP. XII | Ordin. Cartus. | Clari de Font. Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 3. | Ann. 254. | Ann. 7. |

I. ANNUS a Virgineo partu septimus et trigesimus supra millesimum trecentesimum, Indictione quinta, sequitur, quo Clarus majorem curæ et cogitationis suæ partem derivat in stabiliendos ac redimendos Capituli generalis reditus annuos. Amblardus quondam Maurianensis episcopus et Domus Coreriæ fundator suo testamento mille libras legaverat, quibus proventus Capituli generalis augerentur. Hujus summæ solutio post illius mortem ab hæredibus per plures annos dilata fuit, nec eam nisi particulatim Nostri receperunt. Reliquam hujus capitis pecuniam hoc anno expeditam Clarus in novis censibus ad usum Capituli generalis comparandis, cum centum solidis turonensibus a Jacobo de Combis, Corbelli curione, pie erogatis, simul adhibuit ; facta hunc in finem Guillelmo de Gillie Converso procurandi potestate per syngraphum quo sibi hos titulos adscribit :

R. P. CLARUS REDITUS CAPITULI GEN. STABILIRE STUDET,

*quos legaverant Amblardus Maurian. episcopus,*

*et curio Corbelli, Jacobus de Combis.*

« Nos F. Clarus Prior Cartusiæ, vicarius gerentesque vices ac fungentes potestate et autoritate Capituli generalis super annum, fecimus et ordinavimus nomine quo supra certum et indubitatum Procuratorem et yconomum ac nuntium specialem, videlicet fr. Guillelmum de Gillie, Conversum Domus nostræ Cartusiæ, ad emendum reditus ad opus prædicti nostri Capituli generalis... etc. Datum 3 die mensis Februarii, anno Domini M CCC XXXVII. »

ANNUS 1337

Eodem mense plura bona acquisivit præfatus Conversus, ut ex variis Instrumentis constat. Cumque Jacobus de Viviaco quondam Prior Cartusiæ, et Joannes Piscatoris tunc ejusdem Procurator, rationem de his retulisset Diffinitoribus, tricenarii perpetui beneficium olim præfato Amblardo datum, his verbis in Charta renovatur : « Tricenarium quondam concessum domino Amblardo Maurianensi episcopo annis singulis persolvendum circa festum B. Marci Evangelistæ, de cætero persolvatur sicut fit in Domo Cartusiæ tam pro ipso quam pro suis parentibus. Et præterea Nos, G. Silvæ benedictæ, G. Vallis Omnium Sanctorum, P. Vallis Sanctæ Mariæ, E. Fontis Beatæ Mariæ, P. Montis Dei, F. Montis benedicti, H. Fontaneti Priores et G. Monachus Cartusiæ, Diffinitores Capituli generalis ; per præsentes notum facimus quod cum bonæ memoriæ dominus Amblardus Maurianensis episcopus dederit nostro Capitulo generali mille libras viennenses, in emptionem redituum ad opus dicti Capituli per venerabilem P. D. Priorem Cartusiæ qui foret pro tempore convertendas, quæ quidem pecunia tunc temporis valebat 49 libras et undecim solidos grossorum turonensium monetæ regis Franciæ ; et dominus Jacobus de Combis, curatus ecclesiæ de Corbello, dederit dicto Capitulo generali centum florenos de Florentia qui valent centum solidos gross. turon. in usus similes convertendos : in nostra præsentia constituti viri religiosi D. Joannes Piscatoris Procurator et D. Jacobus de Viviaco Domus Cartusiæ Monachi, nomine et ex parte D. Prioris et Conventus Cartusiæ, facto legitimo computo, evidenter et veraciter ostenderunt quod tam D. Prior qui nunc est quam D. Prior Aymo prædecessor ejus, prædictam pecuniam in emptiones annuorum redituum converterunt, etc. Datum quarta die Capituli generalis. » Præfatus Jacobus de Combis videtur alia bona iterum contulisse, unde post mortem nomen magni benefactoris meruit.

*Perpetuum tricenarium D. Amblardo concessum.*

Ex Charta 1349.

Petrus quoque Arragonum rex, ad nostri Clari preces et diligentiam annuos reditus ab Ildefonso Casto in sumptus

Capituli generalis assignatos et a successoribus ejus confirmatos, sed quorum solutio ab aliquot annis intermissa fuerat, nova liberalitate restitui jussit ; ut colligimus ex Charta Capituli generalis, quæ ideo declarat quod « orabitur pro domino Rege Arragonum et Regina (Maria) et pro suis, quia renovavit idem dominus Rex eleemosynam per prædecessores suos olim factam Capitulo generali ; » et pro eis injungentur orationes speciales. Et inferius in dispositione Domorum : « Conceditur Priori Cartusiæ ut possit augmentare beneficium quod habet D. R., Prior Scalæ Dei (is est Raymondus de Bosch qui post mortem habuit tricenarium), pro eo quod laboravit fideliter et utiliter pro Ordine, recuperando eleemosynam domini Regis Arragonum quæ fere erat amissa. » Deinde sæpe sæpius per Chartam decernitur Missa vel tricenarium de Spiritu Sancto pro eodem Rege ad obitum illius, de quo dicemus suo loco.

*Rex Arragonum Petrus reditus Capit. general. assignatos ab Ildefonso rege confirmat.*

Vid. annum 1387.

II. Hoc anno, tempore Capituli generalis, die 24 vel 25 mensis Maii, obiit in ipsa Domo Cartusiæ Michael Calian, Prior Domus Brugensis. Hic olim in seculo potens opibus quas ex bonis adeptus fuerat tum patrimonialibus tum ecclesiasticis, quippe qui curiale beneficium in Zande satis pingue possederat, nascentem cartusiam Brugensem largis eleemosynis promovit ; deinde, ædificata ibidem cella, sæculo valefaciens, nomen suum Ordini dedit. Cumque esset castigatissimæ conversationis singularisque prudentiæ, primus novæ plantationis Gandensis ad fundatorum instantiam, a Priore Cartusiæ designatus est Moderator. Hanc solerti industria per aliquot annos gubernavit, et in ea utrumque statum, spirituale videlicet et temporale, notabili incremento locupletavit. Petitam vero a Capitulo generali absolutionem, ut sibi soli vacaret, obtinuit quidem, sed statim a suis fratribus Brugensibus Priore orbatis postulatus, eorum regimen tenere cogitur usque ad obitum qui in Charta hujus anni his verbis legitur : « Obiit D. Michael Prior Vallis Gratiæ qui habet tricenarium et Brevem et Associationem cum primo Anniversario. » Sed quia tunc in omnibus Chartis ex obli-

PRIOR BRUGENSIS MORITUR.

ANNUS 1337

vione non fuerat denunciatus, iterum notatur anno sequenti, ubi dicitur obiisse tempore Capituli generalis in Domo Cartusiæ, et ideo habuisse duplex Officium.

ITEM, GODEFRIDUS MAURBACENSIS.

III. Quinque post mensibus Calianum secutus est Godefridus, Prior Maurbacensis, quem jam vidimus per annos triginta sex, propter morum probitatem et exploratam in rebus agendis prudentiam, non solum apud Patres Ordinis, sed et apud ipsos Principes et Imperatores, autoritate valuisse et existimatione. Hic igitur post stabilitam in utroque statu cartusiam Maurbacensem et administratam satis diu Alemaniæ Provinciam, post reconciliatum utrumque Imperatorem Fredericum Austriacum et Ludovicum Bavarum, aliaque præclare gesta, multis denique fractus laboribus et annis, in pace quievit ; mortuus die secunda Novembris juxta Chartam anni sequentis quæ sic habet : « Obiit quarto Nonas Novembris D. Godefridus Prior Vallis Omnium Sanctorum, qui habet monachatum plenum et duplex Officium. » Ex ultimo beneficio conjicimus eum obiisse in functione muneris Visitatoris.

Eodem mense decessit Guillelmus de Royno, episcopus Gratianop., cui tanquam de nostro Ordine benemerito tricenarium anno sequenti a Patribus concessum est. Quanta ab eo beneficia, quanta amoris signa Cartusienses receperint ex annis superioribus vidimus. Ejus in nos pietatem successor illius, Joannes de Chissiaco, imitatus est ut anno sequenti videbimus.

JOANNA PETRONA NOSTRI P. PETRONI PATRUELIS PIETATE FLORET.

IV. Sub idem tempus Joanna Petrona, nostri Petri Petroni patruelis (quippe quæ filia Catarini Petroni nostri Petri patrui), eximia pietate apud Senos florescere cœpit. Hæc enim hoc anno viduata nobili viro Joanne Bandinello, nullum alium præter Christum habere sponsum voluit ; tandemque a nostro Petrono per aliquod tempus omni virtute imbuta, vitam cœnobiticam hortatu ipsius amplectitur, ut discimus ex Vita ejusdem Petroni :

« In iis qui ad Maggianam cartusiam Petri conveniendi gratia adibant, fuerat quædam nobilis mulier, Joanna Pe-

trona nomine, Catarini Petroni filia beatique Patris nostri soror amitina, quam thalami consortem olim habuit vir primarius Joannes Bandinellus : quæ cum præclaram ad christianas virtutes colendas jam inde a teneris indolem haberet, non exiguum dein sibi lucrum fecisse re factisque præ se tulit, cum matrimonii necessitate soluta, liberius ac durius multo quam antea in pietatis opera, viduitate æque ac religione venerabilis, incumbebat : cujus feminæ honestissimæ tam excellenti animi propensione adeo Petrum delectari solitum tradunt, ut singulari benevolentia eam prosequeretur. Non enim Petrus noster beatus affinitatis jura respiciebat (quemadmodum natura comparatum est) uti propinquos et affines amaret, sed virtutis studium, officium et honestatem ab eis exposcebat magis quam generis propinquitatem, ut eos vel in suam reciperet amicitiam, vel si in ære illius ipsimet esse vellent ; secus vero persuasissimum haberent non alium atque exterorum locum apud eum illis obtentum iri. Ergo ut femina lectissima suam in dies insitam animo virtutis præstantiam retineret, eamque pietatis studiis quotidie excoleret, nullum Vir beatus diligentiæ atque hortationi relinquebat locum. Eo itaque ipso, semet ille ad cœnobii fores mulieri accedenti in colloquium dabat (cum monasticus Canon non det feminis ut aditus illis pateat in Monachorum cœnobia), spiritualibus exercitationibus ad verum Dei cultum ac servitium eam informabat, ad orationis studium rerumque cœlestium amorem excitabat, atque rerum humanarum contemptum subinde illi inculcabat. Et quidem vano nequaquam eventu. Eas enim beati Viri consuetudine in rebus spiritualibus progressiones habuit, ut illius præceptionibus perpolita suasuque potenter adacta, et rebus humanis nuntium remittere, et gaudens ac triumphans intra monasterium Divæ Marthæ, ubi sub signis S. Augustini nobilis virginum ac feminarum cœtus militat, sese recipere non dubitaverit. In qua quidem femina non possum non admirari invictum vere christiani animi robur, quod in ea tantopere potuit ipsius qua mirifice capiebatur virtutis pulchritudo (pulchritudo autem,

ANNUS 1337

Acta SS. 29 Maii, pag. 206.

*Spiritualibus exercitationibus B. Petri informata.*

ANNUS 1337

imo vero etiam unius Christi amor), ut nihil pensi habuerit non modo opes amplissimas relinquere, paupertatem colere, in infima quæque humilitatis ministeria sese demittere, et pullam horridamque tunicam circumjicere membris suis; sed quod caput est, potuit et ipsa dulcia ac cara pignora quæ jam tulerat, magno et excelso animo linquere. Commemorabilis plane fortitudo, et plus quam virilis animi magnitudo! At quid non potest aut non efficit castus Dei amor in eo qui se totum illi dedit dicavitque? Naturali ergo ac tenero illo affectu adversus carnem et sanguinem (quem divus Hieronymus arietem pietatis appellat) a nova Christi ancilla superato, facile secundo loco illi fuit ad Crucis vexillum siccis oculis evolare, et secundum castimoniæ gradum, ad pedes Domini cum Maria domi sedens, arripere; solum pietatis genus esse existimans, in hac re esse crudelem. Cujus certe crudelitatis egregius Dei beneficio fructus deinde constitit. Quippe cum Petro superstes illa fuisset, summa vitæ sanctitate, qua eximie pollebat, quam maxime clarum testatumque apud omnes esse voluit, haud sine causa simul Christi consilia, simul et beati fratris monita quondam amplexata. » Hactenus Bartholomæus Scala, qui in suis notis observat Joannam vitam transegisse ad annum 1367 pietati eximie deditam.

REMENSIS PRÆSUL ALIAM CARTUSIAM IN SUA DIŒCESI ERIGERE PROPONIT.

V. Hoc anno, Joannes de Viana, archiepiscopus Remensis, singularis Ordinis nostri fautor ac specialis amicus, ut loquitur Charta anni 1335 in qua precibus Ordinis commendatus fuerat, unam cartusiam, præter illam Montis Dei in sua diœcesi erigere proposuit, de cujus consilio hæc in Charta hujus anni leguntur :

« Reverendo in Christo patri domino Archiepiscopo Remensi respondebitur per Priorem Fontis Nostræ Dominæ et per Domnum Thomam de Molayo, Monachum suum, vel per alium Priorem Ordinis quem idem Prior Fontis secum voluerit assumere ad respondendum ipsi Domino Archiepiscopo vel deputatis ab eo; et datur potestas dicto Priori Fontis et suo socio recipiendi et acceptandi oblationem dicti

domini Archiepiscopi factam Ordini nostro de una bona Domo nostri Ordinis pro duodecim Monachis, cum Priore, familia necessaria et cæteris oneribus supportandis, sufficienter dotanda, et congruis ædificiis secundum formam nostri Ordinis erigenda ; si viderint expedire nostri Ordinis honestati : et de his fiet Litera. » Litera de qua hic mentio habetur, quadriennio post facta est. Præsulis tamen consilium de cartusia ædificanda non sortitum fuit effectum. Hic Joannes ipse est qui, ad instantiam illustris viri Matthæi de Trie Franciæ marescalli, et nobilis Idæ de Roniaco comitissæ Droconensis ejus conjugis, dedicavit ecclesiam cartusiæ Monialium Gosnay. Protectorem se in omnibus et ubique pro vindicandis juribus cartusiæ Montis Dei præstitit. Intrepide in Comitem Flandrensem animadvertit, anathemate eum feriens ob incensam Correriam et plurima ejusdem Domus Fratribus damna illata. Obiit Joannes anno 1351.

CARTUSIA SELLIONIS VEXATUR,

VI. Hoc etiam anno Domus Sellionis quædam damna perpessa est a civibus Forosebusianis ; quamobrem per Chartam Capituli generalis admonent Patres quod « supplicabitur dominæ Reginæ Franciæ et dominæ Blanchiæ de Burgundia sorori ejus et domino Comiti Sabaudiæ, ut faciant apponi bonum remedium super damnis et injuriis factis et illatis Domui Sellionis per illos de Burgo in Bressia. » Porro damnum hoc fuisse magnum colligimus, quod per eamdem Chartam « committatur primis Visitatoribus ut possint exonerare eamdem Domum de duobus Monachis hospitibus qui sunt ibi, et ad Domos proprias remittere vel ad alias Domos mittere. » Neque tunc hujusmodi damnis et injuriis impositus est finis, nam per Chartam anni 1341 præcipiunt Diffinitores ut « in qualibet Domo nostri Ordinis dicatur una Missa de B. M. Virgine pro pace illorum de Domo Sellionis, et illorum de Burgo in Bressia. »

VII. Ex Charta Capituli generalis :

VARIÆ ORDINATIONES.

1. « Orabitur pro domino Alberto, duce magnifico Austriæ et fratribus suis, et omnibus illis pro quibus intendit. Et ei specialius respondebitur super his de quibus nos ex

ANNUS
1337

parte ejus, Prior Vallis Omnium Sanctorum oretenus informavit. » Hic est fundator Domus Gemnicensis qui tunc unum tantum habebat fratrem superstitem, Ottonem videlicet, alterum præfatæ Domus fundatorem. Cum igitur jubent Patres ut pro fratribus ejus preces fundantur, intelligunt tam pro vivis quam pro defunctis.

2. « Licet statutum sit quod super annum dicantur sub certo numero centum Breves,* non debet omitti (nec de cætero omittatur) antiqua consuetudo et in Statutis contenta de mittendo et nuntiando per Domos Ordinis Breves obeuntium Personarum Ordinis, ut pro eis dicatur oratio specialis ; et consequenter pro aliis dicatur generalis, videlicet pro uno singularis, et pro pluribus pluralis, sicut debetur ex Statutis.

* i. e. officium integrum Defunctorum.

3. « Quæstioni factæ de Festo B. Antonii et ejus officio, sic respondetur, et sic fit in Cartusia. Sermo in Matutinis : *Omne quod agimus ;* Evangelium tam ad Matutinas quam ad Missam : *Si quis venit ad me ;* Homilia Gregorii : *Si consideremus*. Introitus Missæ : *Os justi,* et Epistola : *Justum deduxit*.

4. « Et omnes qui habent libros de aliis Domibus, et de restituendo fuerunt olim et in præsenti Capitulo requisiti ac moniti, illos infra tres menses post notitiam præsentis præcepti restituant, alioquin in futuro Capitulo clament culpas suas ; et qui huic præcepto non paruerint nec inde culpas suas recognoverint et clamaverint, per alios accusentur et clamentur.

5. « Utrum Moniales nostri Ordinis possint gaudere privilegiis Ordini indultis, et utrum privilegia antiqua se extendant ad novas Domos Ordinis, et utrum possimus repetere omnia debita nostra per privilegium Conservationis ? Prior Cartusiæ consulet peritos in Curia Romana, et quid consilii super his habuerit respondebit.

6. « Cum secundum Statuta Ordinis Monachi non sacerdotes et Moniales loco Missæ Tricenarii 50 Psalmos dicere teneantur, similiter declaramus quod in Domibus Monialium et Monachorum in quibus non sunt tot Sacerdotes quot Mis-

sas debitas, etiamsi ultra illam qua debentur hebdomadam differentur, reddere non sufficiant : pro qualibet Missa debita quæ solvi non potuerit, Psalmi 50 dicantur, juxta Ordinationem et dispositionem Vicarii vel Prioris. Non tamen propter hoc Moniales omittant reddere pro Brevi unum psalterium, sicut in Novis Statutis continetur.

7. « Priorissæ Monialium non obligent se et Domos suas sigillando litteras vel alia, Vicario ignorante et inconsulto ; et ut uniformitas in earum Domibus conservetur, prohibemus ne aliqua Priorissa, in præsentia sui Vicarii dicere *Benedicite* audeat vel præsumat, nec unquam legat duodecimam lectionem, nec de divino Officio ordinando, nec de correctione hominum quorumcumque se aliquatenus intromittat, nec aliquem Monachum mittat extra terminos suæ Domus, nec sine consensu majoris saltem partis Conventus sui Monialem vel personam aliam qualemcumque recipiat : quod si contrarium fecerit, deponatur per Priorem Cartusiæ, vel per Capitulum generale. Moniales vero Priorissæ consentientes ac adhærentes errori, generalem sustineant disciplinam Ordinis, quousque ab ea, per Priorem Cartusiæ vel per Capitulum generale relaxentur. Vicarius autem de disciplina Monialium se non intromittat, nisi a Priorissa fuerit requisitus ; reprehendere tamen possit et accusare cum viderit expedire ; et tam in Priorissam quam in Moniales et cæteras personas Ordinis cum eis commorantes, interdicti et (si necesse fuerit) excommunicationis et suspensionis sententias proferre valeat ; et in omnibus Prioris officium gerere, administratione temporalium excepta, et, ut præmittitur, Monialium disciplina. Caveat etiam Priorissa, ne sine licentia Vicarii vel ejus vices agentis, aliquem de Ordine Mendicantium in monasterium introducat.

8. « Et compositiones * olim factæ per Ordinem cum quibusdam monasteriis contra consuetudines Ordinis approbatas, nec per duo Capitula continua solemniter confirmatæ, penitus revocantur.

* *al.* exceptiones.

9. « Prioribus et Vicariis dantur triginta licentiæ magnæ

ANNUS 1337

et totidem parvæ exeundi terminos suos, pro negotiis Domorum suarum peragendis. » Nota in numero istarum licentiarum sæpe variatum fuisse numerum : aliquando 50 magnæ et totidem parvæ ; aliquando 40, modo 30 ; aliquando plures magnæ, pauciores parvæ, aliquando contra concessæ sunt.

10. « Committitur et injungitur Priori de Pratea prope Trecas, ut sit diligens et sollicitus de repetendo et recuperando reditus Capituli generalis apud receptorem domini Regis in Campania constitutum.

11. « Priori Domus Bononiæ conceditur quod possit facere professionem duobus Novitiis, quando compleverint octo menses anni suæ probationis, si hoc instanter et devote petierint, et de sui Conventus processerit voluntate, et si bona spes de bona perseverantia eorumdem. Item quod possit recipere unum Donatum pro quo petiit.

12. « Præterea quatuor Monachis Cisterciensibus in variis Domibus nostri Ordinis professis, conceditur quod possint exercere officia Vicarii et Sacristæ. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1338.

| Benedicti PP. XII<br>Ann. 4. | Ordin. Cartus.<br>Ann. 255. | Jacobi de Viv. Pr. Cart.<br>Ann. 2. |
|---|---|---|

PRIOR CARTUSIÆ, CLARUS, ABSOLVITUR.

I. SEQUITUR ordine temporum annus Redemptoris millesimus trecentesimus trigesimus octavus, Indictione sexta, quo R. P. Clarus absolvitur a duobus nostri Ordinis Prioribus, juxta potestatem a Capitulo generali sibi antea factam anno 1333. Hanc absolutionem nullus usque nunc noverat, imo omnes ponunt eum obiisse in suo regimine 1337; sed male, ut ex sequentibus comprobari potest. Siquidem anno 1337, 12 Februarii et 19 Novembris, R. P. Clarus, ut Prior Cartusiæ, dedit licentiam specialem fratri Gerardo Priori Portarum vocandi duos Priores qui dilatarent terminos dictæ Domus. Vocati autem fuerunt ab eo J. et R., Priores Sellionis et Siligniaci, qui secunda die Januarii sequentis, eosdem dilataverunt. Unde sequitur, 2 Januarii 1338 R. P. Clarum adhuc fuisse Priorem Cartusiæ: nam Commissarii procedunt juxta facultatem ab eo concessam, et loquuntur de eo, ut etiam nunc Priore. Habemus cartam omnia hæc concinentem quæ data est 2 Januarii anno 1337, videlicet veteri computandi modo; nam cum hæc carta Commissariorum confecta tantum fuerit post commissionem sibi a R. P. Claro datam (19 Novembris anni 1337), manifeste videtur fuisse annum, ut numeramus nunc, 1338. In veteri etiam Cartulario, anno 1338 12 Augusti, Clarus noster simplex Monachus designatur. Ergo R. P. Clarus non anno 1337 absolvitur, sed hoc anno 1338.

ANNUS
1338

*Jacobus de Viviaco iterum sufficitur.*

In ejus locum Jacobus de Viviaco iterum suffectus est. Omnes, præter Ludovicum Torrium, qui eumdem annum 1338 signat, ponunt Jacobum iterato præfuisse anno 1337; sed contrarium satis probatur ex supradictis. Constat etiam ex Cartulariis Cartusiæ eum fuisse Priorem hoc anno 1338 4 Aprilis, et die 6 Maii et 12 Augusti. Erat Prior Domus Cartusiæ, tempore Capituli generalis 1338, ut ex quodam Instrumento Domus Vallis S. Petri probatur.

DOMUS LUCÆ FUNDATUR.

Series Cartusiarum ms.

II. Domus Lucæ sita in collibus Fernetæ, quatuor milliaribus versus occidentem ab ipsa urbe distans, a Gardo quondam Bartholomæi de Aldebrandis filio, Lucensi cive, fundata est; qui per testamentum suum jam antea, anno scilicet 1329, conditum, suæ fundationi necessaria legaverat. Hoc anno Priores Domorum Maggianæ et Bononiæ a Guillelmo Dulcino diœcesano licentiam impetrarunt novæ Domus inchoandæ (cujus tamen in Chartis nostris non occurrit mentio ante annum 1350). Literæ vero Episcopi in hæc sunt verba :

*Lucensis episcopi consensus.*

*Apud Molin, Histor. Cart. pag. 478.*

« Frater Guillielmus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, episcopus Lucanus, religiosis Domnis Prioribus monasteriorum Sanctæ Mariæ de Maggiano prope Senas, et Sancti Hieronymi prope Bononiam, sancti Ordinis Cartusiensis, pacem Domini nostri Jesu Christi et vitam æternam. Quoniam bonæ rei dare consultum et præsentis habetur vitæ subsidium, et æternæ remunerationis expectare decernitur præmium, juxta Sanctorum Patrum decreta : eapropter, cum devote et humiliter nobis fuerit supplicatum quatenus (cum Gardus Bartholomæi filius, civis Lucanus, in sua ultima voluntate mandaverit fieri in diœcesi nostra Lucana unum monasterium ad opus personarum dicti vestri Ordinis de bonis suis propriis, et dotari; et in Capitulo dicti Ordinis generali stabilitum fuerit, quod si noster accesserit assensus, dicti defuncti desiderium impleatur) vobis licentiam dignaremur impertiri ad Omnipotentis Dei laudem, sub vocabulo Sancti Spiritus, in fundo per vos de bonis dicti testatoris emendo, vel forte ab aliquo donando vobis et dicto vestro Ordini, fundandi et ædificandi ecclesiam et monasterium et hospitale regenda et

gubernanda secundum instituta et mores Cartusiensis Ordinis, per Priorem et Fratres in loco ipso per tempora deputandos per Majorem ipsius Ordinis, vel eos ad quos statuta spectaret institutio et receptio eorumdem : ANNUS 1338

« Nos, vestris supplicationibus inclinati, sperantes ex hoc vitæ præsentis subsidium et æternæ præmium facilius promereri, et ex exemplo dictæ vitæ dicti Ordinis, populum nobis commissum a vitiis retrahi et in virtutibus conformari ; autoritate nostra ordinaria vobis præfatis Prioribus et præfato vestro Ordini, fundandi et ædificandi, in loco tamen emendo de bonis dicti testatoris vel forte ab aliquo dando vobis seu misericorditer erogando, ecclesiam seu monasterium et hospitale sub vocabulo Sancti Spiritus, ad Omnipotentis Dei laudem et gloriosissimi confessoris beati Martini Patroni nostri, de uberioris dono gratiæ concedimus facultatem ; in ea tamen nostro et nostri episcopatus, vestræque exemptionis, ac etiam alieno in omnibus jure semper salvo. In cujus rei testimonium præsentes litteras seu paginam nostro sigillo pendente munitam, ad æternam rei memoriam vobis duximus concedendam. Datum Pisis, in domo nostræ habitationis positæ in contractu Spinæ, sub anno Nativitatis Domini 1338, Indictione sexta, die octavo mensis Junii, pontificatus Domini Benedicti papæ XII, anno quarto. » In ecclesia hujus Domus legitur : Templum hoc cum cœnobio Spiritui Sancto dicatum, pietate ac munificentia Gardi Bartholomæi de Aldebrandis, patritii Lucensis, a fundamentis erectum fuit anno Domini MCCCXL, et ab illustrissimo et Reverendissimo Domino D. Berengario episcopo Lucensi consecratum fuit anno Domini MCCCLXIII. Extra vero ecclesiam aliud extat optimi Conditoris monumentum, videlicet : Gardus Bartholomæi de Luca fecit fieri monasterium istud pro salute animæ suæ et suorum hæredum, anno Domini MCCCXL.

Morot. Theatrum Chronolog. p. 265.

CARTUSIÆ GUILLONISII EXORDIUM.

III. Hoc pariter anno, Agnes Eliæ Petragoricensis comitis filia, soror illustrium Archambaldi et Taleyrandi cardinalis Domus Vallis claræ fundatorum, uxor Joannis Siciliæ, ducis Duratii, cartusiam ædificare cœpit in territorio Guillonisii,

ANNUS 1338

Termolensis diœcesis, sub vocabulo S. Joannis Baptistæ. Anno vero 1340, Priori Cartusiæ cæterisque Prioribus in Capitulo generali congregatis, fundationis litteras hujusmodi misit : « Agnes, ducissa Duratii ac comitissa Gravinæ, Reverendis in Christo Fratribus et sibi in Christo dilectis, Domino Jacobo venerabili magno Priori Cartusiæ, ac cæteris Prioribus in generali Capitulo congregatis et aliis successive futuris, salutem in Domino sempiternam. Inter cætera opera pietatis quæ omnipotens Deus gratificat et acceptat, illud non modicum sibi placere confidimus, cum pia et sacra monasteria construuntur, in quibus a Sanctis suis idem Dominus noster pie colitur et laudatur ; quia dum a servis suis, laudibus et obsequiis ejus insistitur,per hujusmodi lucis exempla,et delinquentium vita corrigitur et devotorum corda validius instaurantur. Nos itaque ab ineunte pueritia, sacri Ordinis vestri respersa fragrantia et odorifera opinione referta, semper Ordinem vestrum pia devotione gestavimus in intimis cordis nostri. Volentes igitur ipsam devotionem ostendere per affectum, nuper fundari fecimus novam Domum supradicti Ordinis vestri, quam vocari volumus *Janua Paradisi*, in pertinentiis terræ nostræ Guillionisii, in quadam vinea, quam emi fecimus liberam et exemptam ab omni reditu, onere, et servitute burgensatica, quæ quidem vinea hos habet fines.... Igitur quia nonnunquam temporalium rerum immoderata penuria spiritualium est impeditiva bonorum, plerumque etiam pacis internæ silentium molestat merito et conturbat, decrevimus taliter supradictam novam Domum bonis temporalibus communire, ut hi qui pro tempore divinis obsequiis ibi institerint, absque rei temporalis indigentia possint Omnipotenti gratum atque tranquillum reddere famulatum : idcirco in perpetuum donamus et tradimus in dotem supradictæ novæ Domus, Domno Adæ de Aversa Priori S. Martini juxta Neapolim, ejusdem Ordinis, de speciali licentia sibi commissa a vobis D. Jacobo Priori Cartusiæ, recipienti hæc omnia, nomine et pro parte dictorum Domus et monasterii Januæ Paradisi, pro dotatione ipsius, ac pro vita Prioris,

*Carta fundationis.*

*Sufficientibus reditibus munitur et quare?*

Monachorum, personarumque aliarum, secundum morem et Statuta dicti Ordinis, præsentium et futurorum, libera et exempta ab omni onere, reditu et servitute, cum introitatione et exitatione suis, et cum omnibus juribus et pertinentiis spectantibus ad eamdem, ad habendum supradicta omnia et singula, tenendum et possidendum, utendum atque fruendum, et faciendum in eis atque de eis quidquid Priori et Fratribus qui in dicto loco pro tempore fuerint, visum fuerit expedire ; in primis videlicet, omnes census provenientes et in perpetuum proventuros de Villanova S. Agnetis prope Neapolim, et excadentias domorum dictæ Villæ ; necnon jus patronatus dictæ Ecclesiæ S. Agnetis... Item trappetum unum ad terendum et premendum olivas, et domum in qua continetur... Item concedimus et volumus quod de omnibus, quæ Prior et Conventus dictæ Domus, per se vel per eorum Conversos, Redditos, Oblatos, famulos vel per quascumque alias personas vendiderint seu alienaverint, et de omnibus quæ emerint vel acquisierint, seu ad ipsos vel dictam Domum, quocumque jure vel causa devenerint in omnibus terris nostris, libertatem plenariam et franchitiam habeant, absque præstatione plateatici vel fidagii seu pedagii cujuscumque. Item concedimus et volumus quod supradicti Fratres possint incidi facere in omnibus sylvis ac nemoribus terrarum nostrarum lignamina pro eorum ædificiis necessaria, ligna etiam eorum usui opportuna tam in præsenti quam etiam in futuro, absque solutione et salario, quovis nomine nuncupentur. Item concedimus molituram totius frumenti dictæ Domui necessarii, quod moli facient pro ipsa Domo et usu eorum in molendino nostro.... Quæ quidem bona libere et integre teneant, habeant, et possideant pleno jure. ANNUS 1338

« In quorum omnium testimonium et perpetuam firmitatem supradictæ Domui et Religiosis has nostras patentes publicas et authenticas Literas et Privilegium fieri fecimus, sigilli nostri appensione munitas. Actum Neapoli præsentibus venerabili in Christo Patre domino fratre Petro archiepiscopo Surrentino, confessore et cancellario nostro, domino Roberto de Ex Monum. cart. Neapol.

ANNUS 1338

Tricarico milite... Datum vero ibidem anno Domini 1340, mense Januarii, die 28 ejusdem, octava Indictione. » Anno vero 1346, ducissa Agnes vita est functa, fundatione nondum absoluta. De unione hujus Domus cum cartusia Neapolitana alibi * dicemus.

* Vide ann. 1420.

IRRITA QUÆDAM FUNDATIO.

IV. Catharina filia Caroli Valesii Fontis B. Mariæ fundatoris, Philippi Tarentini principis conthoralis, ad R. Patrem Cartusiæ scripsit pro una Domo nostri Ordinis condenda : suum autem propositum ad effectum non videtur perduxisse.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1339.

| Benedicti PP. XII | Ordin. Cartus. | Jacobi de Viv. Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 5. | Ann. 256. | Ann. 3. |

I. SEQUITUR Christi annus millesimus trecentesimus trigesimus nonus, septimæ Indictionis, quo « cartusia Argentinensis, ut ait hujus Domus Chronicon, a generali Capitulo recepta est et Ordini associata prout Charta ejusdem anni 1339 clare ostendit : nam usque ad hunc annum dilata fuit hæc receptio seu associatio, propterea quia non habebat specialem quemdam fundatorem, licet multi essent benefactores et fautores.

DOMUS ARGENTINENSIS ERIGITUR.

« Præfuit autem P. Joannes de Myssena huic Domui, primus Prior et initiator ab anno 1333 usque ad annum 1340; et completo sui temporis cursu et agone, vocante se Deo, debitum carnis exsolvit in spe sancta migrandi ex hac vita ad Dominum. Cui successit in regimine novæ Domus Argentinensis V. P. Gerardus de Noviomago Gelriæ, secundus Prior, anno eodem millesimo trecentesimo quadragesimo, qui fuerat in sæculo Canonicus SS. Apostolorum Coloniæ. Eodem Priore regente venit ad cartusiam Argentinensem eodem anno D. Ludolphus e Saxonia, vir ille illustris et Theologus magnus ; anno novitiatus completo professionem fecit in Domo cartusiæ Argentinensis : hic multa præclara scripta posteris reliquit, cujus originale propria manu conscriptum in Psalterium et alia ejus opera spiritualia adhuc hodiedum in bibliotheca nostra Molshemensi asservantur. Originale vero Tractatus in Vitam Christi habetur in cartusia Mogun-

*Primi Priores et alumni.*

ANNUS 1339

tina in qua aliquamdiu hospes fuit, et mortuus est in cartusia Argentinensi suæ professionis plenus meritis, anno Domini 1377, die decima Aprilis.

« Interim strenue laboratur in erigendis ædificiis necessariis monasterio, confluunt undequaque benefactores qui largiter de bonis suis contribuunt, ita ut primi isti prænominati Patres de rore cœli ac pinguedine terræ ditati, cum omni benedictione opus suum prosequantur ad Dei omnipotentis gloriam et Ordinis incrementum. Et anno Christi Jesu Domini nostri millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, cum quibusdam exterioribus ædificiis tota basilica et altaria ejusdem parata et perfecta essent, ipse reverendissimus episcopus Bertholdus basilicam et altare summum in honorem SS. et Individuæ Trinitatis, et beatissimæ Mariæ virginis Genitricis Dei singularis Patronæ ipsius Altaris et totius monasterii, B. Joannis Baptistæ et Omnium Sanctorum, quinto decimo Kalendas Maii dedicavit, contulitque Indulgentias 40 dierum in die dedicationis devotionis causa visitantibus vere confessis et contritis : quæ dies dedicationis translata fuit ad Dominicam primam post octavas Visitationis B. V. Mariæ.

*Ecclesia dedicatur.*

« Porro de constructione ecclesiæ hæc in perantiquo manuscripto reperi : « Ecclesia nostra paupercula initium sumpsit a D. Henrico Romer et Nesa ipsius conjuge qui duos agros pro fundo dederunt et obtulerunt ; deinde amicorum nostrorum Christifidelium impensis et donariis ædificata ulterius, et consummata cum capella contigua Omnium Sanctorum nomine appellata. » Ex quo colligere optime possumus reverendissimum episcopum Berchtoldum principem quidem locum tenere inter supradictos amicos, fautores et benefactores Domus ; qui primos nostros Patres, confisus de benevolentia gregis sui, ex aliis regionibus ad suam diœcesim adscivisse videtur, et qui eos adventantes benignissime suscepit, consilio et auxilio adfuit optime semper affectus, et locum Castri olim Paganici pro novo monasterio erigendo obtulit.

« Sed quia locus ille Paganici Castri satis spatiosus non erat

ANNUS 1339

pro toto monasterio una cum basilica construendo, accessere et alii, ut supra notatum, de Henrico Romer et Nesa uxore ejus, qui agros loco isti contiguos gratis offerebant.

« Verum quia nec sic quidem loco seu spatio sufficiente habito quidquam præstari potuisset sine mediis necessariis, Deus Optimus Maximus suscitavit spiritum multorum qui non solum media de propriis suppeditabant, sed et alios ad idem præstandum incitabant et inquirebant, æque pro hac nova fabrica Dei erigenda solliciti ac pro ipsis. Inter quos primarius fuit, qui propterea in pervetusto codice principalis fundator appellatur, D. Joannes Stille presbyter præbendarius ecclesiæ S. Thomæ Argentinensis; deinde Wolframus de Bisscheselz-Wilze, sacerdos præbendarius in ecclesia Omnium Sanctorum Argentinensi ; item D. Henricus de Saxonia sacerdos canonicus cathedralis ecclesiæ Basileensis, Vicarius Episcopi Argentinensis in spiritualibus ; et D. Joannes Geispolzheim presbyter qui cellas plures licet luteas, ab initio antequam Domus magis proficeret, suis impensis erexit. Sed et alii accurrerunt benefactores quorum nomina in Libro Benefactorum accurate sunt descripta et ex Kalendario Domus singulis septimanis leguntur in Colloquio, ut quamdiu Domus nostra subsistat, instanter pro ipsis oretur. Nihil tam accurate scriptum reliquerunt Patres nostri quam nomina benefactorum quorum integrum alphabethum contexuerant, cujus procemium libet hic subjungere, cum sapiat viros vere Religiosos quorum vestigia ut sequamur par est : « Divinæ pietatis largitatem, et bonitatem suæ clementiæ multiformem, cum digna et debita veneratione ac gratiarum actione jugiter recolentes ; animadvertentes quoque multa nobis de sua gratia hactenus a Christifidelibus beneficia in diversis materiis adimpensa ; et volentes grata et debita correspondere vicissitudine, ut quorum carnalia secundum Apostolum messuimus, ipsis nostra spiritualia quæ, Deo autore, egerimus, ministremus ; ne ingrati et animarum debitores ac beneficiorum tantorum immemores, apud Deum reddamur obnoxii : ea quæ Patres nostri reliquerunt in scriptis et nos nostris sub

*Promotores operis.*

ANNUS 1339

temporibus recepimus, ne ex cursu temporum oblivioni tradantur, transmittimus successoribus ut memoria habeatur illorum et participes fiant orationum utinam Deo pro eis placentium. Non enim decet nos Cartusienses in hoc desides esse aut negligentes; quietem animarum et fructum spiritus intendentes, qui solatium et commodum corporum de eleemosynis copiosius percepimus....

*Benefactores præcipui.*

« Quamvis autem multi essent factores, plurimi benefactores et amici, qui omni quo poterant modo ex bona ac prompta voluntate succurrebant, se suaque offerebant et alios ad contribuendum incitabant; hoc tamen non obstante, primi Patres nostri in maximis quandoque angustiis et pressuris vivebant, dum inde materialia et hic deessent pecuniarum subsidia : cartusiam enim tam egregiam et amplam e fundo erigere opus erat expensarum plurimarum. Sed dum in mediis versarentur angustiis misit Dominus jam hunc aut illum ut succurreret, et opus novæ cartusiæ incœptum perficeretur. Nam simili in casu venit quadam vice unus de quo nihil sciebatur, nomine Meinardus, mercator de Lachenem ex partibus inferioribus Trajectensis diœcesis, Argentinam; hic cum penuriam nostrorum Patrum intellexisset et intentum illorum vidisset, voluntarie spiritu forti Dei commotus obtulit maximam pecuniæ summam, nempe septem millium florenorum; quam nequidem nominari voluit, mercedem non in hac sed futura vita accepturus. Hæc sane summa tum temporis ex omnibus angustiis liberavit primos illos Patres. Sed et alius opportune subveniebat Patribus anxiis de ædificiis et sumptibus, D. Jacobus vicarius S. Petri Junioris, qui quasi procurator extitit Domus, et promovit negotium exstructionis; et Domui, ubi, quomodo, quando et quantum potuit semper deservivit, plura beneficia ei contulit, et ab aliis dari procuravit, ita ut et ipse inter præcipuos fundatores et benefactores possit reputari. Sicut et Joannes de Bircke etiam vicarius S. Petri Junioris, thuribularius Chori, socius prædicti D. Jacobi et cooperator ejusdem in promovendis amicis et dandis propriis bonis pro exstructione ecclesiæ et majoris

domus versus Bruscam, ita ut et ipse inter præcipuos fundatores et benefactores annumerari debeat ; cellam denique intitulatam charactere M suis sumptibus erexit, ac alia opera bona soli Deo cognita quam plurima pro domo Dei peregit. Perfectionem tandem melioris vitæ appetens et inquirens, dereliquit sæculum et Ordinem Cartusiensem ac Domum Argentinensem cui jam ante multa beneficia contulerat petiit, laudabiliter in sua vocatione vixit, et deinde ab anno 1338 usque ad an. 1356 secundus Domus Argentinensis Procurator fuit, usque dum diem extremum Domino se vocante conclusit. »

CARTUSIÆ BONONIENSIS MULTIPLICES BENEFACTORES.

II. Quæ sequuntur, ex Libro Benefactorum cartusiæ Bononiensis excerpta, hic consulto duximus inserenda, ut clarius eluceant quæ jam passim notavimus, nempe : in Domorum nostri Ordinis fundatione et dotatione, fere omnia, etiam minima, a Benefactoribus fuisse suppedita. Sic enim in prædicto Libro habetur :

« Egregius Decretorum Doctor, D. Azo de Ramengis gener Joannis Andreæ, fecit fieri altare majus, et donavit calicem, et paramenta serici viridis; cui post mortem filii sui successimus hæredes universales. D. Franciscus Tebaldini de S. Stephano, civis Bononiensis, multos libros huic monasterio contulit, et in fabricam donavit libras mille; cujus obitus habetur in Charta anni 1341. Joannes dictus de Ghisleriis donavit libras ducentas et plura alia contulit; habet tricenarium in Charta 1340. Spectabilis miles D. Rolandinus de Galutiis maximus benefactor noster, fecit fieri Capitulum hujus monasterii et capellam unam. Nobilis domina Bitisia uxor dicti domini de Galutiis, reliquit ad fabricam libras ducentas. D. Busolus de Busolis, Auditor Sacri Palatii, de Parma, fecit fieri cellam unam, et multa alia fecit. Dominus Romen., archipresbyter de Bondeno, fecit fieri Sacristiam anno 1335, et multum auxilium dedit ad fabricam ; ejus corpus jacet ante ostium Capituli. Domina Bartholomæa de Castignano uxor quondam domini Thomæ, fecit fieri unam cellam, et dotavit victu pro uno Monacho. R. Pater et dominus Aldovrandus, episcopus Paduanus, reliquit nobis multa librorum volumina

*Singula Domus ædificia ab eis construuntur.*

ANNUS 1339

valoris ducatorum centum. Egregius Decretorum Doctor, dominus Bertulutius de la Calcina, de Bononia, fecit fieri duas ultimas cellas, unam in honorem Dei Genitricis, alteram in honorem S. Michaelis. Certi Domini Mercatores, qui appellantur *li Lombardi,* dotaverunt secundam capellam ad titulum S. Hugonis.

« Dominus Jacobus de Ravanis, fecit fieri Refectorium conventuale in principio, una cum claustro juxta ecclesiam. Dominus Zorcom de Pessolis donavit apparatum lignaminis, ex quo factæ sunt cellæ Monachorum. Dominus Gibertus Anglicus, scholaris, sepultus in capella S. Hugonis, reliquit libros suos, et factæ sunt fenestræ vitreæ in ecclesia. Dominus Bornius de Samaritanis donavit unam vineam huic monasterio. Fr. Jacobellus, qui accepit habitum Commissi* in isto monasterio, donavit in bonis libras quadringentas. Dionysius de Vicomerato, doctissimus ac sollicitus promotor negotiorum nostrorum, fuit benefactor præcipuus in Conservatoriis et immunitatibus. Domina Margarita uxor domini Leonardi obtulit crucem parvulam argenteam, et tabernacula parva cum pulchris Reliquiis. Dominus Guillelmus de Pellogani de Mutina donavit monasterio possessionem quatuordecim tornaturarum. Domina Diana de Scorbetis reliquit monasterio unam peciam terræ. Gillius de Anillata reliquit in testamento libras 100 monasterio. Domina Margarita de Manrolino fecit fieri unam cellam, et dotavit eam. Domina Margarita de Burgonovo donavit libras 100. Bartolus fecit fieri unam cellam Monachorum.

* i. e. Donati.

« Ser Girardus familiaris, qui fuit fidelissimus, servivit monasterio gratis ultra annos 30. Dominus Angelus de Ravenna donavit possessionem S. Mariæ in Domnis. Ser Benevenutus de Casaligio, et Stephanus ejus filius, fecit monasterium nostrum hæredem in bonis suis. R. P. Matthæus abbas S. Felicis, bonus benefactor fuit hujus monasterii. R. P. et dominus Gaufredus, episcopus Laudunensis, cujus corpus jacet ante altare majus, magnus benefactor fuit hujus monasterii. Reverendissimus in Christo P. et dominus Angelicus, Cardinalis

Albanensis, frater Domini Urbani Papæ V, fecit fieri puteum claustri, et magnus benefactor fuit hujus monasterii. Reverendissimus in Christo Pater et dominus Almericus, episcopus Bononiensis, fecit fieri capellam sacristiæ cum missali. Ser Gerardus de Verona fuit fidelissimus familiaris hujus monasterii a principio fundationis, et plurimis annis servivit gratis cum omni devotione. Nobilis domina Veronica, virgo innupta, filia quondam Bartholomæi Barussaldini reliquit monasterio sexcentas libras, et sepulta est ante portam ecclesiæ. Domina Masina reliquit nobis omnia bona sua. Frater Lacomellus, qui fuit Commissus noster, donavit monasterio libras 400. Egregius dominus et canonicus ecclesiæ cathedralis Bononiensis, dominus Hieremias de Angelellis, cujus corpus jacet ante portam Chori, fecit monasterium hæredem, et reliquit multa bona. Ser Nicolaus de Folia fecit hoc monasterium hæredem.

ANNUS 1339

« Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, D. Nicolaus de Albergatis, episcopus Bononiensis et Cardinalis S. Crucis in Hierusalem, qui fuit Monachus et Prior hujus monasterii, fecit multa bona, et donavit duas cruces argenteas, thuribulum, et navicellam de argento; multos et pretiosos libros donavit: tam in vita sua quam post mortem, plurima bona contulit. Semper recolendæ memoriæ Dominus Nicolaus Papa V, devotissimus huic monasterio; qui dum adhuc esset in minoribus constitutus (vocatus magister Thomas de Sarzano) fecit fieri claustrum magnum, et dum esset Summus Pontifex, fecit fieri refectorium in volta, ubi exposuit ducatos trecentos; et privilegium fecit exemptionis perpetuæ in amplissima forma, multaque alia bona contulit. Magnificus et generosus miles dominus Hieronymus de Renuciis civis Bononiensis fecit fieri unam cellam in angulo claustri prope portam horti conventualis; et unum pallium de auro brocato. Illustris, et generosus dominus Joannes fecit fieri unam cellam, secundam post primam prope portam claustri, et multa alia bona fecit. Magnificus et generosus miles, D. Carolus Antonius de Fantuciis, civis Bononiensis, recepit Capi-

*Beatus Nicolaus Albergati inter benefactores hujus Domus numeratur.*

ANNUS
1339

* ut ibi suam sepulturam haberet.

tulum* et a Conventu sibi fuit assignatum, pro cujus dote fecit Chorum Monachorum in ecclesia miræ pulchritudinis, et multa alia bona fecit pro anima sua et suorum omnium, cui multum tenemur; habuit plenum monachatum per totum Ordinem et Anniversarium sub 18 Junii, ex Charta 1490. »

PETRUS DE BERGES MORITUR.

III. Mortuus hoc anno denunciatur in Charta Capituli generalis, sub die XVII Januarii, Domnus Petrus de Berges, cartusiæ Vallis S. Aldegundis professus, singulari vitæ pietate insignis ac Protoprior Domus Monstroliensis, ubi tumulo elevatiori sepultus est cum tali epigraphio : « Hic jacet Dom. Petrus de Berges Cartusianus bonæ memoriæ, primus Initiator et Promotor hujus Domus, qui fuit a confessionibus nobilissimæ et potentissimæ dominæ, dominæ comitissæ Boloniensis et Arverniæ, filiæ Regis Francorum, qui obiit anno salutis millesimo trecentesimo trigesimo nono, decimo septimo Januarii. » Cum rarissime, imo forsan nunquam antea acciderit Ordinis nostri monachum his fuisse decoratum honoribus, sat probabile nobis videtur ita factum ad instantiam et preces nobilis Joannæ Boloniensis, Ordinis ac maxime Domus S. Mariæ de Pratis studiosissimæ.

GERARDUS PETRARCHA INTER NOS RECIPITUR.

IV. Gerardus Petrarcha, notissimi poetæ frater, inter Clericos Redditos nostri Ordinis hoc anno annumeratur; in dubio vero est, ubinam habitum receperit, an in Majori Cartusia, vel in Domo Montis Rivii, quod, juxta nostram sententiam, certius videtur. Extant quidem tres Francisci Petrarchæ epistolæ in quibus fit mentio fratris sui, quarum prima ipsi Gerardo missa, secunda Priori Cartusiæ, tertia Monachis Domus N*** (nomen tacetur) in qua Gerardus versabatur. Cum in his epistolis nec annus signetur, nec quonam directæ indicetur, inde exoritur dubium de quo supra diximus : sed, ex altera parte, pro comperto habemus, anno 1348 Gerardum fuisse in Domo Montis Rivii, cui et Franciscus ejus frater quædam legavit; scimus etiam, apud Nostros usitatum Clericum Redditum in suæ professionis Domo permanere. Quapropter valde probabile duximus Gerardum habitum induisse in Montis Rivii cartusia.

# * JESU CHRISTI
## ANNUS 1340.

| Benedicti PP. XII | Ordin. Cartus. | Jacobi de Viv. Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 6. | Ann. 257. | Ann. 4. |

CARTUSIA MONICHUYSEN FUNDATUR.

I. SEQUITUR Jesu Christi Redemptoris nostri annus quadragesimus post millesimum trecentesimum, currente Indictione octava, quo cartusia B. Mariæ in Monichuysen prope Arnhemium in Geldria, diœcesis Monasteriensis, construi cœpta est a Rainaldo, quem Meyerus Reginaldum vocat, primo Geldriæ duce et ejus uxore Eleonora Eduardi Angliæ regis filia, ad expiandam cædem quam præfatus Dux Leodii perpetrarat. Aliam vero istiusmodi fundationis causam accipe ex Dorlando :

« Nunc, inquit, ad Domum-Monachorum, quæ juxta Arnhem, Geldriæ * insigne oppidum, sita est, transitum faciamus. Habuit olim Geldria Ducem, insigni pietate virum, qui ad Cartusianum Ordinem miro afficiebatur amore. Hic uno dierum suis cum Nobilibus equitans, dum locum construendæ ejusdem Ordinis Domus uspiam aptum inquireret, occurrit illi pauper quidam vir, Deo devotus et ætate grandævus, qui sciens Principis sui vota, supplex accessit, et dixit : Ego hoc in agro, serenissime Princeps, a multis retro annis celebres audivi Angelorum concentus. Vidi namque hic solemnia festa pomposis carminibus duci, et ardentia luminaria multo fulgore resplendere conspexi. Credo idcirco hoc in loco, Dei providentia hæc actitata esse, quo locum hunc dignum ostenderet, in quo tua vota compleres. Dignum profecto, ut ubi Angeli cecinerunt, Angelici quoque homines commorentur,

Chronicon Cartus. Lib. VI, cap. 22.

* *al.* Gelriæ.

ANNUS 1340

et Angelicis laudibus Domino famulentur. Habebat vero idem Dux in comitatu suo honorabilem, et Deo dignum Patrem Abbatem Domus cujusdam Præmonstratensis, quæ vulgo *Mariæ Werde* dicitur, quod nos Insulam Mariæ possumus interpretari. Hic audiens quæ a sancto paupere dicebantur, confestim ab equo desiliit, et genibus in terram fixis, orationem Domino attentissima mente profudit. Illo itaque orante, talis de cœlo vox insonuit : Hunc ego locum Deus elegi. Porro Dux ad tanta signa plurimum stupefactus, et totus in nostrum Ordinem inflammatus, amplissimis impensis et magnifico apparatu cœnobium construxit. Insuper et largissimos reditus annuos eidem assignavit » ut ex sequenti diplomate videre est :

*Diploma fundationis.*

« In nomine Domini, amen. Omnibus præsentes Literas inspecturis vel audituris, Rainaldus, gratia Dei dux Geldriæ et Zutphanensis comes, salutem et rei veritatem. Notum sit quod nos, ad honorem Dei et Dominæ nostræ sanctæ virginis Mariæ matris ejus et sancti Johannis Baptistæ, Ordinis infra dicti Patronorum, et omnium Sanctorum Dei ; pro remedio et salute et ad perpetuam memoriam animæ dilectæ quondam matris nostræ (quam Deus habeat) et animarum nostri et dilectæ conjugis nostræ Alianoræ Angliæ, fundavimus et quam cito perficiemus, Deo dante, Domum Cartusiensis Ordinis, in Ducatu nostro, supra Veluen, in quodam manerio nostro. Ad dictam fundationem dedimus terram in villa quæ dicitur Monichuisen prope Arnhem et in ipsa parochia de Arnhem, in districtu Ultrajectensi, ita ut Prior et Fratres dicti Ordinis, quos Dominus noster Deus elegerit et vocaverit, ibi maneant et habitent in perpetuum, ad serviendum Domino Deo et ad orandum pro nobis, pro supra dictis et omnibus pro quibus orari volumus. Et ut præfati Prior et Fratres Ordinis supra dicti necessaria habeant in victu et vestitu et cæteris necessitatibus suis, et liberi sint ab omni cura : Nos, de consensu dilectæ conjugis nostræ, de bonis et reditibus quos nobis Deus concessit, dicto Claustro Cartusiensis Ord., ad eorum usum, dedimus et damus, concessimus et concedimus 500 libras

Lindeborn. Historia Episcopatus Daventriens. pag. 179.

ANNUS 1340

annui reditus, parvæ monetæ, andreorum bonorum boni regis, turonensium gallicorum, quotannis in bona pecunia numerata, in festo sancti Martini hivernalis quoad unam partem et quoad alteram in die Cathedræ sancti Petri apostoli solvendas, sine querela, Domno Priori sæpedictæ Domus. Insuper, decimas quas habemus in Newbroeke supra Veluen, prope Deventer, ultra flumen de Isele.... item quatuor maneria de Schonenberch,... septuaginta quinque virgas terræ, quas pro nobis tenet Dederic de Cranenborch.... quæ maneria, bona et terras dedimus et damus Priori et Fratribus supradictis, nomine nostro et heredum nostrorum ; servato tamen consensu dilectæ nostræ conjugis.

*Ducissæ Gelriæ consensus.*

« Et nos Alianora Regis Angliæ filia, Geldriæ ducissa et Zutphanii comitissa, pure et simpliciter, de nostra bona voluntate et pleno consensu, dedimus quæ in supradictis Literis continentur; renunciantes omni juri... donantes prædictas 500 libras annui reditus meliori quo possumus modo juxta usum et morem hujus terræ Priori et Fratribus claustri supradicti... Et nos Rainaldus et Alianora, dux et ducissa sæpedicti, volumus omnia in his Literis contenta confirmari ab omnibus quorum interest, præcipue a reverendissimo in Deo Patre, Ultrajectensi episcopo, quem rogamus instanter ut prædictis, tanquam feodalis Dominus consentiat, et insuper, ad nostram humilem supplicationem, potestate sua spirituali prædicta omnia in favorem claustri, Prioris et Fratrum de Monichussen firmare dignetur.

« In quorum fidem et munimen, nos Rainaldus dux et Alianora ducissa, sigillum nostrum his patentibus Literis apponi curavimus. Datum anno Domini nostri MCCCXLII in festo S. Jacobi apostoli, sub vesperum. »

In hac carta legimus villam, in qua nova est constructa Domus, Monichuysen jam fuisse nuncupatam. Quod quidem Petreius aliter his verbis explicat :

« Porro hæc cartusia, *Domus Monachorum* ideo appellatur, quod ejus Fundator, cum esset maximarum opum vir et mire compatiens iis qui ab hominum conversatione sejuncti,

ANNUS 1340

Petr. in Not. ad cap. 13 Libri V, Chronic. Dorlandi.

in solitariæ vitæ quiete Regi regum arctius famulantur, largiora voluerit iisdem adsignare habitandi domicilia : adeo ut pro regia magnificentia loci illius Monachis domos potius quam cellulas fabricari jusserit [hæc nempe Domus optime dotata, 25,000 scilicet scutis annui reditus (qui nunc temporis ad Arnheimensem magistratum pertinent), viginti quatuor Monachos, tres Conversos et decem Donatos alebat.] Fuit autem hoc monasterium multorum olim Geldriæ Ducum tumulis nobile. »

Dominus Fundator mortuus recensetur anno hujus sæculi quadragesimo tertio. Ejus successores magni extitere benefactores cartusiæ Arnhemensis, quæ ad annum usque 1585 perseveravit quo, Belgico tumultu, quem Calviniana rabies concitavit, penitus, ut pleræque aliæ, fuit excisa et eversa. « Non est hic tacendum, ait Raissius, quod circa ultimum hujus Domus excidium contigit miraculum. Quo tempore Truchesius hæreticus Episcopatum Coloniensem relinquere debuit, et profugus in Hollandiam abiit, cum delectus militum haberetur in illa planitie suburbana oppidi Arnhemensis, in qua steterat olim cartusia et militi pulvis tormentarius viritim distribueretur, incidit scintilla e fomite funali in cadum pulveris, ibique correptus incendio comes Nuenarius miser inter cæteros exustus est, qui ante annum eodem plane die, cum conspicatus fuisset in præfata planitie semiruta quædam adhuc extare cartusiæ ædificia, supposito pulvere nitrato funditus everti jusserat. Igitur congrua sub justo judice Deo merces operis et sceleris illi reddita est. »

Origin. Cartus. Belgii, p. 60.

INDULGENTIÆ IN FAVOREM DOMUS MAURBACENSIS.

Chronicon Maurbac. ms. p. 24.

II. Ad hunc annum referenda sunt quæ scripsit autor Chronici Maurbacensis cartusiæ : « Multam, inquit, sub Tylonis (secundi Prioris) regimine celebritatem assecuta est cartusia Maurbacensis, quando ab omni hominum genere certis per annum diebus frequentabatur, ad lucrandas Indulgentias quas præter cætera beneficia Albertus episcopus Passaviensis, singularis Cartusiensium patronus, sequenti largitus est diplomate quod velut egregium antiquitatis monumentum ad verbum recensere placet :

« Albertus D. G. episcopus Passaviensis, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Alma Mater Ecclesia, quæ omnem hominem salvari desiderat, et neminem vult perire, fragilitatem humanæ naturæ considerans, quæ assidue labitur ad delicta, spiritualia quædam adinvenit remedia, quibus assidue peccantes, assidue satisfacere valeant : Indulgentias videlicet et remissiones, per quas, qui se in promerendis eisdem devotius excitaverint, suorum assequuntur veniam delictorum. Sane quia in monasterio Vallis Omnium Sanctorum in Maurbach Ordinis Cartusiensis, nostræ diœcesis, plene viget observantia regularis disciplinæ multaque pietatis opera, per quæ Altissimi misericordia copiosius queat promereri, ibidem frequentius visitantur ; nos idem monasterium per universos Christi fideles devotius et populosius frequentari desiderantes, omnibus et singulis vere confessis et contritis, qui ipsum monasterium et capellam eidem adjacentem in honorem gloriosæ Virginis Mariæ dedicatam devote accesserint in festivitatibus infrascriptis, videlicet omnibus festivitatibus S. Mariæ, sancti Michaelis Archangeli, Joannis Baptistæ et Evangelistæ, Petri et Pauli ac aliorum Apostolorum omnium et Evangelistarum, Inventionis et Exaltationis Sanctæ Crucis, SS. martyrum Stephani, Clementis, Laurentii, Vincentii, Vitalis, Georgii, Mauritii, Dionysii, Achatii, Eustachii, Christophori ; et Nicolai, Martini, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Ægidii, Benedicti, Bernardi, Hugonis et Hugonis confessorum et Pontificum ; ac sanctarum Annæ, Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, Margaritæ, Agathæ, Agnetis, XI millium Virginum et Elisabeth ; solemnitatibus quoque Omnium Sanctorum et anniversaria die dedicationis ecclesiæ et capellæ prædictarum, et omnium altarium inibi dedicatorum ; et qui in pulsu serotino tribus vicibus *Ave Maria* flexis genibus devote dixerint ; qui etiam Missam ibidem audiverint, aut eleemosynas suas largiti fuerint, aliave pietatis opera illic exercuerint ; ac nihilominus omnibus et singulis, qui sermonem seu verbum Dei ad clerum vel ad populum inibi audierint, 40 dies Indulgentiarum,

ANNUS 1340

*Instrumentum concessionis.*

*Ordo Cart. laudatur.*

ANNUS 1340

confisi de misericordia Altissimi ac Apostolorum ejus Petri et Pauli suffragiis, de injuncta eis pœnitentia, misericorditer in Domino relaxamus. Approbantes nihilominus, et quantum efficacius possumus, confirmantes omnes Indulgentias, quas RR. in Christo PP. Archiepiscopi vel Episcopi monasterio prædicto provide concesserunt, testimonio harum litterarum sigilli nostri appensione munitarum. Datum Viennæ, anno Domini 1340, in die Joannis Baptistæ. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1341.

| Benedicti PP. XII | Ordin. Cartus. | Clari de Font. Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 7. | Ann. 258. | Ann. 8. |

I. ANNUS millesimus trecentesimus quadragesimus primus, Indictione nona inchoatus sequitur, quo Reverendus Pater Jacobus de Viviaco quietioris vitæ desiderio, Prioratum Majoris Cartusiæ iterum deponere studuit. « Adeo nempe, inquit Dorlandus, insedit cordi ejus pulchræ Rachelis aspectus et floridus amor, ut hanc gloriæ fecundam diligeret, et Liam lippientem ægerrime ferret. » Rem porro ipsam ita enarrat Chronicon Priorum Majoris Cartusiæ :

R. P. CLARUS CARTUSIÆ PRIORATUM DEPONIT.

Lib. IV, cap. 21.

« Cum Jacobus, contra voluntatem suam renitendo, esset in dicta administratione confirmatus, cum amore contemplationis et quietis, sollicitudine temporalium et inquietudine occurrentium laborum nimium gravaretur, cum misericordiam a Capitulo generali habere non posset ; in quinto anno sui regiminis Capitulum privatum convocavit infra annum, a quo sive opportune sive importune procuravit absolvi. Ob hæc Ordo nimium indignatus, ordinavit in sequenti Capitulo generali, ut nullus Prior Cartusiæ de cætero a Capitulo privato possit absolvi. Ut vero Deus ostenderet quod ipsum ex importuna ejus instantia offendisset (quippe ut bis ab ipso vocatus ad dictum Prioratum, eidem ingratus extiterit, oviculas suas de talento sibi credito pascere nolendo), tanta subito post absolutionem est infirmitate percussus, ut cunctis innotesceret, ipse quoque etiam disceret manifeste, propter

*De quo nimium indignatur Ordo.*

ANNUS 1341

*A Deo percutitur.*

dictam ingratitudinem a Deo se fore percussum. Nam qui antea alios poterat et noluit adjuvare, postmodum usque ad mortem et per multos annos indiguit adjutore. Sed Deus qui talentum eidem contulit, de isto (ratione infirmitatis expetita) contentus non fuit ; quin etiam sibi talem successorem procuravit, qui voluntatem divinam adimplendo, illius inobedientiam totaliter expurgaret. »

Hæc Chronicon, quod D. Molin et D. Bohic insequentes volunt Jacobum absolutum anno 1343, Polycarpus vero anno sequenti, sed perperam omnes ; nam revera misericordiam accepit anno tertio sui regiminis, videlicet anno 1341 in Capitulo privato (quod hoc anno celebratum est sexto Kalendas Februarii, ut videre est in quodam Instrumento Domus Portarum et ex cartulario Majoris Cartusiæ. Anno 1341, 2 Septembris Jacobus de Viviaco simplex monachus Cartusiæ nominatur in eodem cartulario). Non autem potuit serius absolvi, quia R. P. Clarus iterum eodem anno 1341 in mense Junio erat Prior Cartusiæ ; nec etiam citius, nam idem Jacobus de Viviaco adhuc præerat eodem anno 1341, postridie Conversionis S. Pauli, ut ex diversis Actis probari potest, quorum aliqua habentur in cartulariis Cartusiæ, et alia in cartulariis Domus Portarum.

CLARUS DE FONTANIS ITERUM FIT PRIOR CARTUSIÆ.

II. Statim post absolutionem R. P. Jacobi de Viviaco, nempe ante Capitulum generale, Clarus de Fontanis iterum fit Prior Majoris Cartusiæ. Quod etsi D. Bohic et D. Molin omnino reticeant, facile tamen comprobatur. Primo equidem, in calendario Domus Siligniaci legimus quæ sequuntur : « Anno Domini 1339 habemus in Domo Siligniaci tres sepulturas,* quarum duæ fuerunt in Prioratu primo D. Jacobi de Viviaco, altera erat nobis concessa tempore pristino. Item postea in primo Capitulo generali, quando D. Clarus rediit in Prioratu Cartusiæ fuerunt nobis concessæ duæ aliæ, anno Domini 1341. Item primo Capitulo sub D. Eryco* Priore Cartusiæ fuerunt nobis concessæ duæ aliæ, anno Domini 1342.... etc. »

* i. e. facultas sepeliendi 3 extraneos in cœmeterio Domus.

* i. e. Henrico.

Secundo, extat quædam ratificatio sententiæ inter Domum

Majorævi et illos de Condamina circa eorum molendinum, facta a dicto Reverendo Patre D. Claro in hæc verba : « Clarus Prior Cartusiæ, viso dictamine hujus sententiæ, eam ratam habemus et approbamus et ab omnibus observari volumus. Datum sub sigillo nostro, 10 Calendas Junii anno Domini 1341. »

Tertio, D. Georgius Garnefelt, in suis Annotationibus ad Chronicon Cartusianum adjectis, asserit extare quasdam Literas quas ipse R. P. Clarus misit ad cartusiam Coloniensem, quæ signatæ fuerunt anno 1341 in Vigilia Paschæ. Remanet ergo sine dubio ipsum R. P. Clarum hoc anno 1341, et quidem ante Capitulum generale fuisse iterum Priorem Cartusiæ. Unde notandum est dictum D. Garnefelt in loco supracitato putasse nostrum Clarum (quia absolutionem ejus ignoravit) in Prioratu sine intervallo permansisse usque ad annum 1341.

*Obitus R. P. Clari.*

Ad vitam meliorem idem religiosissimus Pater Clarus migravit die 16 Julii, præsenti anno; de quo sic legitur in Charta Capituli anni 1342 : « Obiit bonæ memoriæ D. Clarus Prior Cartusiæ, qui habet per totum Ordinem monachatum cum psalteriis. » Hactenus Charta, quæ diem non signat, sed habemus diem notatum in libro Anniversariorum Domus Portus B. Mariæ, in quo ponitur obitus ejus sic : « D. Clarus Prior Cartusiæ, 16 Julii. » Concordat D. G. Garnefelt in suis Annotationibus ad Chronicon, et in Catalogo profitentium Ordinis, quem Vitæ B. Nicolai Albergati attexuit. Ait enim habere se, ex antiquis et certissimis Monumentis et ex Chartis Capituli generalis, D. Clarum obiisse anno 1341, die 16 Julii. Unde nullus videtur relictus ambigendi locus de obitus illius vero tempore. Erat Clarus professus Domus S. Audomari, ubi etiam Prioris munere perfunctus fuerat. An autem anno 1331 vel anno 1338, quando absolutus fuit a Prioratu Cartusiæ, fuerit institutus Prior Vallis Viridis, incompertum nobis est.

SUCCEDIT HENRICUS POLLETI.

III. R. P. Claro ad claros lucidosque translato, regimini Cartusiano præficitur D. Henricus Polleti, professus Domus

ANNUS 1341

Cap. XXII.

Parisiensis et Prior, Ludovico regi Franciæ et uxori ejus Joannæ, Caroli Pulchri viduæ, acceptissimus. « Erat vir admirabilis ingenii et scientiæ, inquit autor Chronici Priorum Majoris Cartusiæ, utpote litteris sæcularibus et divinis admodum eruditus, facundiaque et memoria singularis, nulli in Ordine secundus putabatur. Sed et tam idoneus erat in activa vita, ut vix aliquis consimilis ei posset reperiri, qui et a grege suo ex bona conversatione sua erat prædilectus. » Omnes volunt Henricum in Prioratu Cartusiæ successisse tantum anno 1343, sed revera successit hoc anno 1341. De qua re habentur Acta authentica in Cartusia, nempe : sententia data Camberiaci anno 1343, die 28 Januarii, in qua inscribitur Procuratorium concessum ab ipso R. P. Henrico plurimis Prioribus et Monachis, Conversis et Redditis Cartusiæ ad prosequenda negotia dictæ Cartusiæ, et datum secunda die Septembris anno 1341.

*Hujus rei probatio.*

Sequitur tenor hujus Sententiæ : « Anno Domini 1343, die Mercurii post festum Epiphaniæ Domini, continuata a die hesterna ad diem hodiernam (quæ dies erat assignata), coram nobis Consilio illustris Principis et domini Aymonis comitis Sabaudiæ Chambariaci residenti, fratri Heliæ Præpositi, velut Procuratori œconomo et Syndico religiosorum virorum Prioris et Conventus Majoris Domus Cartusiæ ex una parte, et hominibus villæ et mandamenti sancti Laurentii de Ponte necnon Procuratori dicti Domini nostri Comitis in Novaleisia ex altera ad audiendum....., dicta die coram nobis comparuit dictus frater Helias, etc... Comparentibus coram nobis, fratre Helia Præpositi œconomo, sive Procuratore Prioris et Conventus Domus Cartusiæ, fidem de sua procuratione sive œconomatu per patentes Literas sigillo majori dictæ Domus Cartusiæ sigillatas faciente, quarum tenor sequitur in hunc modum : « Nos frater Henricus, Prior humilis Majoris Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, totusque ejusdem loci Conventus in unum more solito congregati, notum et manifestum fieri volumus universis, quod nos unanimes et concordes facimus, constituimus et ordinamus nostros et

Domus nostræ prædictæ Cartusiæ veros et indubitatos Procuratores et nuntios speciales, videlicet viros religiosos Portarum, Allionis, Pomerii, Angionis, Arveriæ, Vallis sanctæ, Partis Dei, Vallis S. Hugonis, Correriæ et Calesii Priores Ordinis nostri Cartusiæ; Domnos Joannem Chaisii, Jacobum et Guillelmum fratres de Viviaco, Phastredum, Joannem Tornerium, Petrum de Lingonibus, Joannem de Porta et Joannem de Glanderio monachos præfatæ Domus nostræ Cartusiæ ; Fratres Joannem de Claravalle et Heliam Præpositi Clericos Redditos Ordinis nostri Cartusiæ ; Fratres Petrum de Lugnes sutorem, Petrum Alloarii, Guillelmum de Meriez, Joannem de Ostuna, Petrum Quatrot, Joannem Bernerii, Girodum et Martinum carpentores, Conversos ejusdem Domus nostræ Cartusiæ, licet absentes tanquam præsentes, et quemlibet eorum insolidum.... etc. : ad gerenda, procuranda, explicanda et promovenda omnia et singula nostra et Domus nostræ negotia quæcumque sint et quocumque nomine et titulo censeantur, etc. In quorum omnium robur et testimonium sigillum majus præfatæ Domus nostræ Cartusiæ præsentibus Literis duximus apponendum. Datum in eadem Domo Cartusiæ, die secunda mensis Septembris, *anno Domini 1341.* »

ANNUS 1341

Ex his igitur nullus restat dubitandi locus, cum omnino manifestum sit R. P. Henricum fuisse Priorem Cartusiæ anno 1341, 2 Septembris, quo die fecit procuratorium multis in hoc Instrumento nominatis. Adde notam illam supra scriptam de Domo Siligniaci, sub D. Claro, ubi dicitur, « in primo Capitulo sub D. Eryco Priore Cartusiæ fuerunt nobis concessæ duæ aliæ (sepulturæ) anno Domini 1342. » Fuit ergo Prior jam tum, et certe fuit statim post obitum R. Patris Clari.

*Ergo electus anno 1341.*

IV. Domus Sancti Laurentii prope Florentiam, in provincia Tusciæ, conceptæ quidem anno 1338, opere vero incœptæ hoc anno, initia sic recenset Molinus noster in sua *Historia Cartusiana :* « Nobilis Nicolaus Acciajoli, filius nobilis et egregii viri Aczainoli Acciajoli de Florentia, anno 1338, in præsentia

DOMUS FLORENTIÆ INCHOATUR.

pag. 482.

ANNUS 1341

Paceli Antoniani judicis civitatis Neapolis, et Petri Vespuli notarii, confessus est religioso viro Domno Amico de Sicilia Priori cartusiæ Sancti Martini in monte Sancti Erasmi prope Neapolim, et pie sancteque recognovit, se ob reverentiam divini Numinis ac gloriosæ Virginis Mariæ, Sanctorum omnium, honoremque etiam et laudem beati Laurentii martyris et confessoris Domini nostri Jesu Christi, fieri, fundari, ædificari, et construi providisse de suis propriis facultatibus atque bonis, quoddam monasterium ejusdem Cartusiensis Ordinis, Sanctus Laurentius vocabulo nuncupandum, in comitatu civitatis Florentiæ, loco scilicet apto et libero inibi eligendo ac inveniendo et acceptando perinde, præsertim per prædictum Fratrem Amicum, et Priorem monasterii Sancti Hieronymi de Bononia ejusdem Ordinis.

*Quis fuerit fundator ?*

« Iste Nicolaus ex antiqua atque clarissima Acciajolorum familia in Urbe Florentiæ procreatus, qui ob summam præstantiam summamque rei bellicæ virtutem, atque singularem rerum maximarum agendarum prudentiam, Regibus Apuliæ atque Siciliæ, nempe Roberto primum, atque deinde Ludovico atque Joannæ ejus conjugi olim eximie carus extitit ; a quibus summum etiam jus ac in rebus Siculæ provinciæ administrandis obtinuit potestatem, sic prorsus ut ad Magni Siciliæ ac Jerusalem Senescalli munus amplissimum eveheretur. Cupiens, quæ jam dudum coquerat animo, de cœnobio aliquo Cartusianæ familiæ ædificando executioni mandare, Neapoli sui Regis legationis fungendæ gratia apud Rempublicam Florentinam in Hætruriam concessit, ubi in tempore, occasione usus (per litteras suas) Reverendi Patris Jacobi a Viviaco, qui per id temporis Cartusianæ Religionis clavum tenebat, et sententiam exquisivit et autoritatem sui explendi desiderii expoposcit ; cujus tanti viri eximiæ erga Deum pietati et in Ordinem nostrum religiosæ beneficentiæ applaudens vir [Jacobus] undequaque Deo plenus, mandavit ut venerabiles Patres Galganus tum temporis cartusiæ Bononiæ moderator, ac Joannes Conti cartusiæ Maggianæ prope urbem Senas præpositus, hujusmodi provinciam apud Nicolaum pro Or-

ANNUS 1341

dine nostro susciperent. Ergo Nostri, Florentiæ Nicolaum ipsum convenientes, statuunt ea de re publicas conficere tabulas.

« Accersitis itaque in cœnobio Angelorum, Camaldulensis Ordinis, tanquam ejusmodi rei præclarissimis testibus, Reverendo in Christo Patre Angelo Acciaieto tum episcopo Aquilensi, ac clarissimis viris Joanne Barilæ Nicolai nostri collega in legatione Regis fungenda, Joanne pariter (vel, ut perantiqua illius temporis habent monumenta, Jannosio) Cavalcantis, nobili viro equite Florentino, venerabili Patre Domno Philippo ejusdem monasterii Angelorum moderatore, ac demum Lando Bilisto ; coramque simul venerabilibus Patribus Galgano atque Joanne Cartusianis, Nicolaus per publicum Actuarium nomine Benedictum, suam erga Ordinem nostrum declaravit animi propensionem non verbis tantum, sed re maxime, in hunc modum :

*Carta fundationis*

« In Christi nomine. Amen. Anno ab Incarnatione ejus 1341, Indictione nona, die octavo Februarii, Pontificatus Domini Benedicti papæ XII anno octavo. Pateat omnibus evidenter præsentem paginam inspecturis, quod nobilis et providus vir Nicolaus, quondam Acciajoli de Acciajolis, civis Florentinus, asserens se jam diu in animo suo deliberasse et disposuisse pro animæ suæ et parentum ejus remedio et salute, ac suorum remissione peccaminum, ædificare et construere, sive ædificari facere unum monasterium Monachorum cum oratorio, domibus, ædificiis, et aliis necessariis officinis, in quo ad laudem divini Numinis, Prior unus cum duodenario Monachorum numero, et quatuor Conversis, et duobus Clericis, et alia Familia necessaria, commorentur, sub observantia regulari divinis obsequiis vacaturi. Et ad istud laudabile et salutiferum opus, aliquas domos et possessiones suas magis ad hoc habiles, congruas ac decentes, deputare, conferre et donare, tam ut dictum est pro monasterio et oratorio cum suis ædificiis construendo, tam pro habitatone Prioris ac Monachorum, Conversorum, Clericorum et Familiæ, ac pro aliis ad laudem et cultum divini Numi-

ANNUS 1341

nis, quam pro reditibus expedientibus ad necessitatem vitæ eorum. Et cupiens hoc laudabile propositum, Deo adjuvante perducere ad effectum; et attente considerans merita et virtutes, quibus religiosi viri Prior et Fratres Cartusiani Ordinis, et ipse Ordo laudabili et fide digno testimonio commendantur, et quod ipsi viri sunt valde Catholici, et qui regularibus disciplinis et actibus Deo placitis libenter invigilant et vacant studiis honestatis, et de illis nomen bonum et fama laudabilis auditur, non solum a proximis sed etiam a remotis, et per laudabilia virtutum opera se Deo et hominibus acceptabiles repræsentant; et sperans idem Nicolaus, qui super hoc se asserit diutius cogitasse, et per ipsos Priores et Fratres, cooperante gratia Salvatoris, hujusmodi votum suum ad Dei laudem posse compleri; et volens dum adhuc vivit et ratio regit mentem, intentionis suæ propositum executioni mandare : in præsentia mei Benedicti notarii et testium subscriptorum, sua libera et spontanea voluntate, ex certa scientia et non per errorem, pro remedio, ut præfertur, animæ suæ suorumque parentum et suorum remissione peccatorum, omni via et modo quo melius potuit, pure, libere et irrevocabiliter inter vivos, ita quod hæc donatio nulla causa ingratitudinis vel alia revocari vel infringi possit, infrascriptas domus, possessiones, terras et bona dicti Nicolai donatoris; videlicet..... »

« His itaque rebus constitutis atque peractis, ac hujusmodi amoris sui in Ordinem nostrum ac pietatis in Deum, egregiis a Nicolao editis documentis, nihil longius sibi esse videbatur quam ut ipsis oculis primordia cerneret sui monasterii. Sed quoniam per eos maxime dies Florentina civitas orbata erat animarum Pastore quo facultas concederetur, juxta sacrosancta Pontificum scita, hoc cœnobium ædificandi; Nicolaus una cum Patribus Galgano atque Joanne ad Primores ejusdem Cleri Capitulique cathedralis ecclesiæ Florentinæ confugiunt, a quibus ea de re id emanavit Decretum per eumdem actuarium Benedictum Literis consignatum :

*confirmatur a Capitulo cathedralis ecclesiæ.*

« In Christi nomine. Amen. Anno ab Incarnatione ejus

1341, Indictione decima, die 18 Februarii mensis, actum in sacristia ecclesiæ Florentinæ, præsentibus testibus Bindo Bindi de Podiobovirii, Bartolo Guacenrii de Campo notario. Nos Thomas de Saltarelis, Arnoldus de Altircitis, Petrus de Bertallis, Franciscus de Parma, et Bartolus Jamellis canonici et Capitulum Ecclesiæ Florentinæ vacantis, ad Capitulum insimul congregati ; attendentes quod loca divinæ laudis obsequiis et sub regulari observantia deputata, laudabilibus merentur gratiis et favoribus confoveri ; religiosorum virorum Prioris et Fratrum Ordinis Cartusiensis, quorum vita, merita et virtutes illis porrigunt testimonium bonæ famæ, piis votis et supplicationibus annuentes, ad quod etiam nos inducit ut infrascripti Nicolai salutiferum propositum adjuvemus, præfato Priori et Fratribus : quod in domibus, possessionibus et resedio donatis eis, per virum providum Nicolaum quondam Acciajoli de Acciajolis civem Florentinum, pro remedio animæ suæ suorumque parentum, positis in parochia ecclesiæ Sanctæ Luciæ de Manapagani, Florentinæ diœcesis, possint erigere et construere, et habere perpetuo ad Dei laudem, unum monasterium, cum oratorio et ecclesia et altari sive altaribus, domibus, cellis et aliis necessariis officinis, sub vocabulo Sancti Laurentii martyris ; et Ordini prædicto Cartusiensi sine juris præjudicio alicujus, tenore præsentium, omni via et modo quo melius possumus, licentiam exhibemus. » ANNUS 1341

Istius cartusiæ conditor, ibidem tumulatur sub hoc elogio : « Hic jacet corpus magnifici Militis, domini Nicolai de Acciajolis, regni Hierusalem et Siciliæ senescalli, cujus laudes in ara scriptis versibus adnotantur. Obiit autem Neapoli, et demum corpus translatum fuit ad hanc ecclesiam, quam vivus ædificavit pro salute animæ suæ et suorum parentum. »

*Obitus filii fundatoris.*

In Charta anni 1355 ponitur obitus nobilis Militis domini Laurentii de Acciajolis, domini Fundatoris filii, cujus corpus, die 7 Aprilis ejusdem anni, ad sacellum subterraneum hujus familiæ sepulturæ deputatum tanto asportatum est

ANNUS 1341

apparatu, ut florenorum aureorum quinque millia in exequiarum sumptus fuerint impensa.

Visitur etiam marmoreum aliud sepulchrum in vestibulo Chori cum epigraphe : « Hic jacet corpus prudentis viri Joannis, Fr. Mathei de Bomena, qui simul cum uxore sua.... se et sua Deo dedicarunt, et huic Domui commiserunt. Obiit anno Domini 1418. »

* ad diem VI Januarii.

*Quædam de S. Andrea Fesulano.*

Nec tacendum quod de nostra Florentina cartusia refert Surius* in Actis S. Andreæ Fesulani : « Qui, inquit, videns rapi se ad episcopatum Fesulanum, circa annum Domini 1361, timensque ne sub tanto onere premeretur, tertio milliario ab urbe, apud Cartusienses latitavit. Canonici vero illum per totam provinciam quæri jubent : sed ubi nequeunt eum invenire, iterum congregatis, de renovanda electione decernitur : et dum illorum vacillantia corda in ambiguo versarentur, Spiritus Sanctus per os infantis locutus est dicens : Elegit Deus Andream in sacerdotem sibi : ecce enim apud Cartusienses orat, ibi eum invenietis. Quibus verbis omnes stupore repleti, quidquid actum prius fuerat confirmant. Igitur decernitur ut ad Cartusienses legati mittantur, ut Episcopum ad susceptionem Pontificatus hortarentur. Dum hæc Fesulanis gerebantur, Andreæ oranti puer in veste candida apparuit, nuncians ei hoc divino numine factum, ut episcopus crearetur, neque laborem subterfugeret. Nam datus erat ei custos Angelus qui ejus vestigia in Dei voluntate perficeret. Andreas itaque angeli visione perterritus, ab oratione surgens Fesulanos se quærentes offendit, qui Episcopum salutantes, hortantur ut gregem suum et oves pascuæ suæ non contemnat ; Andreas Deo gratias agens, onus quod paulo ante excutere nitebatur, constanti mente suscepit. »

ORDINATIO CONTRA MENDICANTES.

V. Cum illis diebus Mendicantes sæpe inviserent Cartusienses, ea quidem mente ut eos ad sese allicerent, generale Capitulum hujus anni expresse prohibuit ne soli cum Nostris confabularentur : « Ad auditum nostrum, inquiunt Patres, pervenit quod multi Mendicantes religiosi venientes ad Domos nostri Ordinis, Monachos sollicitent ut se transferant ad

eosdem : propter quod, omnibus Prioribus et Priorissis et Vicariis tam Monachorum quam Monialium, prohibetur ne permittant aliquam personam nostri Ordinis cum talibus sollicitatoribus habere colloquium in secreto. Si autem aliquæ personæ sic se transtulerint sine licentia, præter ordinationem Domini nostri Papæ, per privilegia nostra a suis Prioribus requirantur ; alioquin super hoc negligentes a generali Capitulo graviter puniantur. »

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1342.

| Benedicti PP. XII | Ordin. Cartus. | Henrici Polleti Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 8. | Ann. 259. | Ann. 1. |

BENEDICTUS XII MORITUR.

*Clemens VI ejus loco creatur.*

*Bullam concedit in favorem Ordinis.*

I. MILLESIMUS trecentesimus quadragesimus secundus Christi annus, Indictione decima, incipit quo Benedictus Summus Pontifex, eo nomine duodecimus, obiit Avenione, septimo Kalendas Maii, Pontificatus sui anno septimo, mense tertio, et decem ac septem diebus, sepultus in ecclesia Cathedrali. Successit Benedicto Clemens VI Papa, Gallus natione, dictus antea frater Petrus, Rogerii de Malmonte filius, Lemovicensis diœcesis, monachus monasterii Casæ Dei, abbas Fiscambensis, ex archiepiscopo Arelatensi Senonensis, post Rothomagensis, presbyter Cardinalis tituli SS. Nerei et Achillei a dicto Benedicto XII factus : et fuit creatus Avenione in monasterio Prædicatorum a viginti et uno Cardinalibus, Nonis Maii, coronatus ibidem quarto decimo Calend. Junii, die Pentecostes. Is igitur super familiam Domini, ut fidelis servus constitutus, voluit statim ipso sui Pontificatus exordio, de nostro Ordine bene mereri, datis ad eum hujusmodi litteris : « Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Cartusiæ, cæterisque Prioribus et Fratribus Cartusiensis Ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem. Præsignis Ordinis vestri sacra religio in agro Dominico, divina dispositione plantata, ex suæ institutionis exordio per insignium meritorum gratiam, et exemplaris vitæ doctrinam, uberes hactenus in universali Ecclesia honestatis et salutis fructus protulit et producit. Et

ideo congruum et dignum arbitramur, ut Ordinem ipsum, personas et loca ejusdem, opportunis muniamus præsidiis et specialibus favoribus attollamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod Sedes Apostolica vobis et Ordini vestro nonnulla privilegia, libertates et immunitates et alias nonnullas gratias continentia, de sua consueta benignitate concessit ; quodque post concessionem privilegiorum hujusmodi, nonnullæ Domus vestri Ordinis, in diversis partibus fundatæ sunt a nonnullis fidelibus et etiam inchoatæ. Quare nobis humiliter supplicastis, ut privilegia hujusmodi ad dictas Domos extendere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod vos sub arctæ vitæ studio, gratum et assiduum impenditis Domino famulatum, et quod currentibus in stadio hujusmodi vitæ, rectum iter ostenditis, quo ad salutis bravium pervenitur : et propterea volentes vos specialis gratiæ munere prævenire, vestris supplicationibus inclinati, universa et singula privilegia vobis et Ordini vestro ab eadem Sede concessa, ad Domos vestri Ordinis post concessionem privilegiorum hujusmodi inchoatas, et personas ipsarum extendimus de gratia speciali.... Datum Avenione Calendis Decembribus, Pontificatus nostri anno primo. »

Inter privil. Ord. n. 78.

FUNDATIO DOMUS PRAGENSIS CONFIRMATUR.

II. Hoc pariter anno, Carolus IV Imperator, confirmat fundationem cartusiæ Pragensis factam, anno proxime elapso, a patre suo Joanne Bohemiæ rege, sequenti perhonorifico diplomate : « In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis feliciter. Amen. Carolus IV, divina favente Clementia, Romanorum imperator semper augustus et Bohemiæ rex, ad perpetuam rei memoriam. Accedens majestatis nostræ præsentiam, religiosus F. Michael, Prior monasterii Horti Sanctæ Mariæ, Fratrum sacri Ordinis Cartusiensis prope Pragam, devotus noster dilectus, pro parte Conventus sui quoddam privilegium recolendæ memoriæ, illustrissimi Joannis quondam Bohemiæ regis, genitoris nostri charissimi, super dicti monasterii fundatione, tribus pendentibus sigillatum sigillis, continentiæ infrascriptæ, imperiali nostræ exhibuit Majestati,

ANNUS 1342

humili postulans devotione et instantia, ut prædictum privilegium, et omnia et singula in eodem contenta, de solita benignitatis nostræ clementia, approbare, innovare, ratificare et confirmare gratiosius dignaremur. Cujus quidem privilegii tenor, quem præsentibus plenarie intexere fecimus, sequitur in hæc verba :

*Carta fundationis a Joanne rege Bohemiæ data.*

« In nomine Domini. Amen. Etsi Ecclesia militans assiduis oppressa adversitatum incursibus, insidiis inquieta et periculis exposita, circumquaque nutriat filios qui armis spiritualibus contra sævum hostem humani generis non desinunt dimicare, et adversus ipsius jacula viriliter se munire : illos tamen tenerioris affectus dulcedine tenetur prosequi et fovere, qui veluti pugiles et victores præcipui, per vitam solitariam a mundanis illecebris expediti et a terrenorum contagiis plus exuti, agiliores se exhibent in certamine pro corona quam triumphans Ecclesia, genere universi præmii opulenta et in omnes pro Christo laborantes dulciter exuberans, pugnantibus repromittit, solis eam vincentibus elargitur, ipsos perenni coronans gloria et honore. Hinc est quod Nos Joannes Dei gratia Bohemiæ rex ac Lucemburgensis comes, universis tam viventibus quam victuris cupimus fore notum quod Nos, ad instar quorumdam Principum ad regalis culminis solium divinitus assumptorum, quorum gesta magnalia post vitam morientium meruerunt vivere memoria æternali, cupientes aliquid operis operari, per quod memoria hominis opus hujusmodi operantis, in generationibus successuris vivere videatur, ad hoc intendere curavimus vigilanter quod saltem sacer Ordo Fratrum Cartusiensium, nostris præcordiis non mediocriter insidens, utpote cujus prolis merita plus redolere credimus apud Deum, per Nos in regno nostro Bohemiæ primum plantatus, et locum in quo divinis laudibus vacet assecutus, nostram memoriam post hanc vitam mortalem colere debeat, veluti cum justis fidelibus perenniter in gaudio permansuram. Ea propter curiam Tomlini, de monte in Ugest prope Pragam super ripam fluminis Multavæ sitam, æstimantes habilem ut in statum claustri seu monasterii quod

ANNUS
1342

ob Dei et piæ Genitricis ejus reverentiam fundare, construere et dotare, ac divina aspirante Clementia feliciter consummare disponimus transferatur, Hortum B. Mariæ Virginis proprio vocabulo nuncupandum, ipsam curiam cum suis molendinis in utroque littore dicti fluminis constitutis, pomeriis, aratura et cæteris pertinentiis universis apud eumdem Tomlinum, pro 400 sexagenis grossis denariis Pragensibus comparavimus titulo emptionis, et Fratribus dicti Ordinis ut in ea claustrum cum habitationibus quæ Priori et 24 suis Confratribus sufficiant, fundari de nostris sumptibus et construi juxta Ordinis decentiam prælibati, et septis per gyrum similiter decentibus communiri ordinent et disponant, tradimus liberaliter et donamus, per eos in perpetuum possidendam. Pro structuris autem hujusmodi fundationis nostræ et suis officinis singulis atque septis consummandis, disponimus, tradimus ac virtute præsentium assignamus octo marcas nostri regii pagamenti, dictis Fratribus sine intervallo quolibet persolvendas, singulis septimanis in antea continue succedentibus, nulla earum excepta nulloque casu interveniente, tamdiu quousque perceperint et sustulerint 2000 marcarum regii pagamenti antedicti integre et complete. Præterea dictis Fratribus 1300 sexagenas grossorum denariorum Pragensium prædictorum, pro quibus in bonis personarum dumtaxat sæcularium reditus perpetuos sibi comparent, promittimus nos daturos. Prædictæ quoque fundationi nostræ partem nemoris nostri dicti Wirde qui 24 laneos * contineat, ubi dicti Fratres partem nemoris duxerint acceptandam conferimus..... In cæteris vero nostris nemoribus universis prædictos Fratres et eorum Officiatos seu familiam, ligna universi generis, pro quibuscumque dictæ fundationis structuris et usibus optimis secare, tollere ac abducere sine impedimento quolibet.... Insuper ad majorem et fortiorem defensionem dictæ fundationis, non propter aliquod temporale emolumentum, sed pure propter Deum et gloriosam Dei Genitricem ac SS. Martinum, Vitum, Wenceslaum et Adalbertum, advocatiam nobis, hæredibus et successoribus nostris Bohemiæ

*Domus sub vocabulo Horti B. Mariæ.*

*Donationes variæ.*

* Certa agri portio.

ANNUS 1342

Regibus, pro ipsius fundationis nostræ usibus et utilitatibus reservamus, nulli unquam (nisi Prior et Conventus pro aliquo rogaverint, quamdiu ipsis placuerit) committendam. Item Prior qui nunc est, vel pro tempore fuerit, ut melius et utilius dicti Claustri et Ordinis negotia valeat procurare, specialis Capellanus noster, hæredum ac successorum nostrorum Bohemiæ Regum, semper erit cum 3 equis et annumeratus nostræ Curiæ et adscriptus.... Hanc etiam fundationem sic instituimus quod Prior et Conventus prædicti, dies anniversarios singulis annis peragere debeant infrascriptos : videlicet, divæ recordationis D. Henrici Romanorum imperatoris, genitoris nostri, ac charissimæ dominæ D. Margaretæ imperatricis, genitricis nostræ, etc.... Ita etiam quod in prædictis diebus Anniversariis Prior et Procurator teneantur et debeant Conventui secundum decentiam status Principum et Ordinis exigentiam bonas pitantias ministrare. Ut autem hæc nostra fundatio cum omnibus donationibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis et gratiis, prout præmissum est, robur obtineat perpetuæ firmitatis, præsentem paginam, una cum primogenito nostro, Carolo, marchione Moraviæ tradidimus, nostrorum sigillorum appensionibus roboratam.

*Confirmatio Caroli imperatoris,*

« Nos vero Carolus, prædicti D. Regis primogenitus, marchio Moraviæ, tam salubri paterno proposito assentientes, et quam plurimum congaudentes, sæpedictam suam fundationem, (quam et nostram, sicut vere est, reputamus), videlicet Horti B. Virginis in Ugest, cum universis et singulis donationibus et assignationibus libertatum, immunitatum, prærogativarum et gratiarum ejusdem ac Fratrum, et hominum possessionumque quocumque nomine censeantur, prout in his et in aliis fortassis Literis paternis datis vel dandis expressum est, vel de cætero exprimetur, ex certa nostra scientia approbamus, ratificamus et præsentis scripti patrocinio confirmamus, ac sigilli nostri munimine communimus, universis et singulis ad quorum notitiam præsentes venerint, una cum dicto Domino et genitore nostro, stricte et firmiter inhibentes, ne quidquam contra donationem, assignationem ac Literas præ-

notatas, quacumque temeritate seu præsumptione audeant attentare. Quicumque autem contra prædicta in aliquo venire præsumpserit, gravem nostram, hæredum et successorum nostrorum indignationem, secundum culpæ qualitatem et modum, cum omni pœna et emenda, se noverit incursurum. Datum et actum Pragæ, anno Domini 1342, prima die mensis Februarii. »

ANNUS 1342

Hæc omnia rata habuit et confirmavit Joannes Pragensis episcopus. « Et nos, ait, Joannes, Dei gratia Pragensis episcopus, piæ devotioni memoratorum Principum, Dominorum nostrorum benigno occurrentes affectu, quidquid per eos in præmissis provide factum est, ratum et gratum habentes, omnia et singula suprascripta autoritate ordinaria, de consensu venerabilis Capituli nostri approbamus, sigillum nostrum in testimonium evidens appendi facientes. Datum ut supra. »

*et Joannis Pragensis episcopi.*

Domus Pragensis, in urbis parte dicta Minore, loco amœnissimo sita, nomen inde meruit obtinere Hortum B. Mariæ, de cujus initiis hæc Georgius Bertholdus Pontanus : « Henricus, inquit, imperator habuit filium Joannem, cæcum nomine, quem Bohemis præfecit. Qui religione tactus, miratusque Cartusianorum asperam vitam, per quam corpora castigarent et in potestatem suam redigerent, Cartusianos numquam antea visos in Bohemia, Pragam, condito illis templo et bene dotato, adduxit. » Dominus fundator, Joannes a Rege Francorum, anno 1346, adversus Anglicos in auxilium vocatus, memorabili Crecensi prælio se immiscuit, in quo cum plurimis militibus cæsus interiit, die XXVI mensis Augusti ejusdem anni. Ejus successores pariter ac Pragenses Archiepiscopi (quorum primus Ernestus, a Clemente VI factus episcopus, Capitulo generali sæpissime mittebat eleemosynas) magnis hanc Domum beneficiis ornaverunt. Hæc cartusia Hussitarum rabie desolata est, anno 1408, ut ibidem dicemus.

Succincta Bohemiæ Historia.

III. Domus Infirmorum in Maurbacensi cartusia a Gerlaco fundata sub quibusdam conditionibus simplicitati Cartusianæ,

DOMUS INFIRMORUM IN MAURBACH DERELINQUITUR,

ANNUS 1342

imo et Ordinis rigori repugnantibus, hoc anno derelinquitur, uti ex his ejusdem cartusiæ Chronici verbis liquet :

Vide annum 1317.

Chronicon ms. pag. 26.

« Domnus Stiborius post Tylonem præficitur cartusiæ Maurbacensi, quam et rexit ad annum usque 1344. Sub quo Religiosi Gerlatianæ partis, quibusdam adhuc sui Fundatoris privilegiis et indultis gaudentes, ad legem communem sunt reducti ; statuerat enim R. D. Gerlacus solemnibus fundationis suæ tabulis, commiserationis intuitu, ut septem quos fundaverat Monachi meliori gauderent pitantia, cibo potuque lautiori vescerentur quam cæteri. Quam deordinationem ad producendos in agro Dominico spinas et tribulos aptissimam Venerandi Patres Hugo et Joannes, Priores Domorum Casularum et Vallis Sanctæ, ex commissione R. P. Generalis Provincias Lombardiæ et Sclavoniæ atque cartusiam Maurbacensem visitantes, penitus antiquarunt ordinatione facta ; « consuetudinibus quibuscumque, quantumcumque inveteratis, etiam in fundatione expressis, Statutis Patrum nostrorum (ut aiunt) contrariis, in perpetuum rejectis ; ne indiscreta et crudeli miseratione pœnitentiam et austeritatem Ordinis minuentes, et corporibus suis nimium compatiendo et condescendendo, et ultra debitum subveniendo, se ipsos privent refectione dulcissima, quæ iis est repromissa qui pœnitentiis et Ordinis abstinentiis serio intenderunt ; neve ita præsentis sæculi prandio comedant, ut in cœna futura, cæteris epulantibus, ipsi jejunare compellantur, etc. Actum in Valle omnium Sanctorum in Maurbach, anno Domini 1342, die 15 Martii. »

*utpote simplicitati et austeritati Ordinis contraria.*

STEPH. WILMAER DOMUS ANTWERPIENSIS BENEFACTOR.

IV. In Necrologio Domus Antwerpiensis ad hunc annum legitur : « Obiit 2 Octobris Stephanus, dictus Wilmaer, presbyter, reverendorum sacerdotum Collegii B. Mariæ sacellanus religiosissimus, promotor noster et magnus benefactor ; » quorum sensus verborum ex donatione anno 1342, 17 Februarii facta elucescit : « Universis præsentes litteras visuris, Nicolaus decanus ecclesiæ Antwerpiensis veritatis notitiam cum salute. Noveritis quod propter hoc in præsentia nostra personaliter constitutus discretus vir Dominus Stephanus dictus Wilmaer, perpetuus ecclesiæ Antwerpiensis capellanus,

sane multipliciter perpensans, saluti animæ suæ providens, considerans quam salubre fore bona seminare temporalia ut spiritualia metantur, et quia parum prodest bonum initium, nisi ad bonum finem deducatur et effectum : cum igitur dictus D. Stephanus primus fuerit promotor fundationis et constructionis Domus sanctæ Catharinæ prope Antwerpiam Fratrum Ordinis Cartusiensis, cupiens bene inchoata feliciter consummare, seque participem facere bonorum spiritualium quæ Dominus per dictos Fratres dignabitur operari, ob remedium animæ suæ, progenitorum ac amicorum suorum, dedit, contulit ac legavit, pura propter Deum, perfecta et irrevocabili donatione inter vivos, viris religiosis Priori et Conventui Ordinis Cartusiensis dicti loci bona infrascripta..... Datum anno 1342, 17 Februarii. » Singularis hic promotor in Capitulo nostro sepulturam accepit, et quotannis in festo Exaltationis Sanctæ Crucis specialem ad altare memoriam promeruit; ad hoc expresse dederat x grossorum turonensium pro pitantia in prædicto festo, « ut Fratres, inquit, ipso die aliqualiter specialem memoriam mei habeant. » Donavit insuper xi bonaria terræ valde bonæ in Mortfel, ut infirmis et necessariis ecclesiæ provideatur; valent bene ix libras grossorum turonensium hæreditarie; vendita sunt et reditus empti in Bergis. Item dedit hoilstarium siliginis hæreditarie.

ANNUS 1342

Chronicon ms. Dom. Antwerpiensis, cap. IV.

Æqualis ei fuit D. Joannes Ædyn et ipse raræ pietatis sacerdos, sub gradum majoris aræ apud Nostros humatus ; inter vivos iste desiit anno 1352, Decembris 26; maximus novæ plantationis altor cujus beneficia multiplicia enumerantur. Contulit inter alia primordialiter reditus sufficientes « ut totus vestiatur Conventus et vetera pauperibus erogentur ; et etiam ut detur una fertella siliginis omni septimana pauperibus ante portam. Et quamvis in Martyrologiis Domus nihil aliud habeatur quam prædictum est, multa sunt alia quæ Nobis largitus est, ut in antiquis Libris redituum invenitur. Dedit adhuc mediam libram grossorum turonensium et tria sextaria siliginis hæreditarie. Item pro semel c et xi coronas; item quidquid superfuit de ejus testamento per-

*Et Joannes Ædyn.*

ANNUS 1342

soluto, quod mercatum est ; item semel XXIX libras grossorum turonensium. »

INDULGENTIÆ POST COMPLETORIUM.

V. Priusquam huic anno finis imponatur, notandum duximus, tunc in Ordine incœpisse usum pulsandi ad Indulgentias post Completorium. « Quicumque voluerint, inquit Charta, trinam pulsationem post Completorium facere eis permittitur propter Indulgentiam obtinendam. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1343.

Clementis PP. VI Ann. 2. | Ordin. Cartus. Ann. 260. | Henrici Polleti Pr. Cart. Ann. 2.

ELEEMOSYNAM REGUM ANGLIÆ RECUPERARE TENTAT R. P. HENRICUS POLLETUS.

I. ANNUS Christi millesimus trecentesimus quadragesimus tertius exurgit, Indictione undecima. Eo tempore R. P. Henricus Polletus ad Eduardum Angliæ regem misit Nicolaum Domus Parisiensis Priorem, Commissarii Majoris Cartusiæ titulo decoratum, qui cum ipso ageret ut censum quinquaginta marcarum olim ab ejus decessoribus datum et confirmatum exsolvi juberet. Etenim Henricus II, anno 1185, in perpetuam eleemosynam L marcas argenti de scaccario Angliæ habendas, Majori Cartusiæ dederat; quas tamen succedentes Angliæ reges numerare neglexerant : anno autem 1235, Nostrorum patientia devictus, Henricus III denegatam diu pensionem tandem fieri præcepit, dato diplomate die III Augusti. Cum deinceps, temporis decursu, iste census minime persolveretur, R. P. Jacobus de Viviaco quemdam Monachum, Joannem Piscatoris, anno 1340 in Angliam direxit ut Eduardum ad debitis satisfaciendum excitaret : promisit Rex, sed, ut probabile videtur, nihil præter verba donavit; unde præsenti anno 1343, Prior Cartusiæ Nicolaum Parisiensem rursum delegavit eadem tractaturum. An justa petentem Eduardus exaudierit, incertum est ; haud tamen absque fructu in regnum Angliæ Nicolaus transfretavit : nam pro debita pecunia forsan non recepta, secum certo detulit novæ Domus cartam fundationis, Domus siquidem SS. Trinitatis in Beauval, 5000 passibus versus

Vide hunc annum.

Vide hunc annum.

ANNUS 1343

DOMUS BELVALLIS FUNDATUR IN ANGLIA.

occidentem a Nottingham sitæ, Eboracensis diœcesis. Ejus initiator extitit Nicolaus de Cantilupo, ex amplissima Angliæ familia prognatus; tabulæ fundationis tales sunt :

*Literæ dotales.*

II. « Sciant præsentes et futuri, quod cum serenissimus Princeps dominus Edwardus, Dei gratia rex Angliæ et Franciæ illustris et dominus Hiberniæ, mihi Nicolao de Cantilupo, domino de Ilkeston, ad instantem supplicationem meam, juxta devotionem meam quam habeo ad fundandum monasterium Ordinis Cartusiensis in parco meo de Greseleye in comitatu Nottinghamiæ, pro se et hæredibus suis gratiose concessit decem libratas terræ, et reditus per annum cum pertinentiis in villis de Greseleye et Seleston, quæ una cum parco de Greseleye et advocationem ecclesiarum villarum prædictarum de Greseleye de ipso domino Rege tenentur in capite, Priori et duodecim Monachis dicti Ordinis, et eorum successoribus ibidem Deo servituris dare possim et assignare perpetuo possidendas; et quod dicti Prior et Monachi possint prædictas ecclesias sibi appropriare et appropriatas tenere, sine aliqua occasione mei vel hæredum meorum in perpetuum; ita quod nec ego nec hæredes mei, nec dicti Monachi nec eorum successores, occasione statuti de terris et tenimentis ad manum mortuam non ponendis, seu pro eo quod dicti terræ reditus et parcus de dicto domino Rege tenentur capite, per ipsum dominum Regem, hæredes, Justiciarios, exactores, Vicecomites, ballivos seu alios dicti domini Regis ministros quoscumque, molestentur seu graventur. Ego dictus Nicolaus, dictam concessionem secutus ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, et beatæ Mariæ virginis Genitricis ejus omniumque Sanctorum, ac Religionis et cultus divini augmentum; ac pro salubri statu dicti domini regis Edwardi domini mei, et venerabilis viri magistri Willielmi La Zouch, Dei gratia Eboracensium archiepiscopi, Angliæ Primatis, et domini et consanguinei mei carissimi ac domini Henrici de Lancastria comitis Derbiæ, dum vixerint; ac Joannæ uxoris meæ, et Willielmi filii et hæredis mei, necnon pro animabus dicti domini Regis domini mei et omnium prædictorum cum

ANNUS 1343

de hoc sæculo migraverimus, et pro anima Tiphaniæ quondam uxoris meæ, et omnium progenitorum et hæredum meorum, necnon patris mei et matris meæ : dedi, concessi, et hac præsenti carta mea confirmavi, Deo et beatæ Trinitati, Patri et Filio et Spiritui Sancto, ac Priori et Monachis Ordinis Cartusiensis in monasterio quod vocatur Pulchræ Vallis, in dicto parco de Greseleye ad eorum usum ædificato et constructo, necnon eorum successoribus ibidem Deo secundum consuetudinem et Ordinem seu Regulam matricis ecclesiæ Cartusiensis famulantibus, dictum monasterium et parcum Greseleye adjacentem, ac decem libratas terræ et reditus in villis de Greseleye et Seleston cum pertinentiis, necnon advocationes ecclesiarum dictarum villarum... Ac contra omnes gentes warantizabimus, et defendemus eos de omnibus servitiis, consuetudinibus, et sæcularibus demandis in perpetuum. In quorum omnium testimonium, sigillum meum præsentibus apposui. His testibus Dominis Riccardo de Wylliby, Roberto de Strelley, Willielmo de Grey, Joanne de Dunesleye militibus ; Hugone Martel, Joanne Attecoppe, Willemo Danvers, et multis aliis. Datum apud Greseleye, nono die Decembris, anno Domini 1343, et regis Eduardi III post conquestum decimo septimo. »

BENEFACTORES DOMUS.

III. In hujus Domus fundatorum numero fuit Eduardus de Baliol, rex Scotiæ, cui tale sic competiit nomen : Guillelmus de Aldburg, die decima Februarii 1362, dedit Priori et Conventui de Gresely, alias de Bellavalle, haiam de Willawe et decem libras annui reditus, « ut, inquit donator, intuitu dictæ eleemosynæ, Dominus meus, Edwardus de Baliol, rex Scotiæ, et ego, præfatus Willielmus, inter fundatores dicti Prioratus numeremur et ambo participationem habeamus omnium spiritualium bonorum hujus Domus. »

*Duorum monachorum capellanorum fundatio.*

Guillelmi de Aldburg sorores (aut filiæ), Elizabeth uxor quondam Briani de Stapilton et Sybilla uxor Johannis de Ryther, annuum canon octoginta solidorum super tribus maneriis de Kirkeby, Orblawers et Kereby assignaverunt in beneficium Domus Bellævallis, « ad inveniendos duos Mona-

ANNUS 1343

chos divina quotidie in ecclesia dictæ cartusiæ celebraturos » pro animabus Guillelmi de Aldburg et Elisabethæ uxoris ejus, patris et matris prædictarum Elisabethæ et Sybillæ, pro animabus fratris earum G. de Aldburg et Margaritæ uxoris ejus, et pro anima Edwardi de Baliol.

*Concedente Ricardo rege,*

Hujus assignationis faciendæ licentiam dedit Rex Anglorum sequenti diplomate : « Richardus Dei gratia rex, etc. Licet de communi consilio regni nostri Angliæ, statutum sit quod non liceat viris Religiosis ingredi feudum alicujus, ita quod manum mortuam deveniat, sine licentia nostra et capitalis Domini de quo res illa immediate tenetur : de gratia tamen nostra speciali licentiam dedimus Elizabethæ, quæ fuit uxor Briani de Stapilton junioris chivaler, quod ipsa quemdam annuum reditum quadraginta solidorum exeuntem de medietate maneriorum..., ac Willielmo de Ryther chivaler et Sibillæ uxori ejus, quod ipsi quemdam annuum reditum quadraginta solidorum, exeuntem de altera medietate maneriorum prædictorum, quæ de nobis non tenetur, dare possint Priori et Conventui de Bellavalle Ordinis Cartusiensis, habendum sibi et successoribus, ad inveniendos duos Monachos capellanos divina pro animabus.... in ecclesia ipsorum Prioris et Conventus de Bellavalle singulis diebus celebraturos, etc. »

Prior vero et Conventus Bellævallis infrascriptam confecerunt attestationem in recognitione fundationis Elisabethæ et Sybillæ de Aldburg :

*et recipiente Priore Domus.*

« Noverit universitas vestra, nos Priorem et Conventum Domus Bellævallis Ordinis Cartusiensis, Eboracensis diœcesis, considerantes piam et sinceram affectionem quam dominus Willelmus de Aldeburgh junior erga nos et Domum nostram semper in vita sua novimus habuisse, et præsertim pro magna et nobili summa pecuniæ quam dominus Willelmus de Ryther et Isabella uxor ejus, et Elizabetha quæ fuit uxor Briani Stapilton, sorores, et hæredes prædicti domini Willelmi, nobis in magna necessitate nostra solverunt, concessisse pro nobis et successoribus nostris ad inveniendum duos Monachos singulis diebus specialius celebraturos pro

patre et matre prædicti domini Willielmi, ac pro seipso et uxore sua, et pro Edwardo Ballioli, in perpetuum, etc. »

ANNUS 1343

Complures alios hæc Domus recensuit benefactores, ac tempore quo Nostri eam et cæteras in Anglia reliquerunt (1539), duodecim Monachos sustentabat.

Minime etiam hic silendum, duos ex hujus Bellævallensis Domus Prioribus, D. Joannem Houghton scilicet et D. Robertum Laurentium, in cruenta illa sub Henrico VIII, Angliæ rege, persecutione, nefanda morte pro fide occisos; quos Summus Pontifex Leo XIII Beatorum catalogo adscripsit.

INITIUM CARTUSIÆ PONTINIANÆ JUXTA SENAS.

IV. Dum in Anglia surgit Bellæ vallis Domus, alia fundatur prope Senas in Italia, cujus initia ex ejusdem cartusiæ monumentis veteribus eruimus : « Venerabilis vir et dominus, dominus Bindus de Petronibus quondam Bindi civis Senensis filius, notarius Domini Papæ et ecclesiæ majoris Coloniensis Præpositus, cum post mortem amplissimi cardinalis domini Riccardi Petroni consobrini sui ac fundatoris cartusiæ Maggiani (qui obiit anno Domini 1313) ac post a se cœptum ædificari prædictum monasterium Maggiani, uti testamentario executore ultimæ voluntatis ejusdem prædicti domini Cardinalis, immisisset in corporalem tenutam et possessionem dicti loci V. P. Domnum Michaelem, tunc temporis Procuratorem generalem Ordinis Cartusiensis, ad hoc specialiter a prædicto Ordine deputatum; dictus dominus Bindus secutus Romanam Curiam, eo tempore Avenione commorantem, tantum sibi autoritatis conciliavit, rerum gerendarum prudentia atque eximia eruditione cum pari dexteritate conjuncta, ut ad summum gratiæ culmen evectus, apud Summos illius temporis Pontifices, multas sibi opes comparaverit, amplissimo sacerdotio præditus. Quæ quidem viro temperatissimo et ad præclara tendenti, præsidio fuere in patria et extra eam ad multos egestate pressos sublevandos, atque alios ad virtutes promovendos, tum etiam (quod illi nomen, et famam peperit æternam) ad cartusiam Pontiniacam a fundamentis excitandam. Propterea, ut id opus aggrederetur vir undequaque clarus, in patriam se recepit, et motus

ANNUS 1343

exemplo munificentissimi consobrini sui, ac pro salute animæ suæ et cognatorum suorum (ut idem ipse in Carta donationis in Archivo ejusdem Domus asservata testatum reliquit), ut quod mente conceperat ad effectum produceretur, emit quemdam locum in parochia Sancti Laurentii vocatum de Pontignano, diœcesis Senensis, ac situm ad tertium lapidem a Senarum civitate; et petita et obtenta licentia ædificandi prædictum monasterium a reverendissimo domino Malavolta, tunc temporis Senensium episcopo, qui non solum gratanter, sed perlibentissime, magno encomio Cartusianæ Religionis postulata concessit. Anno Domini a Nativitate ejusdem 1343, die 3 mensis Septembris, tempore Pontificatus Reverendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Clementis divina Providentia Papæ VI, regnante serenissimo Principe et domino, domino Carolo IV Romanorum Imperatore, cœpit ædificari ab eodem domino Bindo monasterium Ordinis Cartusiensis sub titulo Sancti Petri apostoli, in prædicto loco de Pontignano : in quo quidem monasterio ordinavit quod ibidem essent, et esse deberent, unus Prior et duodecim Monachi et duo vel tres Conversi perpetuo residentes, qui secundum Deum et Statuta præfati Ordinis Cartusiensis haberent ibidem Domino devote et humiliter deservire. Post quæ dictus dominus Bindus immisit in tenutam et corporalem possessionem dicti loci Venerabilem P. D. Aymericum primum ejusdem monasterii Priorem, ut ex eorum reditibus perficeretur dictum monasterium, et alerentur Religiosi in eo deputati vel deputandi. Insuper anno 1351, idem dominus Bindus suum condidit testamentum, in quo post nunnulla legata diversis locis piis addicta, tam mobilium quam immobilium bonorum suorum, suum universalem hæredem instituit præfatum monasterium et Monachos ejusdem tam præsentes quam futuros. Non destitit prudens Fundator petere a Summo Pontifice, Clemente VI, ut aliqua Indulgentia de benignitate Apostolica decorarentur novum a se fundatum monasterium ac Religiosi ibidem congregati; obtinuit, ut per Apostolicam bullam ejusdem Pontificis

*Sub titulo beati Petri Apostoli.*

*Speciali Indulgentia in articulo mortis ditantur primi Domus habitatores.*

patet, ut confessor quem ejusdem loci Prior et novem alii Monachi, et quilibet eorum qui primitus ibidem diem obiret extremum, duceret eligendum, semel et in mortis articulo plenam remissionem omnium peccatorum ei impendere valeret. Curriculo deinde temporis, præfatum monasterium multiplicia privilegia obtinuit, etiam proprio motu et a Republica Senensi, circa immunitatem, et præstantiam vectigalium ac decimarum, non solum pro se sed etiam pro colonis, officiariis, pensionariis et similibus ; prout patet ex scripturis in dicto monasterio servatis. » ANNUS 1343

Anno Domini 1353, 17 die mensis Maii, Dominus Fundator diem clausit extremum, sepultusque est ante altare majoris sacelli, ut ex ejus inscriptione ibidem posita videtur, versibus, insulsis quidem, lapide incisis : Morozzo Theatr. Chronolog. p. 264.

Bindus Senensis, hujus Domus Cartusiensis
Prudens Fundator, Domini Papæque Notator,
Hanc Petro donavit ; hic jacet. Super astra volavit
Anno milleno tercentesimo, lustroquè deno
Addas tres, Maii pleno die tunc septemdeno*.

* XVII Maii 1353.

V. In Charta præsentis anni hæc leguntur :

DECRETA CAPITULI.

1. « Orabitur pro domino Alberto, duce Austriæ, qui in favorem Ordinis dedit sexaginta florenos pro ponte sub Rucheria faciendo ; et dicetur pro consolatione ipsius Missa de Spiritu Sancto in qualibet Ordinis Domo. » Quædam de isto ponte dicenda veniunt. Ad finem usque sæculi quinti decimi, versus Cartusiam viæ duæ tantum erant : quarum prima ab urbe Gratianopoli per villam de Sapeto ad Eremum ducebat, altera vero a Camberiaco et Scalis, quasi rupium lateribus inhærens, assurgebat reptans usque ad Rucheriam et exinde descendendo ad Cartusiam ; in loco autem qui dicitur *le Frou**, sub Rucheria, abysso horrendæ altitudinis pons exiguus imminebat, quem jure meritoque Periculosum appellabant. Ut iste pons, modo securiori atque commodiori reædificaretur, anno 1343, Dux Austriæ eleemosynam dederat sexaginta florenorum, de qua supra : videtur etiam Priores

*Pons Periculosus, quid?*

* i. e. horrendum.

ANNUS 1343

Alemaniæ juxta Rhenum, ad subsidia eroganda pro constructione Pontis Periculosi se motu proprio obstrinxisse. Quidam autem novi Priores, sponsionis vel immemores vel ignari, promissa subsidia non miserunt : unde sic eos admonet aut dure increpat Charta : « Prior S. Albani prope Trevirim mittat seu apportet ad futurum Capitulum, pro ponte periculoso subtus Rucheriam ædificando, 5 florenos. Conventus S. Barbaræ in Colonia mittat ad futurum Capitulum 4 florenos pro ponte periculoso subtus Rugeriam (sic) construendo. Prior S. Michaëlis in Moguntia mittat seu apportet ad futurum Capitulum 5 florenos pro ponte prædicto, alioquin feria tertia a pitantia abstineat. Conventus B. Beati Confluent. eligat Priorem et futurus Prior mittat 5 florenos pro ponte prædicto ; alioquin a pitantia abstineat feria tertia, quousque miserit. Prior Novæ Cellæ in Grunaw mittat 4 florenos, alioquin... » Cum Priorum Alemaniæ sumptibus pons ille erectus fuisset, inde nomen accepisse : *Le pont des Allemands,* nobis probabilissimum videtur. Circa vero sæculi quinti decimi initium, R. P. Petrus Ruffi, magno labore, sive evulsis, sive sectis, sive pulvere tormentario excussis saxis, aliam aperuit viam qua ex parte Sancti Laurentii ad Cartusiam pervenitur ; ex tunc, horrendum iter per *le Frou* est derelictum. In ista nova via, visitur pons parvulus qui usque ad præsentem diem *le pont des Allemands* vocitatur, propter memoriam (ut credimus) Periculosi Pontis sæculo XIV sub Rucheria constructi. Sunt etiam qui dicunt Provinciarum Alemaniæ Priorum famulos, super hunc modernum Germanorum Pontem cum venissent, speciali quodam privilegio, sclopetis ignem admovendi jus habuisse : quod negare nollem, licet nusquam scriptum invenerim.

*Alemanorum pons : unde sic dictus ?*

2. « Ordinatur quod quando legitur Passio, audito *Emisit spiritum* vel hujusmodi, ruens in faciem prosternet se Conventus ; et in Missis privatis in elevatione Corporis Christi cereus accendatur et casula elevetur ; et inclinetur modice quoties pronunciatur nomen Jesu in Conventu. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1344.

| Clementis PP. VI Ann. 3. | Ordin. Cartus. Ann. 261. | Henrici Polleti Pr. Cart. Ann. 3. |
|---|---|---|

I. REDEMPTORIS nostri annus millesimus trecentesimus quadragesimus quartus, Indictione duodecima, sequitur ordine temporis, quo sopita est illa diuturna et dura vexatio Ludovici, comitis Flandriæ et Registensis, in Monachos Montis Dei, de qua supra diximus. Postquam autem diversimode causa ventilata fuisset, Comes Flandriæ, quum iram Regis timeret et a vinculo excommunicationis, quo eum Joannes Viannensis archipræsul Remensis ligaverat, solvi tandem cuperet, ad resipiscentiam venit et, die 24 Januarii 1344, sequentem subscripsit cartam :

COMES FLANDRIÆ ET MONTIS DEI CARTUSIA CONVENIUNT.

« Omnibus præsentes Literas inspecturis vel audituris, Ludovicus Flandrensis, Nivernensis et Registensis comes, salutem in Domino. Noverint universi quod de questione et controversia quam habemus et habuimus cum religiosis viris Priore et Conventu Montis Dei, Ordinis Cartusiensis, super quibus dicti Religiosi voluerunt et consenserunt quod nostram faceremus et ordinaremus omnimodam voluntatem; diximus, ordinavimus et declaravimus, dicimus, ordinamus et declaramus tenore præsentium quæ sequuntur : primo, quod ad utilitatem nostram et nobis subjectorum, facultatem habebimus navigandi per rippariam dictorum Religiosorum, quæ ripparia dicitur Barrum, ad vehenda ligna sylvarum nostrarum; ita tamen quod dicti Religiosi minime turbentur in pi-

*Controversiam ipse Comes componit,*

ANNUS 1344

scaria, jurisdictione et dominio prædictæ rippariæ, nec in ullo eorum jure aliquid patiantur detrimenti. Item, nos et successores nostri, Comites Registenses, in hoc nostro manentes Comitatu vel ab eo absentes, facultatem habebimus venandi per nos vel per familiares nostros, toties quoties nobis placuerit, in nemoribus et per nemora dictorum Religiosorum; sic tamen ut nullo modo in quieta bonorum suorum possessione turbentur, impediantur vel damnificentur: quod si clausuræ ad usum dictæ venationis faciendæ sunt, in terris nostris et de nostris lignis fiant, minime vero in terris aut nemoribus nec ex lignis præfatorum Religiosorum. Et nos, et domestici et venatores nostri vel alii, tam pro nobis quam pro dictis venatoribus et eorum canibus, nihil a Prioratu Montis Dei possemus exigere, nec eum intrare, aut habitare dictum Prioratum, nec jus ullum habere in eo vel in locis seu domibus sitis infra terminos Prioratus sæpedicti; nec poterunt venatores nostri et canes nostri, ut se præparent ad venandum, ad Montis Dei Prioratum ante venationem venire, nec ibidem, peracta venatione redire, vel cibaria aut quæcumque alia sumere de bonis dictorum Religiosorum, pro quacumque necessitate canum aut venantium. Et volumus, damus et concedimus quod libertates, usagia, jura et aisantiæ quæcumque quibus usi sunt a temporibus retroactis in dictis nemoribus et extra, et quod omnia contenta in privilegiis et fundationibus dicti Prioratus, a quocumque sint concessa, maxime a prædecessoribus nostris, serventur, manuteneantur et vigeant pro toto et in eorum statu antiquo et virtute; et de dictis privilegiis possint dicti Religiosi pacifice gaudere, et in omni casu et omni modo, quidquid eis magis placuerit vel profuerit, facere valeant in nemoribus suis et possessionibus; servato tamen quod nos et successores nostri supradictis facultatibus et in modo supra constituto gaudere possimus; servato etiam quod si, in temporibus futuris notum fieret quod nos præfatorum Religiosorum gardiam habemus, hanc tenere intendimus. Insuper ipsis Religiosis confirmamus et promittimus tenere et facere tenere, servare

*quædam sibi vindicans,*

*cætera Religiosis confirmat.*

et defendere, omnia eorum privilegia et libertates a nostris antecessoribus data, ut his plene uti possint, nonobstantibus omnibus renunciationibus, litibus, causis, concordiis et discordiis quibuscumque, quæ mota, facta, ventilata, sententiata, pronunciata fuerint in Curia Domini nostri Regis, Lauduni vel alibi, inter nos et sæpedictos Religiosos ; licet jam sit in favorem nostri pronunciatum : quibus omnibus renunciamus totaliter, nec volumus quod in futurum, nos, vel successores nostri aut familiares aut alii, nostro nomine, possint ullum jus clamare, de facto vel de jure, propter saisinam, proprietatem vel quamcumque aliam causam, in dictis nemoribus, terris, maneriis et ripparia, quocumque modo aut titulo, exceptis facultatibus navigandi et venandi in dictis ripparia et nemoribus, modo supra dicto et determinato. Et ex nunc, bona fide, renuntiamus omni consuetudini, juri, usui hujus terræ quæ prædictis contraire possint ; et omnibus quæ imposterum, tam de jure quam de facto, harum Literarum tenori contradicere valerent. In quorum fidem dictis Literis apponi fecimus sigillum quo ad præsens utimur, sigillo nostro magno deficiente. Factum et datum Parisius, die vigesima quarta mensis Januarii anni Incarn. MCCCXLIV. Et prædictæ Literæ sigillatæ erant parvo sigillo in cera rubra. »

*Inscio Conventu hanc sic disponendi facultatem Comiti fecerant*

Qua lecta Carta, valde mirati sunt Monachi Montis Dei Comitem Registensem, inter cætera, hæc dixisse : « .... super quibus (controversiis) dicti Religiosi voluerunt et consenserunt quod nostram faceremus et ordinaremus omnimodam voluntatem. » Conventus quidem Monachorum Domus hæc fuisse concessa minime audiverat ; Prior enim, Domnus Galcherus, Comitis audacia perterritus, et (ut videtur) incitationibus fratrum Conversorum actus, de jure suo clam cedere statuerat ; ideoque non Sacerdotem, non Monachum, non Officialem Domus suæ, sed Conversum quemdam, Ponsardum de Mazeriis, delegaverat, mense Septembri 1341. Iste Ponsardus die 18 Januarii 1342, « nomine procuratorio, ut aiebat, dictorum Religiosorum renunciavit libere et absolute

*frater Ponsardus, Conversus nomine Prioris,*

ANNUS
1344

liti et causæ dudum motis et deductis et adhuc pendentibus in Curia illustrissimi principis Domini Regis Franciæ apud Laudunum, coram baillivo Viromendis, inter magnificum principem et potentem dominum Ludovicum Flandrensem, Nivernensem et Regitestensem comitem ex una parte, et dictos Religiosos ex altera, super jure venandi in nemoribus et per nemora, ac etiam super jure navigandi per rippariam Religiosorum prædictorum, quæ ripparia Barrum dicitur. Quod quidem jus venandi et navigandi dominus Comes prædictus asserebat et dicebat ad ipsum pertinere : necnon omnibus processibus et singulis ex lite et causa prædictis ortis, factis et habitis; et ex eodem litem, causam et processus penitus et omnino relaxavit et summisit prædictus procurator, nomine quo supra, omne jus quod habebant dicti Religiosi, si quid habebant, habere poterant et debebant in præmissis, voluntati et ordinationi domini Comitis antedicti. Volens et consentiens dictus procurator, nomine supradicto, quod idem dominus Comes de præmissis suam faciat et ordinet omnimodam voluntatem. Acta et data fuerunt hæc apud Macerias, Remensis diœcesis, in domo habitationis discreti viri et honesti magistri Johannis de Basigniaco, physici. Anno 1342, Indictione X, mense Februario et die 18, circiter horam Primæ, præsentibus.... » Hanc cessionem ipse Prior eodem die, circa horam Completorii, apud Mazerias ratificaverat et approbaverat, pro se et Conventu suo, ut aiebat; sed revera, insciente Conventu, dissimulanter egerat.

*et ipse Prior.*

Quum autem res, recitato palam Comitis diplomate, omnibus innotuisset, tum die septima Aprilis ejusdem anni (1344), Montis Dei Conventus, i. e. illa pars Monachorum quæ Capitulum faciebat, sequens Instrumentum scribi jussit :

*Iis reclamat Conventus,*

« In Dei nomine. Amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter quod anno ab Incarnatione Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, feria quarta, die septima mensis Aprilis, in claustro Domus seu loci ecclesiæ beatæ Mariæ de Monte Dei, Cartusiensis Ordinis, Remensis diœcesis, hora quasi tertia vel circa, Indictione

*Instrumento publico confecto.*

ANNUS 1344

duodecima, pontificatus sanctissimi Patris ac D. D. Clementis Papæ sexti anno secundo, in mei Notarii infrascripti et testium subscriptorum præsentia : propter hoc personaliter constitutus, vir religiosus et honestus frater Ponsardus de Maceriis, Conversus professus et procurator Prioris et Conventus dictæ ecclesiæ seu Domus, ut apparet per infrascripta, revocavit totaliter et omnimode quidquid per ipsum, seu per seipsum procuratorem Religiosorum virorum prædictorum, actum, dictum, factum, processum seu pronunciatum fuerat juxta tenorem Instrumenti publici superius notati..... [Hic interseritur cessio fratris Ponsardi, de qua supra : « Nomine procuratorio.... etc. » ] Cujus Instrumenti suprascripti tenorem seu contenta in ipso Instrumento, prout supra præmissum est, dixit et asseruit se fecisse, dixisse seu consensisse vi et metu compulsus in animo et coactus. Item frater Galcherus, Prior ecclesiæ beatæ Mariæ de Monte Dei supradictæ, et frater Johannes de Cutrey [Clericus Redditus] procurator dictæ ecclesiæ seu Religiosorum virorum prædictorum, propter hoc personaliter constituti, ratisficationem seu approbationem vi et metu factas per ipsos Priorem et procuratorem prædictos, revocarunt penitus et oretenus annullarunt. Quarum ratisficationis seu approbationis, ut præmittitur, per ipsos factarum talis erat tenor :

*Revocat Ponsardus quæ fecerat,*

*similiter et Prior Domus.*

« Universis præsentes literas inspecturis, F. Galcherus Prior ecclesiæ beatæ Mariæ de Monte Dei, Cartusiensis Ordinis, Remensis diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Cum frater Ponsardus de Maceriis, Conversus noster professus ac procurator noster, nostri Conventus et ecclesiæ nostræ, per Literas sigillo nostro quo utimur vel uti consuevimus, tam nostro nomine quam Conventus seu ecclesiæ nostræ sigillatas sufficienter instructus, coram certis tabellionibus ad hoc vocatis et rogatis, anno ab Incarnatione Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo, decima octava die mensis Februarii, circiter horam Primæ, nomine procuratorio nostri et Conventus ecclesiæ nostræ prædictæ, renunciasset liti et causæ motis, deductis, agitatis et adhuc pendentibus apud

*Diploma facultatis Comiti prius concessæ.*

ANNUS 1344

Laudunum in Curia illustrissimi principis Domini Regis Francorum coram baillivo Viromendis inter magnificum Principem, potentem dominum Ludovicum, Flandrensem, Nivernensem et Regitestensem comitem, ex una parte; et nos et Conventum nostrum ex altera super jure venandi in nemoribus nostris et navigandi per ripariam nostram quæ dicitur Barrum, quod jus Dominus noster prædictus dicebat debere ad ipsum pertinere, dictasque litem et causam idem frater Ponsardus procurator noster nomine quo supra relaxasset penitus et omnino, et omne jus quod habebamus seu habere poteramus in præmissis, si quod habebamus aut habere poteramus, supposuisset et summisisset ordinationi et omnimodæ voluntati domini Comitis supradicti, volens et consentiens expresse idem procurator quod idem dominus Comes de præmissis suam facere valeat omnimodam voluntatem, prout in publicis Instrumentis super hoc confectis plenius continetur : noverint universi quod nos Prior prædictus et frater Johannes de Cutrey, Clericus [Redditus] et procurator ecclesiæ nostræ, anno Domini supradicto, Indictione decima, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Benedicti divina Providentia Papæ duodecimi, anno octavo, prædicta octava decima die mensis Februarii, circiter horam Completorii, apud Macerias Remensis diœcesis prædictæ, coram tabellionibus et testibus infrascriptis personaliter constituti, pro nobis et Conventu nostro ratisficavimus et approbavimus. . . . .quidquid per dictum fratrem Ponsardum de Maceriis, Conversum et procuratorem nostrum, actum, dictum, renunciatum, relaxatum, suppositum et summissum fuerat de præmissis; sigillum quo sigillatum erat procuratorium prædicti fratris Ponsardi tanquam nostrum verum sigillum et proprium, quo pro nobis utimur et Conventu nostro, veraciter approbando. In cujus rei testimonium præsens publicum Instrumentum per tabelliones publicos infrascriptos fieri et duplicari fecimus et mandavimus, ac signis et subscriptionibus eorumdem una cum sigilli nostri munimine roborari. Acta et data fuerunt

hæc apud Macerias in domo habitationis discreti viri et honesti magistri Johannis de Basigniaco physici; anno, Indictione, pontificatu, mense, die et hora prædictis; præsentibus nobili et potenti viro domino Johanne, comite de Grandiprato, religiosis et discretis viris fratribus Johanne de Syaco et Johanne de Blanzeyo, Fratribus Prædicatoribus de conventu Remensi, Johanne dicto Pisson de Maceriis, clerico, et Collessonno de Bus, Remensis diœcesis, laico, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis. Et nos Nicholaus de Vervino, Laudunensis, Nicholaus Odonis de Luma et Gerardus Berneri de Maceriis, Remensis diœcesis clerici, publici autoritate imperiali notarii, ratificationi, approbationi et omnibus aliis et singulis suprascriptis una cum prænotatis testibus præsentes fuimus; et hoc præsens publicum Instrumentum manu mei Nicholai de Vervino notarii prædicti, scriptum et publicatum ad requisitionem et mandatum præfati Prioris, nostris signis consuetis signavimus requisiti specialiter et rogati in testimonium præmissorum.

*Omnia prædicta revocantur.*

« Et quod Instrumenta suprascripta et in ipsis contenta ipsi Prior et duo procuratores prænotati concesserant, fecerant et ordinaverant Conventu penitus ignorante, præfatus vero Prior prædicta Instrumenta celavit et abscondidit, celata et abscondita penes se detinuit per multum tempus, a dicto Conventu sive viris religiosis Domus seu ecclesiæ supradictæ pluries requisitus et rogatus cum effectu quo poterant et valebant : item religiosi viri seu Conventus sæpedicti Instrumenta præscripta unanimiter et ex uno consensu revocarunt et revocata tenuerunt et habuerunt, tenent et habent pro revocatis et annullatis, anno, Indictione, pontificatu, mense, die, loco et hora prædictis; cum hæc omnia supradicta contra juridictionem seu ecclesiæ suæ libertatem essent facta, et contra cujuslibet boni viri conscientiam, minus juste, vi et metu ut præmittitur, ipsis ignorantibus perpetrata. Acta sunt hæc anno, Indictione, pontificatu, mense, die, loco et hora prædictis, præsentibus discretis viris et honestis Johanne Vauleti de Yvodio, Therico de Villei, Trevirensis

ANNUS 1344

diœcesis, armigero; Adam dicto Escuier, genero Ponchas, Johanne dicto Varlet de Syaco, Remensis diœcesis, laicis; et Wieto de Oche, dictæ diœcesis clerico, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis. Et ego Alexander Trufferii de Vertonno, Treverensis diœcesis, publicus autoritate imperiali notarius, prædictis omnibus renunciationibus et annullationibus una cum prænotatis testibus præsens interfui, et omnia suprascripta propria manu transcripsi, publicavi et in formam publicam redegi, signoque meo solito signavi, a prædictis Priore et procuratoribus et Conventu requisitus specialiter et rogatus. »

*Flandriæ Comes resipiscit.*

Flandriæ vero Comes huic vindicationis Instrumento non videtur reclamasse; imo sincera tactus pœnitentia non dubitavit Monachis mandare se ad Montem Dei iturum et condignam emendam præstaturum. Quod et fecit : ingressus enim est ecclesiam « misericordiam clamitans a Deo et Sanctis ejus et a Nostris veniam; » dedit etiam huic Domui splendidissimum suum pallium, ex quo postea casula fabricata est; et ad damna reparanda quadraginta libras annuales assignavit quas vidua ejus instituit sumendas ex furno publico de Vendresse. Post hæc absolutus est Comes ab omnibus censuris ecclesiasticis. Quæ omnia acta sunt ineunte anno 1345, nam in Kalendario Montis Dei sic legimus die 25 Januarii, in festo Conversionis D. Pauli : « Dies pœnitentiæ et resipiscentiæ Ludovici Flandrensis comitis, nostri persecutoris. » Imposterum vero præfatus Comes cum Montis Dei Cartusiensibus concorditer vixit, et suam etiam protectionem extendit ad Flandriæ Domos. Demum anno 1346, die 26 Augusti, cum strenue et acerrime pro patriæ libertate certaret, occisus est in pugna Crisiaci, unde et nomen « Ludovici Crisiaci » accepit.

J. DE BLANGY IN PARISIENSI CARTUSIA SEPELITUR.

II. Inter vivos esse desiit Joannes de Blangy, qui ejurato episcopatu hoc eodem anno 1344, die decima quinta Martii, sepultus est in choro cartusiæ Parisiensis, in monumento cupræo quod altaris majoris cancellis circumdatur, ubi Præsulis imago visitur, cum hac inscriptione : Hic jacet reco-

lendæ memoriæ Joannes de Blangiaco, diœcesis Rotomagensis, Doctor in sacra theologia, episcopus Antissiodorensis quondam, cujus anima requiescat in pace, qui obiit anno Domini 1344. » De Joanne Blangiaco ita Sammarthani : « Translato (1340) ad sedem Rotomagensem Aimerico, Benedictus XII motu proprio Antissiodorensem episcopum designavit Johannem de Blangiaco, quod in studio theologico commilitones, quod in eadem licentia doctorali pileo una donati, quodque insimul professores theologiæ disciplinæ extitissent. Vir Neustrius, Johannes fuit e diœcesi Rotomagensi natus, Doctor Navarræus et insignis theologiæ professor ac Volcassinus in ecclesia Rotomagensi archidiaconus ; qui celeberrimo conventui ad Vincennas coacto interfuit, quo Sanctorum animas clara Dei visione statim a morte perfrui definitum est, Dominica IV Adventus anno 1339. Guillelmus Pontiniaci abbas, ab ipso benedictus, fidei obsequium ei præstitit anno 1340, quo et ipso anno Atrebatensi illi conventui, in quo inter Philippum regem et Eduardum Anglum induciæ pactæ sunt, Philippi nomine adfuit, egregiamque cum duce Borbonio, Flandriæ, Alenconii et Blesarum comitibus et Petro Rogerio Senonensi et Bellovacensi præsulibus, operam Regi navavit. Initum pontificium ægre per aliquot annos retinuit, ad suave studiorum commercium anhelans, cui a teneris Lutetiæ assueverat ; quare impetrata a Clemente VI missione, annuaque ex pontificiis proventibus retenta pensione, episcopatum in alterum (i. e. Petrum de Villaines) rejecit et Parisios se recepit ; quo cum cymba devehitur, sævo vexatus frigore, in febrim eamque continuam incidit, qua paucis postquam eo advenerat diebus, Idibus nempe Martii 1344, consumptus obiit ; ad Cartusianos Parisienses coram majori ara sepultus, ubi epitaphio honestatur. »

*Alias episcopus Antissiodorensis.*

In Catalogo Episcop. Antissiodor.

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1345.

| Clementis PP. VI | Ordin. Cartus. | Henrici Polleti Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 4. | Ann. 262. | Ann. 4. |

DOMUS BELRIGUARDI FUNDATUR,

I. ANNUS sequitur Redemptoris quadragesimus quintus post mille trecentos, decima tertia Indictione, quo fundata est nova Ordinis nostri Domus, sub appellatione Purificationis B. Mariæ, in loco dicto Belriguardi, duobus millibus a Senis versus occasum distans.

Histor. Cartusian. p. 479.

« Anno Domini 1340, inquit D. Molin, die 21 mensis Aprilis, Nicolaus argentarius, quondam Cinii Hugonis de Cinuphis, civis Senensis, de populo sancti Vigilii de Senis, suum condidit testamentum, de quo rogatus extitit spectabilis Franciscus notarius, filius olim Cholæ (Nicolai) Diotisalvi, pariter civis Senensis ; in quo inter cætera legata in eo facta, Divina inspiratus gratia, ad honorem Dei, et pro salute non solum animæ suæ et parentum suorum, sed etiam eorum a quibus dictus Nicolaus, seu Cinius pater suus et frater, aliquid illicite habuissent dum essent mercatores in regno Franciæ, reliquit et construi mandavit per ejus fidecommissarios et executores testamentarios, in præcitato testamento ordinatos, unum monasterium subjiciendum vitæ et moribus Cartusiensis Ordinis, in suis domibus de Saltenno vel alibi ubi eis decentius videretur construendum, cum omnibus ædificiis opportunis secundum morem Ordinis prædicti, et cum tot reditibus sufficientibus ad sustentationem dictæ Domus totiusque ejus familiæ ac cum infrascriptis privilegiis.... »

ANNUS
1345

*curante Episcopo Senensi.*

Deinde præsenti anno, 1345, Senensis episcopus, Dominus Donusdei, præcipuus testamenti executor, Prioribus Domorum Maggianæ et Bononiæ, Domno Galgano et Domno Francisco de Senis, pro cartusia ædificanda assignavit locum cum reditibus idoneis ac privilegiis. Eodem tempore construi jussit, ex præfati Nicolai testamento, Hospitale quoddam, et monasterium secundum Regulam sanctæ Claræ, quæ in custodia esse deberent Prioris et Conventus cartusiæ Belriguardensis. Hæc omnia jam citatus Molinus his verbis enarrat : « Anno postea 1345, die 18 mensis Junii, per unum ex prænominatis fidecommissariis et executoribus, nempe Venerabilem in Christo Patrem dominum Donusdeum, Dei gratia Senensem episcopum, executoris nomine, fuit concessum et assignatum in perpetuum pro dicto monasterio construendo religiosis et honestis viris Domno Francisco de Senis Priori Sanctæ Mariæ de Maggiano prope Senas, et Domno Galgano Priori monasterii Sancti Hieronymi prope Bononiam, ad id præcise deputatis, locum et clausuram muratam et muris undique circumdatam, sitam prope Senas in loco dicto Belriguardo, cum omnibus casamentis, terris, nemoribus, pratis, stagnis, piscariis, puteis aquæ vivæ, et cum omnibus et singulis sitis et consistentibus intra muros dicti loci seu clausuræ muratæ; et deinde fundo, dicti Reverendi Patris nomine, Domno Procuratore immisso in tenutam et corporalem possessionem omnium prædictorum ut supra assignatorum, ex Instrumento manus Francisci Chui Periviolli Scianelli, civis Senensis.

*Insolita exemptio huic Domui concessa.*

« Privilegia vero dicto monasterio adjuncta, et dictis suis Fratribus concessa sunt ; dum ipse dominus Nicolaus testator ordinavit, quod dicti ejus fidecommissarii ultra prædicta construi facerent quoddam Hospitale ad usum pauperum forensium et inibi confluentium, in ejus domibus, una seu pluribus, sitis in burgo Isole ; similiter et monasterium secundum Regulam beatæ Claræ in civitate Senensi : voluit et mandavit Hospitale prædictum et monasterium dictarum Monialium stare debere perpetuo sub potestate, custodia et

ANNUS 1345

gubernio dicti monasterii, Capituli et Conventus ipsius, in Dei et gloriosæ Virginis matris Mariæ honorem. Amen. »

TALI CONCESSIONI R. PATER CARTUSIÆ REFRAGATUR.

II. Cum vero ad aures R. P. Joannis Birelli pervenisset prædictum Senensem Episcopum novæ Domui, a Summo Pontifice quædam prorsus insolentia obtinuisse privilegia, nempe : ut dicta cartusia primario Senensi Antistiti subjiceretur, et ipsius Priores (licet a Conventualibus electi) ab eodem Antistite essent confirmandi, ipse Prior Cartusiæ Domno Papæ litteras misit, rogans eum ut ista privilegia abrogaret, prout observantiæ regulari et Cartusianæ disciplinæ pernoxia. Summus Pontifex, omnibus attente perpensis, Reverendi Patris annuens votis, jussit Belriguardenses Monachos, sicut cæteri, in omnibus Matri Cartusiæ esse subjectos : qua de re sequentes exstant litteræ :

*Abrogatur a Summo Pontifice hæc exemptio a jurisdictione Majoris Cartusiæ,*

Apud Molin., loco citato.

« Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Apostolicæ Sedis benignitas ecclesiarum et monasteriorum omnium profectibus solerter invigilans, quæ pro ipsorum statu salubriter dirigendo statuisse dignoscitur, cum expedit in melius reformando commutatur. Dudum siquidem, pro parte venerabilis Fratris nostri Donusdei episcopi Senensis, nobis expositum fuit quod ipse ad laudem Dei et gloriosæ Virginis Mariæ quoddam monasterium sub vocabulo ejusdem Virginis, cum ecclesia, claustro, domibus et aliis necessariis officinis dispositum, et etiam ordinatum juxta modum et consuetudinem monasteriorum Ordinis Cartusiensis, in loco qui dicitur de Belriguardo, Senensis diœcesis, fundaverat et construxerat ; et sic etiam sufficienter dotaverat quod in eo unus Prior et Conventus decem vel duodecim Monachorum poterant commode sustentari : Nos ipsius Episcopi supplicationibus inclinati, ut ipse ea vice decem vel duodecim personas idoneas, quas idem Episcopus duceret eligendas, in Monachos ejusdem monasterii secundum modum, Regulam et Statuta prædicti Ordinis perpetuo Domino servituros recipere, ac eis juxta morem ipsius Ordinis regularem habitum assignare, et ab eorum singulis ejusdem Ordinis regularem professionem recipere, ac pro informatione et

institutione dictorum Monachorum per eumdem Episcopum in prædicto monasterio ponendorum, tres Monachos, de uno vel pluribus monasteriis Ordinis memorati in prædictis partibus consistentibus, Ordinem ipsum professos, prout idem Episcopus duceret eligendos, qui sic electi valerent etiam absque licentia Superiorum suorum ad monasterium de Belriguardo prædictum licite accedere, ac inibi quamdiu placeret eidem Episcopo pro informatione hujusmodi commorari, dummodo id de ipsorum Monachorum beneplacito et assensu procederet, vocare et assumere, ac nihilominus unus ex prædictis tribus seu etiam aliis postquam esset Ordinem ipsum expresse professus, eidem monasterio in Priorem præficere Apostolica autoritate valeret. Eidem Episcopo autoritate prædicta per litteras concessimus de gratia speciali ac decrevimus, ut præfatum monasterium de Belriguardo et personæ pro tempore degentes ibidem, tam præfato Donusdeo quam successoribus suis Episcopis Senensibus qui essent pro tempore, immediate ac perpetuo forent subjecta; ac Priores qui pro tempore præficerentur eisdem, per Conventum ejusdem monasterii de Belriguardo eligi, ac per eosdem Donusdeum et successores suos Episcopos Senenses possent ac deberent autoritate ordinaria confirmari, quibuscumque privilegiis ac constitutionibus Apostolicis necnon Statutis seu consuetudinibus Ordinis antedicti contrariis nequaquam obstantibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda existeret in nostris Literis mentio specialis, prout in prædictis Literis plenius continetur.

ANNUS 1345

« Cum autem sicut exhibita nobis, pro parte dilectorum filiorum Joannis Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis et aliorum Priorum ejusdem Ordinis monasteriorum per Priores solitorum gubernari, petitio continebat, iidem Priores probabiliter timeant quod in dicto monasterio de Belriguardo, si ab obedientia et subjectione Prælatorum dicti Ordinis sit exemptum, tepescat pro tempore observantia regularis, et lentescat nervus monasticæ disciplinæ, et quod

*utpote Ordini nociva.*

ANNUS 1345

propter hoc in eodem Ordine possit scandalum generari, ac personis in eodem monasterio de Belriguardo degentibus animarum periculum imminere; Nobis pro parte dictorum Priorum extitit humiliter supplicatum, ut providere ipsis et dicto Ordini super hoc de benignitate Apostolica dignaremur. Ne igitur quod in præmissis pro augmento dicti Ordinis fecisse credebamus, in ejusdem Ordinis seu personarum ipsius præjudicium (quod absit) valeat redundare : Nos ipsorum Priorum supplicationibus inclinati, hujusmodi clausulam qua decrevimus ut præfatum monasterium de Belriguardo et personæ pro tempore degentes ibidem, tam præfato Donusdeo quam successoribus suis Episcopis Senensibus qui essent pro tempore, immediate ac perpetuo forent subjecta, ac Priores qui pro tempore præficerentur eisdem et successores possent et deberent autoritate ordinaria confirmari, in quantum hujusmodi subjectionem et confirmationem concernunt, penitus revocamus, cassamus et etiam annullamus : et volumus ut præfatum monasterium de Belriguardo, et personæ ipsius tam præsentes quam illæ quæ pro tempore degerint in eodem, præfato Priori Generali seu Ordini, sicut alia monasteria et personæ dicti Ordinis perpetuo sint subjecta : quodque monasterium de Belriguardo et personæ præfatæ, prætextu Decreti præfati, dictis Episcopis plus subesse non debeant neque subsint, quam alia monasteria et personæ dicti Ordinis aliis eorum Ordinariis sunt subjecta. Ac insuper irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam notræ revocationis, cassationis, annullationis, voluntatis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avenione II Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo. »

Theatrum Chronolog. p. 264.

Domus hæc, ut refert Morotius, « postea bellis devastata, anno 1618, Idibus Junii alia in area non multum a prima

dissita sed commodiori redintegratur. Tandem anno 1636, Urbanus VIII, instante Priore Generali Ordinis, Pontiniano Cœtui alium de Belriguardo univit. »

Notatu dignum solam Senarum urbem tunc temporis (id est sæculo XIV) tribus fuisse condecoratam cartusiis, sicut Joannes Galeatius testatur in epistola ad Senarum Commune :

Apud Morotium, loco citato.

« Magnifici filii carissimi. Habet illa civitas vestra Senarum, prout nobis asseritur, plura Cartusiensium monasteria quam alia civitas Christianitatis. Quod profecto redundat illi civitati vestræ ad maximum honorem et gloriam, quod cæteris civitatibus prædicta in almo et devotissimo Ordine illo prævaleat. Proinde moti grandi devotione, quam dicto Cartusiensi Ordini gerimus, rogamus filiationem vestram affectione qua possumus, ut monasteria dictorum Cartusiensium super vestro sita Senarum territorio, et Fratres eorumdem monasteriorum velitis tam contemplatione tanti Ordinis, quam nostris precibus, in omnibus favorabiliter et propitie suscipere recommissa, et ea præsertim a quibuscumque taleis præservare. Ex hoc enim opus piissimum facietis, nec minus complacebitis nobis multum qui adeo dictum Ordinem veneramur et colimus ut de proximo unum Cartusiense monasterium prope hanc civitatem nostram Papiæ ob devotionem dicti Ordinis, quam solemnius et magis poterimus construi facere intendamus. Datum Papiæ, 20 Novembris 1394. Galeatius Vicecomes, comes Virtutum. »

INITIUM CARTUSIÆ VALLIS SANCTI JACOBI IN HISPANIA.

III. Eodem anno nobilis Domina de Scintillis, Raymundi de Calders vidua, ex Marchionum de Quira familia, Domum de Tarracia fundavit in suo manerio, quatuor leucis a Barcinona distantem versus septentrionem, primum sub invocatione Vallis S. Jacobi, deinde Vallis Paradisi. Exordia hujus cartusiæ paucis descripsit sæpecitatus D. Molin. « Fundatio autem sancti Jacobi Vallis Paradisi prope Terraciam, inquit, talis fuit : Cum in dicta villa esset illustris ac valde nobilis domina Blanca a Sintillis, forte audivit duos Priores Ordinis nostri ad Capitulum generale ascendentes illic pertransire, quos illa intuens tam modestos ac mortificatos, per-

ANNUS 1345

cunctansque cujus Ordinis alumni essent, et inde sciens esse Cartusianos, eorum conversatione frui ejus exardescit animus, statimque eos accessiri jussit, contemplansque eorum maximarum virtutum ornamenta, singularemque vitæ sanctimoniam, mirum in se sensit Ordinis affectum : unde Dei spiritu impulsa, Domum religionis ædificare instituit, cujus statim fundamenta jecit divique Jacobi, quem singulari pietate colebat, memoriæ consecravit, illamque perfecte constructam cum reditibus necessariis Religiosis nostri Ordinis tradidit, ut ibi Sacra conficerent, Numenque divinum religione placarent, summamque illam Bonitatem assidue contemplarentur; octavo Idus Februarii 1348, hujus donationis confecto diplomate. » Anno 1412 hæc Domus translata est in locum B. Maria Montis Hilaris vocatum, ubi et nunc est.

DOMUS FRIBURGI IN BRISGAW INCHOATUR.

IV. Domus Montis S. Johannis Baptistæ in Brisgaw hoc anno exstructa, sesquileuca versus Orientem a Friburgo, diœcesis Constantiensis, primum fundatorem habuit Joannem Sneulin, militem et Consulem Friburgensem. Jerosolymam olim profecturus voverat, si ab Urbe Sancta reverteretur sospes, se Domum Cartusiensis Ordinis erecturum. Quod cum ex sententia processisset, ducentas et quinquaginta marcas argenti dedit pro fundatione quinque præbendarum et quinque Monachorum. Ad ejus quoque instantiam plures Friburgenses cives novæ fundationi non parum profuerunt, quinimo eam maximis beneficiis ornaverunt. Ex testamento, Johannes omnia bona mobilia domus suæ et utensilia cum aliis bonis quam plurimis nobis legavit, qui anno altero fundationis nostræ est defunctus.

Civitas Friburgensis dedit fundum monasterii. De hujus Domus origine hæc in *Suevia Ecclesiastica* reperiuntur : « Religiosissimum sacri Cartusiensis Ordinis domicilium apud Friburgenses, Mons S. Joannis Baptistæ communiter intitulatum, hodiedum omnino salvum et integrum, primitus exortum est circa annum 1345, de singulari liberalitate spectabilis admodum viri inter suos honoratissimi Johannis Sneulin, alias Gresser appellati, officio Consulis, seu civium

folio 301.

ANNUS 1345

(uti vocant) Magistri, nummis opibusque mundanis oppido ditati; qui pro talibus æternas divitias mercatus, sacra quadam prodigalitate in fundanda riteque coordinanda cartusia hac Friburgensi, dilapidavit omnem substantiam suam pro ea, cum fœnore in resurrectione mortuorum recepturus, sponsore Deo, vitam æternam. »

In Bibliotheca Cartusiana.

Anno 1414 in hac Domo vivebat Erasmus Cartusiensis de quo habet ista Petræus : « Erasmus N. professus cartusiæ Friburgensis scripsit librum qui intitulatur : *Dulce obsequium nostri Redemptoris*. Item : *Dulce obsequium Genitricis Dei Mariæ*; necnon et *Fasciculus myrrhæ, Camera Christi, Paranymphus B. Mariæ*. Composuit etiam diversos sermones super Oratione Dominica, tum quoque de Christi Passione, item *de Modo orandi,* et alia nonnulla quæ tamen ad manus meas non pervenerunt. Floruisse eum referunt Herbipolenses nostri Patres, anno præsenti. » Hæc ille.

DOMUS BONONIENSIS A VECTIGALIBUS EXEMPTA.

V. Humbertus dalphinus Viennensis hoc anno dux generalis (etsi hoc munere imperitus) exercitus Christiani contra Turcas designatur. Militantium exercitui alium orantium decreverat adjungere et secum ducere, ad divinum auxilium sibi suisque militibus implorandum, nempe complures monachos et pauperes; quibus et Cartusianorum Conventum, id est XII Monachos, adscribi exoptasset; sed id Prior Cartusiæ, justas ob causas, non duxit concedendum. Cum Humbertus e Massilia in Italiam transfretasset, Bononiam pergens, cartusiam S. Hieronymi invisit; quam, ad ejus instantiam, die 13 Novembris præsentis anni, Taddæus Pepoli, Civitatis gubernator, ab omnibus Communitatis vectigalibus exemit.

Ex Archivo ejusdem Domus.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1346.

| Clementis PP. VI | Ordin. Cartus. | Joann. Birelli Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 5. | Ann. 263. | Ann. 1. |

R. P. HENRICO FIT MISERICORDIA,

* alias Poletus.

Cap. XXII.

I. ADEST annus Salvatoris quadragesimus sextus post millesimum trecentesimum, Indictione quarta decima, quo Reverendus Pater Henricus Polletus * Prioratu Majoris Cartusiæ cessit, ut habet Chronicon Priorum Cartusiæ, his verbis : « Henricus quasi Ahod ambidexter gregem sibi creditum sapienter gubernabat. Verum cum contra omnes sapere, desipere sit, dum quamdam consuetudinem in Ordine, quam honestam putabat, contra sanctam rusticitatem Ordinis antiquam introducere niteretur, Ordoque sive Capitulum generale eidem consentire recusaret; quum tribus annis dictam Domum laudabiliter rexisset, misericordiam ab ipso Capitulo requirens, faciliter ipsam meruit obtinere : ob quam causam Conventus dictæ Domus, ejusdem absolutionem graviter ferens, iterato voluit ipsum eligere Priorem ; sed ipse nullo modo consensit. »

Chronicon habet Henricum, cum tribus annis Cartusiam laudabiliter rexisset, in Capitulo generali misericordiam obtinuisse. D. Molin et D. Bohic signant annum præsentem 1346; at Polycarpus sequentem 1347, quia nimirum ponit ejus initium anno 1344, dum alii duo ponant anno 1343 : verum ipse Polycarpus sibi contradicit cum scribat R. P. Birellum Cartusiæ fuisse Priorem anno 1346. Porro si tantum anno 1346 absolutus fuit Henricus, plusquam tribus

annis rexit Cartusiam, imo quinque; nam claves Ordinis tenere cœpit anno 1341, ut supra probavimus.

*quia novos intromittere nititur usus;*

De consuetudine sive de consuetudinibus quas Henricus in Ordine intromittere nisus sit, hæc in Charta anni 1342 leguntur : « Quia in novis Constitutionibus multa videntur obscura, confusa, periculosa et inutiliter repetita, committetur certis personis Ordinis quas Prior Cartusiæ duxerit ordinandas, quæ videant et examinent diligenter qualiter inconvenientia supradicta ad convenientia fuerint reducenda; et quæ super hoc fuerint ordinata in futuro Capitulo publicabuntur secundum discretionem Diffinitorum prout visum fuerit expedire. Interea autem novæ Constitutiones quæ ex decreto Capituli transgressores obligant ad mortale, non obligabunt ad mortale sed ad pœnam aliam taxandam arbitrio Confessoris. » Quæ quidem innovationes circa Statuta Diffinitoribus minime placuerunt. Hoc itaque anno in Capitulo generali ejusmodi decretum promulgatum est : « Cum in generali Capitulo quatuor annis citra quædam Statuta fuerint pronuntiata reformantia alia Statuta nova, et illa in Domo Cartusiæ et multis aliis Domibus Ordinis non fuerint scripta : idcirco ea revocamus et volumus quod aliis Statutis novis stetur et obligent sicut ante, quousque aliter fuerit ordinatum. » Henricus, Cartusiæ Majoris archimandrita, quamvis litteratus, religiosus et prudens contradictores passus est qui quasi plures Pauli in faciem Petro restitissent. Non autem ex hoc infamatus est qui intentionem bonam habuit; ideoque præsenti anno 1346 remissus est ad primum Prioris Vallis viridis officium, quo per multos annos laudabiliter perfunctus, in hac eremo spiritum Deo reddidit anno 1353, XIII Kal. Octobris, videlicet 19 Septembris, ut patet ex Charta Capituli generalis ubi vocatur « olim Prior Cartusiæ »; et ex duobus Kalendariis antiquis Domus Parci, ubi hæc tantummodo notantur : « Obiit Henricus Poletus, monachus et sacerdos. » Quibus verbis conjicere est eum decessisse ab omni regiminis sarcina exoneratum.

*cui contradicit Capitulum.*

JOANNES BIRELLUS SUCCEDIT.

II. Henrico in Cartusiæ moderamine successit vir insignis,

ANNUS 1346

Joannes Birellus, Lemovicensis, Domus Glanderii professus ac Prior, post septem tantum annos in Ordine transactos, ut probatur ex Charta Capituli generalis anni 1338 in qua hæc legimus : « Petitiones Prioris Glanderii de facienda professione seu admittendo ad professionem Joannem Birelli, novitium dictæ Domus, intra annum probationis propter sufficientiam et vitæ suæ conversationis eminentiam, exaudiuntur. »

Franciscus Petrarcha in suis litteris Joannem celebravit. De eodem Birello hæc Chronicon Priorum Majoris Cartusiæ : « Prædicto Henrico Polleti successit in officio Prioratus homo admirabilis vitæ et sanctitatis, Domnus Joannes Birellus, tam divina scientia præditus quam humana, discretione et devotione præfulgens, Deo et hominibus dilectus et gratus in tantum ut fere nullus eum tempore suo in Ecclesia Dei præcesserit autoritate vel fama. » Cardinale Talleyrando mediante, Birellus impetravit Cartusianis licentiam in articulo mortis eligendi confessarium qui eis plenariam Indulgentiam impertiret.

Cap. XXIII.

ASSOCIATIO CUM GRATIANOPOLITANIS CANONICIS RENOVATUR.

Vide annum 1236.

I Cartular. fol. CLXXIII.

III. Die VI Decembris præsentis anni spiritualis associatio innovatur inter Cartusiæ Monachos et Canonicos ecclesiæ B. Mariæ Gratianopolitanæ in ea forma quæ sequitur :

« Noverint universi præsentes et posteri, quod nos Decanus et Capitulum beatæ Mariæ Gratianopolitanæ devotam litteram prædecessorum nostrorum, nobis præsentatam per viros religiosos Domus Majoris Cartusiæ, cum reverentia suscepimus, formam quæ sequitur continentem : Viris religiosis et Patribus in Christo reverendis, P. * Priori Cartusiæ et qui cum eo sunt fratribus, G. humilis decanus Gratianopolitanæ Ecclesiæ et ejusdem loci Capitulum, continuos ad vota successus cum salute. Litteras vestras benigne suscepimus, devotione plenas et caritativa dilectione non vacuas, quæ nobis vestram affectuosissimam insinuant caritatem in hoc quod minutum nostræ fraternitatis sive spiritualis societatis in gazophilacio cum pretiosissimo vestro thesauro, nos vobis spiritualiter associando, recondidistis. Unde benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et

* Petrus II.

Deus totius consolationis, qui sua misericordia vestram societatem nobis dignatus est elargiri; sua nos etiam in hoc consolans consolatione, præbens nobis fiduciam et solamen ut nos egenos et pauperes paupertate virtutum, in limo peccatorum defixos et in pulvere mundanorum provolutos, precum vestrarum interventu suscitando nos erigat, et erigendo nos sublevet, ut vobiscum in regno Dei sedeamus et solium gloriæ teneamus. Etsi terribilis sit Deus in suis judiciis, magnus et laudabilis est valde in suis miserationibus. Quum miserationes ejus super omnia opera ejus sint, miserans miseratus est nobis Dominus, suas in nos magnificans miserationes, spem nobis tribuens vestra sibi societate sociari. Una et omnium vox est quod Ordinis Cartusiæ professores tanto differentius præ cæteris Christo associantur, quanto expressius triumphales sanctitatis titulos secum referendo religionis apostolicæ vestigiis inhæserunt, scilicet : in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis et confessionibus, in disciplinis et psalmis, in humilitate et hospitalitate, obedientia et caritate, et cæteris quibus vitæ fructus seminantur in terris ; carnem suam deprimunt ut spiritum erigant, et angelicæ sinceritati se homines comparentur, ut eorum beatitudini socientur. Quam felix hæc societas quæ, Deo dante, nostras intemperantias sua temperantia temperabit; quam optanda, quam benigna inter nos et vos conjunctio hæc qua Christi mediante gratia, vestris meritis et intercessionibus Christo nos conjungendo a vitiis disjungemur. Hoc est lignum quod in nos aquas Marath sua dulcedine dulcorabit ; hæc est virga Moysis quæ a nobis aquam devotionis et compunctionis, exempli et doctrinæ, eliciendo excitabit et excitando eliciet in hoc deserto mundano, ut grex sive populus nobis commissus adaquetur; de qua qui biberit non sitiet in æternum. Ea propter, Reverendi Patres ac Domini, ille qui acceptor est omnium sacrificiorum, acceptet inter nos et vos munus oblatum, de quo munere nobis a vobis oblato exultaverunt animæ nostræ in Domino, et delectatæ sunt super salutari suo cum ipsum vidimus et audivimus

*Ordinis Cartusiæ encomium singulare.*

ANNUS 1346

in literis vestris declaratum. Igitur cum non habeamus unde in retribuendo ad antedata vobis respondere pro his quæ nobis tribuistis, Ille qui bonorum omnium est retributor, vobis retribuet supplendo nostræ retributionis defectum. Verumtamen quoniam munus vestræ fraternitatis nobis exposuistis ut intelligeremus, exiguum nostrum vobis generaliter et singulis omnibus monachis in Cartusia degentibus et decedentibus, nunc et in perpetuum, de consensu et voluntate Venerabilis patris nostri G. Dei gratia Gratianop. episcopi, fraternitatem nostram sive societatem tam spiritualem quam temporalem vobis conferendo concedimus, et concedendo conferimus, et ut plenius intelligatis eamdem in præsenti Carta duximus explicandam. Hoc debetur Canonico defuncto: In die obitus sui, quilibet sacerdos qui præsens fuerit tenetur celebrare Missam pro eo, et infra diem tricesimum tres Missas proprias; et alii canonici qui non sunt sacerdotes tenentur in die obitus sui legere unum psalterium, et tres infra tricesimum diem; et usque ad tricesimum diem habet procurationem* suam in refectorio in mane et in sero tanquam unus nostrum; et usque ad tricesimum diem debetur ei Missa conventualis et in aliis Missis debet fieri commemoratio pro eo, et debet scribi in libro Capituli et annuatim suum anniversarium celebratur. Valete in Domino Jesu Christo. Igitur nos ipsam literam tam sinceræ dilectionis et associationis devote a nostris Patribus antiquis concessam licet a sigillo nostri Capituli evulsam penes nos retinuimus, et prædictam societatem vel fraternitatem per nostras has literas ad humilem requisitionem dictorum Religiosorum Domus prædictæ Majoris Cartusiæ innovamus. Datum sub sigillo nostro. Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, die sexta mensis Decembris. »

*Præsens societas, in quo consistat.*

* idem ac pitantia.

FR. PETRARCHÆ EPISTOLA AD GERARDUM EJUS FRATREM,

IV. Hic intexere lubet primam quam Franciscus Petrarcha misit epistolam Gerardo ejus fratri, jam a septem annis e sæculo converso divinisque mancipato obsequiis in sancta et quieta Montis Rivii solitudine : « Subit animum, inquit, luce mihi carior germane, longævo silentio finem ponere; quod

ANNUS
1346

Lib. Variar.
Epistolarum,
epistol. XXVII.

si forsan obliviosi animi judicium arbitraris, falleris. Non prius te quam meipsum obliviscar : timui hactenus tyrocinii tui quietem interrumpere ; fugere te strepitum, amare silentium sciebam, me vero, si semel inciperem haud facile desiturum. Is amor tui est, ea rerum tuarum admiratio ! E duobus igitur extremis, non quidem gratius, sed tibi tranquillius eligebam. Nunc ut verum fatear, non tam tibi quam mihi consulturus ad scribendum venio. Quid enim tu sermunculis meis eges qui cœleste iter ingressus angelicis assidue colloquiis recrearis ? Felix animi fortunatusque propositi qui mundum tam maxime blandientem, medio ætatis flore, sic spernere potuisti interque syrenum voces obstructa tutus aure transire. Dum ego et alloquor, ipse res meas ago, si forte vel si sacro ardori tuo admodum torpens et longo gelatum situ pectusculum meum incalesceret. Tibi autem clamor meus, ut minime est utilis, sic minime importunus esse debebit. Neque enim tyro ut olim, sed Christi jam miles es, longa militia probatus. Gratias illi qui tanto honore dignatus, et ut sæpe alias, ex agmine medio adversarum partium insignem transfugam ad sua signa convertit. Prius ergo verebar intempestivas tibi voces ingerere, deinceps te securum securus ipse compello : incipientibus formidolosa sunt omnia. Quæ timuimus pueri, adolescentes risimus. Militem inexpertum strepitus omnis examinat, duratus bellis nullo fragore concutitur, rudis nauta primo ventorum murmure terretur, gubernator antiquus qui totiens fatiscentem et exarmatam puppim perduxit ad portum, ex alto despicit iratum mare. Spero autem in illo qui te ab utero matris tuæ ad hoc laboriosum certe sed gloriosum iter assumpsit, ut per varias difficultates tutus in patriam pervenias, quo nulla te amplius rerum facies movebit, non curæ, non morbi, non senectus, non metus, non fames, non egestas, etc... Verumne Pythagoræ occursus me deviare coegerit, vir ille cujuscumque ingenii morum illa ætate gravissimorum fuit clarissimæque modestiæ, unde et viventi summus honor impensus et ipse post mortem Deorum concilio ascriptus est et domus ejus apud posteros pro

*Clericum Redditum cartusiæ Montis Rivii.*

ANNUS 1346

templo habita. Hujus ergo prima institutio quænam fuit? Nempe ut discipuli sui quinquennio silerent præclare. Stultum est enim prius velle loqui quam discas. Cæterum amovendum ori non dico custodiam, quæ amovenda nunquam est, sed repagulum quinque tempus annorum sufficiens existimavit. Tu vero, si rite computo, in servitio Jesu Christi et in schola ejus jam septimum annum siles, tempus est ut loqui posse aliquid incipias, vel si præ omnibus silentium dulce est tibi, vel in silentio respondeas. Meministi, frater, qualis olim rerum nostrarum status erat, et animos nostros quam laboriosa dulcedo et quantis amaritudinibus conspersa torquebat. Meministi puto, ut nunc et libertati tuæ congaudeas, et fraternæ tuæ condoleas servituti, quæ me adhuc solitis compedibus arctatum tenens, jam cultrum lateri, jam laqueum collo parat peregissetque jam pridem, ni liberatoris dextera quæ te servitio exemit me ab interitu defendisset. Orabis, frater, ut me quoque jam tandem libertati restituat et uno ventre progressos pari fine feliciter (etsi præire debueram) non pudebit sequi. Meministi, inquam, quis ille et quam supervacuus exquisitissimæ vestis nitor, qui me hactenus, fateor, sed in dies solito minus attonitum habet; quod illud induendi exuendique fastidium et mane ac vespere repetitus labor; quis ille metus, ne dato ordine capillus efflueret, ne complicitos comarum globos levis aura confunderet; quæ illa contra retroque venientium fuga quamdiu pedum, ne quid adventitiæ sordis redolens ac fulgida toga susciperet, neu in præmissas rugas collisa remitteret. Vere inanes hominum sed præcipue adolescentium curas! quorsum enim ea mentis anxietas, ut placeremus scilicet oculis alienis? Et quorum oculis quæso? Profecto multorum, qui nostris oculis displicebant.... Nos, frater, etsi nulli diem diximus, ob ejusdem injuriam animo tamen haud absimiles fuimus, sed te de tantis errorum tenebris eduxit repentina mutatio dexteræ Excelsi. Ego senesco multisque laboribus assurgo, credo, ut intelligi detur, nullum hic adminiculum literarum, nullum opus ingenii, sed totum Dei munus esse qui forte mihi ma-

*Jam a septem annis.*

ANNUS
1346

num porriget imbecillitatem meam ingenue confitenti. Id sane si ratio non persuaserit, senectus coget quam magis magisque in dies adventare et jam finibus meis obequitare sentio. Quid de calceis loquar, pedes quos protegere videbantur quam gravi et quam continuo bello premebant? meos fateor inutiles reddidissent, nisi extremis necessitatibus admonitus, offendere paululum aliorum lumina quam nervos et articulos meos conterere maluissem. Quid de calamistris et studio comæ dixerim ? Quotiens somnum quem labor ille distulerat, labor ille abrupit ? Quis pyraticus tortor crudelius arctasse quam propriis ipsius manibus arctabamur ? Quos male nocturnos sulcos in speculo vidimus, rubenti fronte transversos, ut qui capillum ostentare volebamus, faciem tegere cogeremur ? Dulcia sunt hæc patientibus, passis vel memoratu horrida, incredibilia inexpertis. Quantum vero te nunc illa præterita memorantem, præsentia ista delectant, calceus laxus, pedis non vinculum sed munimen ; coma alte resecata et capillorum sepes ; non jam auribus importuna nec oculis, toga simplicior et quæsitu et custodia facilis, nec egressu laboriosior quam ingressu, tamquam animum ab insania defendens, sic corpus defendit a frigore. O te felicem qui, ut hæc dulcius saperent, illas amaritudines prægustasti ! Et ut hæc leviora prætercam, recordare etiam quo promptius e tanta Charybdi liberatus, dignas Deo gratias agas, quanta nobis fuerat cura, quantæque vigiliæ ut furor noster late notus, et nos essemus populorum fabula. Quotiens syllabas contorsimus ! Quotiens verba transtulimus ! Denique quid non fecimus, ut amor ille, quem si extinguere non erat, at saltem tegi verecundia jubebat, plausibiliter caneretur ? Laudabamur in studiis nostris et capita delirantium peccatoris oleum impinguabat, sed ineffabilis Dei pietas gressus tuos interea pedetentim revocabat ad rectum iter, et satietate rerum pereuntium præceps illud desiderium castigabat, ut scilicet diversis ætatibus utrobique incola, quid interesset inter Babylonem atque Hierusalem expertus agnosceres. O misericors Deus, quam tacite consulis, quam occulte

*Sæculi dominatio tyrannis est.*

*In vanum laborat, qui pro mundo laborat.*

ANNUS 1346

subvenis, quam insensibiliter mederis ! Quid enim tantis laboribus, bone Jesu ? Quid aliud nisi amorem mortalem, imo vero mortiferum petebamus ? Cujus non fallacem et multis sentibus obsitam suavitatem attingere summotenus permisisti, ne grande aliquid inexpertis videretur, et ne tanta esset ut opprimeret misericorditer providisti, delitiis nostris e medio sublatis, cum quibus dextera tua spes nostras e terra pene radicitus extirpavit. Juvenili ætate revocasti eas morte quidem, ut spero, illis utili, nobis necessaria et abstulisti a nobis animarum nostrarum vincula. Et tamen, o cæca mens mortalium, quotiens questi sumus, quasi ante tempus accidisset, quod cum summo vitæ nostræ discrimine trahebatur, aut quasi salutare aliquid intempestivum sit. Quot suspiria, quot lamenta, quot lacrymas in ventos effudimus et more phreneticorum medico nostro insultantes, manum tuam repulimus, lenimen optimum nostris vulneribus adhibentem. Nunc ergo dic mihi, vir Deo ex hoste familiaris, ex adversario civis, dic mihi quoniam et ista pertractas et illa retractas, quid similis sit cantiunculis inanibus, falsis et obscœnis muliercularum laudibus et sacris excubiis, in quibus modo per mœnia et propugnacula Civitatis Dei mira ordinatione disposuisti Christi vigiles adversus antiqui hominis insidias intentissime pernoctantis ? Felix et invidiosa militia magnusque fateor et durus labor, sed brevis et æterno pensandus præmio. Mihi autem adhuc restat, de quo tecum, si pateris, Deus meus, disceptare velim. Quid est enim, responde mihi, quod cum ego et frater meus gemino laqueo teneremur utrumque conteruit manus tua, sed non ambo pariter liberati sumus ? Ille quidem volavit, ego jam nullo laqueo tentus, sed visco consuetudinis pessime delinitus, alias explicare nequeo et ubi vinctus fueram, solutus hæreo. Quid causæ est, nisi quod contritis pari ratione laqueis nequaquam quod sequitur par fuit. Adjutorium nostrum in nomine Domini. Cur autem hanc Davidicam cantilenam tanto conceptu cœptam, tam dissona voce complevimus ? Nulla Dei voluntas sine causa ergo rite cecinit, erecto ad cœlum animo. Ego terrena cogitans

*Felix est qui mundum deserit.*

et curvatus in terram, et forte liberatricem dexteram non agnovi, forte de propriis viribus speravi : aut hoc aut illud causæ fuit, cur effracto laqueo non sum liber. Misereberis Domine, ut dignus sim, cui amplius miserearis. Sine enim gratuita misericordia tua, nullatenus potest humana miseria misericordiam promereri. Nunc ad te, frater, redeo et sensim ad graviora conscendo, ut gradatim te tibi felicissimum ostendam. Recordare quis ille hominum concursus, quænam prælia salutantium, quanta concursantium offensio, quantumve sudoris ac laborum ut compti et elaborati nunc hic, nunc illinc in publico cerneremur. Et Deus optime, qui cæcos illuminas, claudos erigis, mortuos suscitas, qualis illa jactatio est ! postquam enim omnibus viris noti erimus, omnibus scænis circumacti, restat iter patrum nostrorum agere et formidatum sepulchri limen irredituro pede transcendere. Adde nunc conviviorum gloriosa fastidia, quæ sine magno, ut aiunt, famæ discrimine non vitentur et epularum variam procellam concusso stomachulo fluctuantem. Quæ si ab amicis patimur incommoda, quid expectet ab hostibus ? Quorum multa sunt genera, domestici, externi, horumque alii clandestini, alii ex professo inimicitias agunt et rursum alii lingua, alii fraudibus, alii gladio decertant. Brevius loquor, omne genus experto. Ad hæc quid quæso non injuriarum a servis contumeliarumque perpetimur ? Excusat eos Seneca multis quidem verbis, et omnem culpam reflectit in dominos, Luciliumque suum laudat servis familiariter conviventem. Quid dicam ? Vereor tanti viri vellicare sententiam et tamen quod perhibet longe mihi aliter videtur. Potuit illis forte vel prudentia ut bonos servos faceret, vel fortuna, ut invenirent præstitisse ; mihi fateor, neutrum fuit, cum utriusque studium semper fuerit. Itaque de se alii videantur, ego quod nescio laudare non possum. Apud me et iniquissimum est servorum genus, et proverbium illud vetus a Seneca reprehensum veri locum habet : Totidem hostes esse, quot servos. At de bonis servis epistola illa est, mali enim, eodem autore, a dominorum consortio excludun-

*Fastidiosa gaudia mundi.*

*Fallaces amici,*

ANNUS 1346

tur. Credo, sic enim sonant verba et bonorum exempla de libris non pauca colligimus : hæc id quidem ignoro, nec Scriptoribus fidem nego, sed sive temporum mutatio, sive sors, sive impatientia mea est, ego bonum servum nunquam vidi : quæro tamen, et si forte obvius fuerit, velut occursu bicipitis hominis obstupescam. At ne quis hoc vel sævitiæ vel desidiæ meæ imputet, omnia tentavi, neque minus ego quam Lucilius familiariter cum servis meis vixi et ad consilium et ad confabulationem et ad cœnam illos admisi, meque ipsum et res meas illorum fidei commisi, fidelesque ut facerem credidi, nec credendo profeci, quin potius ars omnis in contrarium versa est. Servorum enim a colloquio meo nemo non procacior discessit, nemo non contumacior discessit, et ut familiaritas insolentes, sic fiducia fures esse docuit. Ut ergo Senecæ de suis, sic mihi de meis et cunctorum servis (omnes enim fere nescio quomodo pares sunt), vera loqui liceat. Ego quidem fateor, servili pervicacia nil molestius patior in vita. Cætera enim bella inducias habent, cum domesticis hostibus sine intermissione pugnamus, quamvis non sim nescius, æquo animo ferendum esse quod maximis viris accidisse video... Hæc nos, frater, ut semel expediam, de divitibus inopes facit, imo certe (quod divini muneris recognoscimus), de occupatissimis otiosos, de impeditissimis expeditos. Accessit quod omnes qui se spoliis nostris oneraverint, brevi quidem ipsius fortunæ manibus excussos, vel gravi morbo consumptos, vel misera senectute languentes vidimus. Hæc parvum injuriæ solamen ultio est, Deo præsertim autore contingens. Quid dicam de fori ac litium tempestate ?... evasimus. Frater quid loquor ? Quasi æqua conditio sit amborum ? Ego miser, inter eosdem versor assidue, tu jam, Deo gratias, portum tenes, felix hora qua natus es, felix omne periculum, quod te per multa experimenta formidabilium rerum, ad amorem securitatis adduxit.... Postremo cum Avinione cartusiam, cum terrenis periculis cœlestem pacem, cum servitute diaboli amicitiam Dei... confero... Quod si in hac vita, de qua ille loquebatur, minima etiam

*fallaciores servi.*

ANNUS 1346

magno constant, quod totiens incassum aucupando probavimus, quis labor magnus videri debet, quo ad æternam beatitudinem pervenitur ? Absit segnities, languor abscedat. Dum matutino tempore excitaris, ad divinum te colloquium evocari credito. Et heu quotiens nos mortales Domini jussus excivit, quotiens periculis ac laboribus objecit, et quis, oro te, fructus ? Nempe non nisi amicitia humana, anceps, periculosa, difficilis. Tibi amicitia proponitur divina, certa, secura, parabilis. Crede mihi, cadet ex animo tædium, somnus ex oculis, cum tibi proposueris vocantem Deum et optime tecum agi senties, quod vigilare vulgo circumstertente juberis. Mos Imperatorum est, probatis militibus difficilia committere : dum coqui piscatoresque et, ut Horatiano sermone utar, ambubajarum collegia circa forum cupedinarium oberrant, illi inter gladios ac tela versantur, et periculum ingens tenui gloria consolantur. Cum autem orando colloqui cœperis, gaudium cum reverentia certabit, ut insomnem te atque impigrum sub tanto præbeas spectatore... Novit autem eas ille, cujus oculis nihil est impervium. Putemus illum ante oculos nostros positum clamare : Quid agitis, o cæci et ingrati ? Ego pro vobis mortem sponte sustinui, vos mihi laborem exiguum negatis ? Hæc vestra pietas ? Vos mihi quid redditis ? Non diu pro tantis meritis, quod nec cogitare sufficitis, sed quod omnino signum ostenditis animo ingrato ? Quid ad hæc, frater, responsuri sumus ? An hic quidquam ambigui est ?... Cum fidefragis inimicis non tuto in gratiam ; hæc inter gaude, spera, suspira, serviens Domino in timore et exultans ei cum tremore ac gratias agens, quod tibi pennas dedit tamquam columbæ ut volares et requiesceres ; quibus non segniter usus es, sed elongasti fugiens, ut in solitudine constitutus, innumerabilia mala de cætero non sentires, quæ ego miser sentio, quibus et obsideor ac circumspiciens contremisco. Hæc addo, dum adhuc de Babylone patet exitus effugio. Noli tamen desperare, obsecro te, ora potius ut aliquando consurgam. Multum est, fateor peccati mei pondus, sed finitum tamen, ac ejus unde auxilium expecto, infinita

*Gerardum adhortatur.*

*Ejusque precibus se commendat.*

ANNUS 1346

clementia est. Hæc tibi, germane unice, non meo sed peregrino stylo, ac prope monastico dictavi, te potius quam meipsum cogitans : leges dum ex commodo licebit, et si hinc perfectioni tuæ nihil accesserit, scito me mihi saltem profuisse dum scriberem, quoniam mea me pericula meditantem, status tui felix interim torsit invidia. Vale, memor mei. Septimo Calend. Octobris, ex oppido Carpensi. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1347.

| Clementis PP. VI Ann. 6. | Ordin. Cartus. Ann. 264. | Joann. Birelli Pr. Cart. Ann. 2. |
| --- | --- | --- |

I. ANNUS sequitur redempti Orbis millesimus trecentesimus quadragesimus septimus, Indictione decima quinta, quo Johanna regina Patentes maximi momenti Literas concessit, quibus suum affectum, non modo erga cartusiam S. Martini supra Neapolim, sed et in Ordinem universum ostendit, cum dicit : « Joanna, Dei gratia, regina Hierusalem et Siciliæ, Ducatus Apuliæ, et Principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, ad perpetuam rei memoriam. Lætamur, in intimis Progenitorum nostrorum vestigiis inhærentes, si sic opportune sufficimus, quod ipsorum pia vota et charitativa proposita, successorie gratitudinis debito adimplemus; illa præsertim quæ secum trahunt operationis divinæ mysterium, et decedentium laudes continent in honorificentia successorum. Sane dudum claræ memoriæ illustris dominus Carolus, Calabriæ dux et in regno Siciliæ vicarius generalis, genitor noster Dominus reverendus, dum viveret ad venerabilem et religiosum Ordinem Cartusiensem specialem et præcipuum habens sanctitatis affectum, in ejus ultimo testamento (quod legitime condidit) quoddam monasterium ejusdem Ordinis sub denominatione seu vocabulo S. Martini de Monte S. Erasmi prope Neapolim ædificari, construi, pro suæ suorumque animæ salute pia devotione legavit; in quo ad Dei laudem et gloriam dignique Pontificis supradicti divina

REGINA JOANNA NEAPOLITANÆ CARTUSIÆ FUNDATIONEM CONFIRMAT,

Ex Cartulario Domus.

*Ab ejus patre et avo conditæ,*

ANNUS 1347

continue celebrarentur officia, et redderentur religiosæ virtutis opera Deo grata. Illud inter alia statuens prædictus Dominus pater noster, quod monasterium ipsum S. Martini dotaretur sic sufficienter et abundanter, quod tredecim Fratres, qui secundum observantiam regularem eorum Conventum constituunt, semper commorentur in illo, quive cum competenti et necessaria familia possint in eo vitam celibem ducere, et se opportunis reditibus sustentare. Cum autem in hac parte, voto laudabili, claræ memoriæ reverendus Dominus avus noster, Hierusalem et Siciliæ Rex illustris, paterna nec minus et pia charitate conjungens, et piæ gratitudinis debitum in filiali dum potuit reverentia recognoscens, annuas uncias auri ducentas ponderis generalis, convertendas in emptionem terrarum et possessionum ad opus monasterii supradicti prædictorumque Fratrum et personarum in illo degentium, super juribus, reditibus, et proventibus, fundaci et doanæ civitatis nostræ Castrimaris de Stabia, et super certis juribus aliis, prout se aptitudo temporum, et conditio præbuerit, per suas litteras stabilivit.... Verum, sicut sors humanæ fatalitatis induxit, prius contigit eosdem Dominos avum et patrem nostros ab hac militante vita decedere, quam de institutione ac dotatione prædicti monasterii opportuna privilegia contigisset habere. Nos in hac parte eorumdem prædecessorum nostrorum laudanda vestigia, piasque actiones dignis affectibus confoventes, et deducentes in nostræ considerationis examine quod pro susceptis ab æterno Datore munerum temporalibus bonis ultra conditionem nostram et exigentiæ nostræ vires, sibi et ministris ejus nos debitrices agnoscimus, licet æqualiter rependere nequeamus, præsertim circa tam notabile opus regalium manuum, quod amplas et uberes exigit a primævis instituentibus Regii nominis facultates, ut rebus sic succedentibus, demus eidem Monasterio in hujusmodi nostra ordinatione principium, quod consequenter futuris temporibus transeat in favorem Religionis et status ejusdem Ordinis, et firmum et stabile ipsius monasterii fulcimentum; præfatum honorabile monasterium

*Et reditibus dotatæ.*

S. Martini, ædificatum utique et contractum in prædicto monte S. Erasmi, loco qui dicitur Campanora, in territorio seu terra quæ fuit quondam Berardi Caraczulli de Neapoli militis.... ad honorem et gloriam Omnipotentis Dei et Domini nostri Jesu Christi ac gloriosæ Virginis Matris ejus, et ipsius sancti Martini pontificis egregii ac mirifici confessoris, cum immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, franchitiis, concessionibus, indultis, et privilegiis infrascriptis, eidem Ordini Cartusiensi in perpetuum pure et libere, secundum morem ac Regulam, atque ritum Ordinis prælibati, una cum omnibus ædificiis constructis et construendis in eo, cellis videlicet, hospitiis et officinis aliis quibuscumque, libris etiam, calicibus, paramentis, et utensilibus omnibus, necnon horto sive giardino ejus monasterio prædicto contiguo, veluti muro novo (sive clausura) ac rupe excisa continetur et clauditur; cum omnibus et singulis ingressibus et egressibus præfatorum monasterii, horti atque jardeni, omnibus et singulis aliis terris, possessionibus, juribus, reditibus, et pertinentiis suis, tam emptis usque nunc quam restantibus ad emendum, usque ad præscriptam summam annuam unciarum auri ducentarum dotationis præmissæ: ex nunc vel ex tunc, prædicto Cartusiensi Ordini de certa nostra scientia tenore præsentium submittimus, aggregamus, incorporamus pariter et unimus, ipsumque Monasterium de præscripto annuo reditu unciarum auri ducentarum ponderis generalis, converso jam in majori parte in emptionem possessionum et bonorum stabilium prædictorum, velut superius est expressum; tamque clara paterni nominis et aviti hæres atque posteritas, cum ipsorum affectibus grate concurrens, perpetuo de liberalitate mera et gratia speciali dotamus; nihil nobis, seu hæredibus ac successoribus nostris, in præfato Monasterio nisi orationes et alia suffragia et beneficia spiritualia in quibus, attentis vita, religione et aliis observantiis Ordinis, specialiter confidimus, quomodolibet retinentes seu etiam reservantes. Quinimmo volumus et declaramus expresse, quod prædictum Monasterium cum pertinentiis om-

ANNUS 1347

*Privilegiis Domum ornat,*

*vultque Ordini Cartusiæ uniri,*

nibus et universis, sit et esse censeatur et debeat, ipsius Cartusiensis Ordinis membrum perpetuum, et tanquam pars a suo toto discedens, intituletur ac nominetur fuisse ac esse Monasterium Ordinis supradicti, ac eidem Ordini incorporatum inseparabiliter et unitum ; quodque Monasterium ipsum, seu Prior et Fratres ejus, per præsidentes dicto Ordini Diffinitores Capituli generalis, seu per Priorem Domus Matricis dicti Ordinis, et per Visitatores a dictis Diffinitoribus seu a Priore Cartusiæ Matricis dicti Ordinis institutos et ordinatos et constituendos et ordinandos in antea, gubernetur, disponatur et corrigatur, secundum Regulam, Statuta, morem et ritum Ordinis prælibati. Volentes, declarantes, atque jubentes, quod prænominatum Monasterium, et Priores et Fratres ejusdem monasterii, qui per tempora ibidem fuerint, pro substentatione ipsorum et aliarum personarum in monasterio prædicto degentium, terras suas .... liberas et exemptas habere perpetuo debeant. Et quia Fratres ipsos, tanquam in divino obsequio deditos et adscriptos Religioni sanctifici Ordinis supradicti, esse decet præcipuis et specialibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus decoratos, tanquam a mundanis illecebris alienos; monasterii Fratres, tam præsentes quam pro tempore fuerint, ab omni servitio temporali necnon subsidio seu subventione, exactione et angaria quibuscumque, imponendis et exigendis in posterum per nos, hæredes et successores nostros, pro qualicumque et quantacumque nostra vel hæredum et successorum nostrorum necessitate, liberos esse volumus, quantum in nobis est, exemptos penitus et immunes. Concurrentes etiam puris affectibus in his quæ libertatem et immunitatem Religiosorum ipsorum continent, cum sacrorum Canonum sanctione volumus et mandamus pro nobis ac hæredibus et successoribus ipsis nostris, decernentes inviolabiliter observandum, quod Religiosi præfati gaudeant in perpetuum libere, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus et libertatibus olim per Romanos Pontifices Ordini prædicto concessis et in antea concedendis. Et quia Fratres ipsos, prout Religionis eo-

*sub obedientia Domus Matricis.*

*Declarat Domum Neapolitanam ab omni servitio exemptam,*

rum debito adjacet et observantiæ regulari, tanquam solitarios et vacantes silentio et quieti, soli Deo et ministrorum ejus laudibus obsequentes et dantes operam, oblectamentis sæcularibus mundanisque strepitibus decet esse expeditos, et ex jugo disciplinæ regularis eorum Ordinis, alienos; de ipsa certa nostra scientia, earumdem tenore præsentium ordinamus, statuimus et jubemus expresse, quod infra Monasterium ipsum et ejus ambitum, aliquæ causæ seu placita, per quoscumque conditionis, præeminentiæ, status, dignitatis vel potestatis existant, nullatenus agitentur, per quæ divinum Officium aut ipsorum Fratrum requies sive tranquillitas perturbari valeat vel offendi. Demum quia juxta regularia dicti Ordinis instituta, infra ipsius Ordinis monasteria generaliter prohibitus esse dignoscitur mulierum ingressus; præsenti nostra ordinatione præcipimus et specialiter prohibemus, jubentes omni tempore observandum, ne quævis mulier cujuscumque conditionis, potestatis seu dignitatis existat, monasterium ipsum vel clausuras ejus, publice vel occulte intrare audeat vel præsumat, nec quævis aliæ personæ contra beneplacitum eorumdem Fratrum et liberam voluntatem, monasterium ipsum violenter ingredi audeant vel attentent, unde ipsorum Religiosorum divinum Officium vel eorum requies atque tranquillitas impediri possit aut etiam perturbari, pœna unciarum auri quinquaginta, a contrafaciente quolibet, pro nostra seu hæredum et successorum nostrorum curia suis vicibus irremissibiliter exigenda. Et quia possit contingere, sicut in similibus frequenter accidit, quod in præmissis dotatione, institutione, privilegiis... et aliis supradictis monasterio præfato et Fratribus ejus concessis per nos dubietates seu ambiguitates et obscuritates oriri possent, quæ juris declarationem congruam postularent; declaramus, de ipsa nostra scientia tenore præsentium, et jubemus quod dubia, obscuritates ambiguitatesque hujusmodi, si quando super prædictis vel præmissorum aliquo fortassis emerserint, earum interpretatio fiat et fieri debeat in favorem et utilitatem monasterii supradicti, ipsa tamen Justitia notabiliter non offen-

*prohibetque mulieres Domum ingredi.*

ANNUS
1347

sa... In cujus rei fidem perpetuamque memoriam et monasterii prædicti cautelam, præsens privilegium exinde fieri, et aurea bulla nostræ Majestatis impressa Typario jussimus communiri; alio consimili sub sigillo cereo ejusdem Majestatis nostræ sibi exinde tradito ad cautelam. Datum Neapoli per manus venerabilis Prioris Rogerii, Salernitani archiepiscopi, logothetæ et protonotarii regni Siciliæ. Anno Domini 1347, die decima quinta Julii, XV Indictione, Regnorum nostrorum anno quinto. »

MORIUNTUR JACOBUS A SIERCK,

Ad diem XIII Februarii.

II. Hoc anno obierunt, magna relicta sanctitatis opinione, Jacobus a Sierck, Domus Trevirensis alumnus, et Joannes Tornerius Majoris Cartusiæ professus. « Jacobus, uti legere est apud *Ephemerides Cartusianas*, Noalbacensis quondam parochus, cum per quædam temporum intervalla plebem sibi commissam ad christianam pietatem instituisset, vitæ perfectioris desiderio incensus, primus omnium in cartusia Trevirensi vota professionis emisit circa annum 1334; ubi cum in silentio et solitudine residuum dierum suorum transegisset, tandem collecto bonorum operum manipulo, pie animam efflavit, anno 1347, die 13 Februarii. »

*et Joannes Tornerius.*

Cap. XIX.

De Joanne Tornerio meminit autor Chronici Majoris Cartusiæ, cujus verba refero : « Dominus Joannes Tornerius monachus dictæ Domus, homo valde idoneus et magnæ sanctitatis et meriti, ad officium fuit sacerdotale promotus. Qui cum, ut moris est, primam Missam in Conventu celebrare deberet, Sacrista dictæ Domus videns ipsum nimium tarde ad ecclesiam venire pro Missa celebranda, ad ejus cellam accessit ac ipsam aperiens evocavit. Cum ecce! tota illa cella intus igneo splendore rutilabat, sicut solis radius in centro positus totum lumen suum emittit in virtute sua. Dictus vero Monachus, cum evocatus ad dictum Sacristam accessisset, velut flamma ignis totus ardere videbatur. Ob hoc dictus Sacrista nimium attonitus atque stupefactus cum ad ecclesiam remearet oculosque versus cellam illam reduceret, ecce (mirabile dictu) quatuor cereos in aere super quatuor angulos dictæ cellæ ardentes respexit. Hoc miraculum de isto sancto viro sub

ANNUS 1347

isto Priore (R. P. Claro) evenit. Sed aliud non minus isto, sub domino Joanne Birelli, Deus per ipsum operatus est. Cum enim iste devotus Monachus sub dicto Priore fuisset Procurator constitutus (utpote qui in activa et contemplativa vita valde ideoneus habebatur), quidam rusticus dictæ Domui convicinus, ad dictum Procuratorem accessit secum deferens quædam Instrumenta quarumdam terrarum quas emerat, ut forte ipsum super præmissis consuleret, sive, ut potius dicitur, dicta Instrumenta custodiret. Tunc casu dictus Procurator dicto rustico dicit quatenus certa ad ignem ligna deferret; erat enim hyems et magnum frigus. Cumque ligna detulisset et super ignem ardentem projecisset, casu dicta Instrumenta ex oblivione cum dictis lignis jactavit, ad dictum Procuratorem immediate accedens, de negotiis suis cum ipso tractaturus; longi vero temporis spatio elapso, cum dictus rusticus dicta Instrumenta quæreret nec inveniret, demum recordatus est ipsa cum lignis in ignem projecisse : ob hoc flens et ejulans seque nimiis clamoribus dilanians, desperato homini similis videbatur. Dictus vero pius Procurator misericordia et compassione commotus eum confidere jussit in Deo, ab ipsoque parum segregatus orationi se dedit, statimque dictum rusticum advocans : Vade, inquit, et Instrumenta tua ubi projecisti require. Dictus vero rusticus ad dictum ignem valde ardentem accessit, dictaque Instrumenta in medio sine aliqua reperit læsione flammarum. Tunc dictus Procurator, humanam timens gloriam captare, ipsum rusticum exoravit ut nulli hoc miraculum intimaret. Ipse vero (Deo forte inspirante qui in Sanctis suis mirabilis vult videri) nequaquam sibi in reticendo miraculum prædictum obedivit. » Hæc Chronicon. De eo agunt Dorlandus, lib. IV, cap. 20; Sutor pagina 552; Bzovius in Annal. tom. XIV. Canisius in suo Martyrologio ejus obitum signat ad 30 Septembris. Decessisse autem constat anno 1347 non die 25 Septembris, uti refert Georgius Garnefelt in notis ad Cartusiense Chronicon, sed die 16 Septembris ut videre est in Charta Capituli generalis anni 1348, ubi ejus obitus notatur in hunc modum · « Item

*Carta, ejus prece, mediis flammis illæsa servatur.*

ANNUS 1347

D. Joannes Tornerii monachus Cartusiæ et sacerdos qui habet tricenarium et associationem cum primo anniversario, et obiit XVI Kal. Octobris. »

STEPHANUS MACONI NASCITUR.

III. Natus est, hoc anno, celebris ille Stephanus Maconi, de quo sæpissime in his Annalibus erit sermo ; cujus ortum sic narrat autor ejus Vitæ, Bartholomæus florentinus noster : « Litterarum beneficio ad posteros prolaturus vitam recteque facta Stephani Maconi Senensis Cartusiani, scribendi initium par est ut petam ab illius exortu, quem illi dedit inclita ac potens olim Senarum urbs in Hetruscis, anno a Christo nato 1347, eo fere tempore quo in lucem suscepta est augustissima illa ac seraphica virgo Catharina Senensis, cui Stephanus hic noster, arcano Numinis consilio, in ipso suæ flore juventæ epistolis conscribendis operam præstitit, eique egregie carus fuit. Cujus quidem Stephani parentes fuere Conradus Maconus, atque Joanna Bandinella Stephani senatoris filia, primariæ claritatis ambo apud suos, tum vetustate tum insigni spectataque virtute. Constat enim ex Bandinella gente prodiisse, retroactis olim temporibus, Alexandrum hujus nominis tertium, Summum Romanum Pontificem. Hi ergo fortunæ bonis instructi, ac validis ab ingenua stirpe affinitatibus optime muniti, filium educavere uti eorum decebat sanguinis præstantiam. Puer vero non obscura in ipsis pene crepundiis vividæ indolis præbebat indicia, quasi cunabula quædam et elementa mox exorituræ in eo virtutis. Quippe cum progrediente die inter lusitantes puellos versaretur, tum nutibus tum verbis quamdam imperandi autoritatem ostentare videbatur, sic ut ægre molesteque ferret lusibus factitandis intentus ignaviæ insimulari : quin etiam, prout ætatula illa ferebat (sextum enim jam tum agebat annum), dictorum factorumque suorum conabatur reddere rationem. Quos puer prævividos gerebat spiritus in ipsa domestica puerilique institutione, dum vel parentis vel altricis maxime blandimenta constanter respueret; perinde jam tum sentiret nulla re magis infringi animos, quam molli ac blanda educatione : ex quo fiebat ut ille domi cunctis ti-

*Patria ejus, ortus,*

ANNUS 1347

morem quemdam injiceret, cujus vix dum lingua verbum facere, ne dicam gressum, per ætatem poterat. Cumque mater ejus, femina lectissima, simul atque pueruli captum deprehendit idoneum ad prima christianæ disciplinæ rudimenta ediscenda, operam studiose navaret sui ipsius exemplo, ut eadem præcepta ante Deiparæ Virginis imaginem domi depictam exprimeret geniculis humi flexis; scitus mox puer ea ut absolvisset, diu cogitabundus stabat. Et identidem in sacram Iconem defigens obtutum in sui quamdam admirationem parentes ipsos adducere ; ita quasi in præsens monstraret præcipuas sibi a Patre luminum cœlestis intelligentiæ illustrationes in eo precandi studio impertitas fuisse, quibus inde regeret sese, suosque pariter moderaretur actus; ne scilicet, adolescente ætate, petulanti lascivia diffluerent in sui ipsius dedecus, atque ideo totius Maconæ familiæ. »

*et educatio.*

ORDINATIONES CAPITULARES.

IV. Inter hujus anni capitulares Ordinationes, sequentes notari merentur :

*B. Virgo Maria Ordinis patrona.*

1. « Ob reverentiam et honorem B. Mariæ, Virginis gloriosæ, Ordinis nostri Patronæ præcipuæ, matris Christi, cujus patrocinio et auxilio plurimum indigemus, ordinatur quod abstinentia quæ debet fieri feria sexta, omni hebdomada, secundum formam Ordinis, fiat in quinque vigiliis festivitatum Virginis ejusdem ; et abstinentia quæ fit in crastino Solemnitatis sacrosancti Corporis Jesu Christi, fiat in vigilia Solemnitatis prædictæ : propter istam Ordinationem non intelligitur quod in dictis hebdomadibus fiat abstinentia ultra semel.

2. « Pro Domno Priore Cartusiæ injungitur cuilibet sacerdoti Ordinis ut unam Missam *de Spiritu Sancto,* et non celebrantes VII Psalmos cum Litania, et quilibet Frater laicus centies *Pater noster ;* » cum salutatione Beatæ Mariæ, addit Charta anni 1350.

3. « Pro tribulatis et tentatis in Ordine dicatur in qualibet Domo una Missa *de Spiritu Sancto,* non celebrantes VII Psalmos cum Litania, Conversi et Redditi quinquaginta *Pater noster.*

ANNUS 1347

4. « Die tertia Maii obiit dominus Elyonus de Villanova, miles, magister Hospitalis, qui habet tricenarium per totum Ordinem. »

In eadem Charta, inter Magnates et Principes (ut moris erat) precibus Ordinis commendatos, reperimus Philippum Franciæ regem, hac speciali de causa : post lugendam Cressiaci cladem, Rex cunctos monasteriorum Prælatos ad bellandum, per se vel per suos monachos aut milites pretio conductos, coegerat ; a tanta autem vexatione Cartusienses exemit : unde pro eo per totum Ordinem preces indicuntur.

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1348.

| Clementis PP. VI<br>Ann. 7. | Ordin. Cartus.<br>Ann. 265. | Joann. Birelli Pr. Cart.<br>Ann. 3. |
|---|---|---|

I. SEQUITUR Salvatoris annus millesimus trecentesimus quadragesimus octavus, Indictione prima, « quo, ait Bohicius noster, ingens pestilentiæ vis in omni Europa desæviit, nec talem omnibus Historiarum monumentis compertam ferunt; tot urbes, tot monasteria, tot insulas devastavit: et in Italia quidem aliquanto tempore, pestis causa, jus redditum non est. Ferunt solatio fuisse huic tanto luctui, quod pueri innocentes morituri, plerique et jubilando et gaudendo laudes Dei dixerint; peccatores priusquam sentirent vim pestilentiæ, totis animis pœnituisse, adeo ut etiam ultro mortem expeterent. Hæc contagio seu pestilentia ab India incipiens passimque provincias omnes perrepens, trium annorum spatio, usque ad Angliam, ubique terrarum in omnes desæviit; ita ut media pars hominum totius orbis non remanserit in vita. Quam cito enim aliquis fuisset infectus, quicumque anhelitum ejus percepissent, omnes celerius moriebantur. In sola Florentia civitate Italiæ plus quam sexaginta millia hominum utriusque sexus hac peste miserabiliter infecti eodem anno obierunt; nec locus erat in tota Europa ubi ista calamitas contagiosa non sæviret. Qui porro calamitatem istam præ oculis habebat, Franciscus Petrarcha, « Annum, inquit, millesimum trecentesimum quadragesimum octavum lugeo, qui non solum nos amicis, sed mundum omnem gentibus spoliavit. Cui si quid defuit,

MAGNA PESTIS UNDIQUE GRASSATUR.

Annal. Ordinis ms. ad hunc annum.

ANNUS 1348

sequens ecce annus illius reliquias demetit ; et quicquid illi procellæ superfuerat, mortifera falce prosequitur. Quando hoc posteritas credet fuisse tempus, sine cœli aut telluris incendio, sine bellis aut alia clade visibili, quo non hæc pars aut illa terrarum, sed universus fere orbis sine habitatore remanserit ? »

CARTUSIENSIS ORDO DEPOPULATUR.

II. His in universum de Magna Peste dictis, quædam specialius ad nostrum Ordinem spectantia, e Chartis Capituli generalis, utpote fonte certissimo, subjiciemus. Pestilentia contracta, mors tam subito sequebatur, tamque celeris erat corporum putredo, ut ne officium quidem sepulturæ expleri permitteretur. « Pro omnibus, ait Charta anni 1348, defunctis Domus Montis Rivii, qui sunt viginti, conceditur tricenarium per omnes Domos Ordinis, pro eo quod non habuerunt divinum Officium, sed sicut moriebantur, sepeliebantur ; item pro aliis personis Ordinis hoc anno mortuis in quorum obitu non potuit expleri debitum officium Ordinis et persolvi. » In Domibus nostris tanta fuerat Conversorum, famulorum colonumque strages, ut agri illaborati manerent ; unde, anno 1349, per Capitulum « conceditur omnibus Prioribus quod ea, quæ propter mortalitatem excoli nequeunt, possint de voluntate suorum Conventuum vel majoris partis, dare in perpetuam emphyteosim sub consuetis vel similibus pensionibus sive servitiis. » Ut supra vidimus, in sola parvulaque Montis Rivii cartusia viginti personæ obierunt, et in toto Ordine, ad minus, nongenti defuncti numerantur, videlicet :

*900 defuncti numerantur.*

anno 1348 quadringenti sexageni quini, anno 1349 centum et sexaginta quinque, anno demum 1350 ducenti septuageni ; nemo ergo miretur, si de « multitudine tricenariorum » loquitur Charta anni 1349. Nec tandem silentio prætereundum Nostros, sese recte arbitrantes pro Ecclesia oratores constitutos, statim ut lues grassari cœpit, publicas indixisse preces

Ex Charta 1348.

« pro tribulationibus guerrarum, mortalitatum, et tranquillitate totius mundi. » Dum hæc statuunt, eodem Cartusienses animantur Spiritu ac summus omnium Fidelium Pastor, qui ut plenius bono animarum prospiceret, gratiam jubilæi de

centesimo anno ad quinquagesimum redegerat, uti his verbis notat autor anonymus apud Baronium : « Eodem anno, de mense Januarii, prædictus Dominus Papa, præsentibus ambaxiatoribus Romanorum, in anno quinquagesimo futuro omnibus visitantibus Urbem concessit Indulgentiam plenariam, et annum illum statuit jubilæum in perpetuum : quem olim Bonifacius VIII statuerat de centesimo in centesimum, iste de quinquagesimo in quinquagesimum commutavit. »

ANNUS 1348

III. Cartusiæ Herbipolensis Chronicon brevem narrationem fundationis hujus Domus nobis suppeditat his verbis :

CARTUSIA HERBIPOLENSIS INCHOATUR.

« Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, fundata est Domus Horti Angelorum pro Cartusiensibus, in suburbio Herbipolensi dicto *zum Neuendorff,* a diversis personis et Dominis. Qui vero omnium primi manus in sanctuarii opere admovere, fuerunt devoti viri et duo fratres Rudegerg et Wolframus dicti Teufel de Kitzingen, cives Herbipolenses, qui una cum illustrissimo et reverendissimo D. D. Alberto de Achenlohe episcopo Herbipolensi, emerunt aream dictæ Domus per Cartusienses possidendam. Instaurationi et inclaustrationi Domus, litterarum siggillatione et corroboratione, pingui eleemosynarum largitione, dictus Princeps plurimum profuit. Nominati vero fratres plures possessiones, reditus et bona addidere. His proxime jungendus admodum reverendus ac prænobilis D. Eberhardus de Ridern, decanus majoris ecclesiæ Herbipolensis, qui moriturus plurima nobis bona destinavit, quibus præfati cives adjuti, ædificia et possessiones dilatarunt. Præcipuum vero Fundatorem hæc Domus agnoscit admodum reverendum ac prænobilem D. Eberhardum de Hirshorn, canonicum archidiaconum majoris ecclesiæ Herbipolensis, qui plus omnibus prædictis fundatoribus et promotoribus laboravit ; nisi enim ipse manum apposuisset, Domus ad profectum non venisset. Nam de proprio multa bona sat large possessionesque tribuit. Brevi enim tempore ecclesiam, sacristiam, galilæam et cætera nobis ædificia necessaria sumptuose et laudabiliter construi procuravit, etc. Migravit demum ex hac

*Præcipuus fundator Eb. de Hirshorn.*

ANNUS 1348

vita plenus operibus bonis anno Domini 1371, 13 Kalend. Julii, in choro nostro ante gradus summi altaris sepultus. Verum licet ea Principe viro, et nunquam intermoritura digna memoria fuerit liberalitas, si tamen numerus servorum Dei consideretur, si infertiles anni et annonæ interdum caritas, si infortunia et casus, si ædificia construenda vel conservanda perpendantur, nequaquam ea quæ comparaverat sufficiebant ; sed divina bonitas, cum suos dilexisset, usque in finem dilexit eos ; submisit enim cooperatores plurimos, adeo ut nulla fere natio in Germania reperiatur, ex qua non unum benefactorem producere possit ; ita plurimorum ope tandem suprema operi manus imposita fuit. Sed ecce dum vix ad justam mensuram pervenit, denuo ablatus decor Carmeli. Hujates enim anno Domini 1400 contra Ducem rebelles, spoliis ex hac Domo ablatis non contenti eam eversam quoque volebant. Verum illustrissimi D. D. Principes Joannes et Fridericus germani fratres et Burgravii Nurnbergenses cum aliis magnis fautoribus, jugibus supplicationibus et multimodis instantiis, apud Imperatorem obtinuerunt ut eorum furor fuerit prohibitus. Sancta pace reddita et diversorum stipe iterum data, Hortus Angelicus paulatim virescere, et viris tam genere quam sanctitate et doctrina illustribus florere cœpit. Præter alias illustres et nobiles personas non prætereundus R. D. D. Waltherus Diagorganensis, Bambergæ et Herbipoli triginta annis in Pontificalibus Vicarius, Ordinis quondam Prædicatorum, qui strictiori ac quietiori vitæ se in senio dedens, habitum Ordinis nostri in hac Domo assumpsit, et brevi explens tempora multa, ipsa die virgini Lustratæ sacra, pientissime in Domino obdormivit. »

BRUGENSE PARTHENIUM FUNDATUR,

IV. Fundatur etiam hoc anno Brugis parthenium Monialium Cartusianarum, de quo hæc reperimus in vetusto ejusdem Domus Manuscripto : « Hæc Domus S. Annæ nullum penitus habuit fundatorem seu constructorem, qui scilicet onus fundationis sibi imponeret ; sed quidam homines divinitus inspirati, motu pietatis et desiderio divini cultus

ampliandi, quasdam eleemosynas ad constructionem dictæ Domus alacriter contulerunt. Quorum primi duo Guillelmus Scotus chirurgus et Margareta conjuges, anno 1348, in mense Martio, pure et simpliciter propter Deum et ad salutem animarum suarum sex mensuras terræ ab omni onere censuum et redituum liberas et absolutas, in fundum monasterii dederunt. Insuper dicti conjuges donaverunt ad opus dicti monasterii fundandi et construendi, domum suam juxta viam quæ de Brugis versus Dixmudam tendit, cum xxv mensuris terræ adjacentis ac arboribus desuper crescentibus ; et hoc duntaxat post mortem dictorum conjugum et Joannis ipsorum filii. Fuit autem hæc prima donatio facta in domo dictorum conjugum prædicta coram Notario publico : præsentibus ibidem tribus Ordinis Cartusiensis Prioribus, Joanne Montis Dei Priore, Guillelmo Vallis Gratiæ, Joanne Domus Sancti Spiritus prope Gosnayum, et Christiano Domus Monialium prope Gosnayum Vicario ; præsentibus quoque Joanne Oste et Joanne filio Roberti Brugensis burgimagistri, et quibusdam aliis personis fide dignis. ANNUS 1348

« Eodem anno circa festum S. Mariæ Magdalenæ Domus hæc ædificari cœpta est, loco sterili et adeo inculto, ut a principio Domus S. Annæ *in Woestyne,* id est in deserto, vocata fuerit. Forsan operæ pretium est hic afferre quædam insolita quidem, sed fide digna utpote a pluribus testibus asserta et tradita. Fama est quod constructio hujus monasterii primum decreta et incœpta fuerit intra civitatem prope portam S. Catharinæ. Ast post dies paucos structura tota ad terram dejecta fuit; quod et in posterum tam frequenter accidit, ut de consensu unanimi benefactorum Domus, alius locus extra urbem fuerit electus, ad constructionem aptus. Sed et hic modo opus incœptum nocte quadam eversum fuit. Mirantibus omnibus et animo dejectis, custodes appositi sunt qui causam eversionis exquirerent. Jam vero dum vigilias agerent, viderunt hi lucem magnam de cœlo descendentem et circumdantem mulierem eximiæ pulchritudinis, quamplurimis virginibus stipatam. Mulier illa, quæ nulla alia pu- *sub titulo Divæ Annæ.*

ANNUS 1348

*Locum designat B. Virgo Maria.*

tabatur quam beatissima Virgo Maria, pede suo structuram tetigit et dejecit, deinde lapidem marmoreum de terra sustulit, et aera transmeans, descendit in locum dictum S. Andreæ, ubi monasterium hoc postea fuit ædificatum. Reposuit ibidem lapidem, et concomitantibus sociis suis amplitudinem loci percucurrit ; tandem se levavit in cœlum, aspicientibus custodibus qui de his omnibus verum testimonium reddiderunt et posteris tradiderunt. Additur quod antea in eodem loco plura animalia venenosa fuissent, quæ omnia præsentia B. Virginis subito interierunt. Terra purgata, lapis quem Beata Virgo ibidem deposuerat, inventus est et triginta virorum conatu non potuit de loco suo dimoveri, et postea, ecclesia jam erecta, in usum piscinæ altaris Majoris adhibitus est. Post tot et tanta divinæ voluntatis et beneplaciti B. Mariæ virginis signa, structura monasterii hoc in loco incœpta fuit. »

HUMBERTUS DALPHIN. RURSUM CARTUSIÆ BENEFACIT.

Ex II Cartular. Domus.

V. Humbertus dalphinus, quodam confecto diplomate anno 1339, Domui Cartusiæ pro vestimentis Fratrum C solidos annui census assignaverat ; cum autem e diversis rebus, super quibus iste census erat impositus, non centum sed centum et sex solidi annuatim redirent, ipse excurrentem summam eidem Domui largitus est, data quam hic inserimus Carta : « Nos Humbertus dalphinus Viennensis, notum facimus per præsentes, quod cum dudum pro nostra nostrorumque salute dederimus et assignaverimus Domui Majoris Cartusiæ centum solidorum grossorum turonensium annui perpetui reditus in mandamento castri nostri Montisbonodi, prout patet per nostras litteras eis concessas, datas XVIII die mensis Januarii, anno Domini MCCCXXXIX ; et in assignatione præmissorum remanserunt nobis super rebus in et super quibus fuit assignatio præmissorum facta, certa servitia tam in pecunia quam in vino et in blado et aliis deveriis, quæ summam sex solidorum grossorum turonensium annuam non excedunt, ob quorum retentionem jura dictæ Domus Cartusiæ et directum dominium præmissorum possent per nos vel per nostras gentes seu successores nostros

ANNUS 1348

imposterum perturbari : ideo ad honorem Dei pro quo supradictam donationem fecimus, et pro salute nostra et nostrorum, quidquid in rebus, terris, pratis, vineis, domibus, fundis et aliis in et super quibus dicti centum solidi grossorum turonensium annuorum fuerunt assignati, nobis remansit, eidem Domui Cartusiæ donamus et concedimus plene et perpetuo per præsentes, dum tamen illa quæ, ut supra dicitur, nobis remanserant, summam dictorum sex solidorum grossorum turonensium annuam non excedant.... Et de præmissis dictam Domum per præsentes liberaliter investivimus, et possessionem (vel quasi) præmissorum eidem Domui cedimus pleno jure ; et concedimus quod Religiosi dictæ Domus corporaliter possessionem (seu quasi) præmissorum per se vel per alium quandocumque sibi placuerit apprehendant. Et damus in mandatis rerum detentoribus seu tenementariis quod ipsi solvant amodo et respondeant de præmissis Domui Cartusiæ supradictæ, et ipsos ex nunc quictamus de præmissis perpetuo ; et inhibemus castellano, mistrali et aliis gentibus et officialibus nostris, qui sunt et pro tempore fuerunt in dicto mandamento Montisbonodi et alibi, ne dictam Domum Cartusiæ in libera et pacifica possessione et perceptione præmissorum impediant quomodolibet vel perturbent, in quantum nobis desiderant complacere. Et in robur et testimonium præmissorum, sigillum nostrum quod portatur apponi fecimus præsentibus litteris, quas concessimus religiosæ Domui Cartusiæ supradictæ. Datum quarta die mensis Decembris, apud Romanis, anno Domini MCCCXL octavo. »

INITIUM DOMUS IN INSULA CADSANT.

VI. Accidit quoque hoc anno ut pax inter Anglos et Flandrorum comitem Ludovicum Maleanum fieret ; dictæ pacis conditiones erant, ut fundaret Anglus in insula Cadsant cœnobium Cartusiense. Porro rei gestæ seriem ex Meyero melius intelliges : « Ludovicus Maleanus comes Flandriæ, inquit, profectus Hypram postquam intelligit Gandavenses et Hypenses pacem facere nolle absque rege Angliæ (Eduardo tertio), Henricum Flandrensem, Henrici filium, cognatum

Annal. Flandriæ, Lib. XIII, ad ann. 1348.

ANNUS 1348

suum, in Angliam ad Regem de pace mittit, atque Conventum indici apud Duynkercam curat ut cum Anglo de consensu etiam Philippi regis pacificetur. Eo ad ipsum mittit Eduardus rex nepotem suum Ducem Lincestrium. Queritur Ludovicus de morte patris sui (Ludovici Nivernensis qui ciciderat in pugna Creciacensi pugnans pro Rege Franciæ contra Anglos), deque occisis Nobilibus ac popularibus suis in insula Cadsanto. Lincestrius item de Anglis variis incursibus occisis queritur. Tandem pacis conditiones hæ pactæ: ut fundet Anglus in insula Cadsant cœnobium Cartusiense tredecim Fratrum, illique reditus assignet arbitrio trium Flandriæ civitatum. » Hæc Meyerus.

Addunt Chronica ms. Ordinis nostri : « Domus ista anno 1385 ab Anglis fuit exusta, quum invasam hanc Insulam devastassent: tum anno 1404 ab exundanti mari subversa et a Nostris derelicta fuit. » Quæ apprime concordant cum his quæ prælaudatus Meyerus refert in suis Annalibus ad annum 1385 : « Anno hujus sæculi octogesimo quinto Anglica classis ipsam Insulam invasit, diripuit, incendit, trucidavitque et cepit incolas. Rursus anno 1404, Angli cum infinita navium multitudine præterlegentes Flandrica littora, cum ob multitudinem navium nemo auderet eam classem aggredi, Cadsantum ipsi insulam prædæ cupidine invaserunt partemque illius incenderunt ac diripuerunt. Nec satis ad calamitatem hæc esse videbantur, nisi etiam in ipsam mare fluctibus insaniret eodem anno. Tanta post hominum memoriam in Flandris nulla fuit inundatio, quanta anno 1404, mense Novembri feriis D. Elizabethæ, hoc est XIII Cal. Decembris, accidit. Per tria nostratia milliaria, omnia Oceanus implevit, homines aliaque animantia multa exstinxit. Quatuor officia, Slusa, Dammus, Rodenburgus, Ostburgus, Birfletum, Hugoflutum, Vulpia, Cadsantum et Bocholta præcipuam passa jacturam ; cujus etiamnum agnoscuntur vestigia. Nunquam visum mare tam alte supra aggeres suos elevatum. Nihil septa, nihil claustra, montesque natura objecti, quos dunos vocamus, in mare potuerunt : omnia interrupta fractaque et

Loco præallegato.

*Undis Oceani summergitur.*

dejecta, Poldri * tum multi perditi. Moles enim Oceani, obstante a septentrionibus valido vento refluxum habere non potuit. Anno quoque sequenti Angli denuo dictam Insulam diripuerunt et totam incenderunt. » Ista porro scribebat Meyerus circa annum Domini sesquimillesimum quinquagesimum.

ANNUS 1348

* i. e. assertæ ex mari terræ.

SUPER TRIBUS NOVITIIS VISIONES.

Cap. XXII.

VII. Ad præsentem annum referuntur hæc quæ scripsit Autor Chronici Priorum Majoris Cartusiæ : « Dum quadam nocte R. P. Joannes Birellus membra sua lassa quieti dedisset, subito vox ad eum venit eique dixit : Surge, ac fratrem tuum nimia infirmitate laborantem visita, eique stude curationis medelam adhibere. Cumque his verbis nimium attonitus permaneret, eo quod neminem Fratrum in Domo sciret infirmum, subito de quodam (quem receperat) sibi in mentem venit, quem non cognoverat de asperitate Ordinis tentari. Ob hoc ad ejus cellam properavit, eumque jam habitum resumere volentem reperit, ut inde ad sæculum rediret. Sed vir Deo plenus, tanto consolationis imbre verborum Dei Novitium replevit, quod bonorum operum inimicus contra eum amplius non potuerit prævalere. Alius etiam Novitius tædio affectus Ordinis, cum ad sæculum vellet redire intempestæ noctis silentio, ob verecundiam timens hoc significare Priori, habitu regulari deposito sæcularique resumpto, per medium cimeterii contigit eum recedendo transire ; ibique duos Monachos venerabiles reperit ibidem colloquentes ; quibus visis nimium attonitus obstupuit, eo quia in tanto noctis silentio contra regularem observationem sibi hoc impossibile videbatur ; cumque aliunde transire non posset, nisi juxta eos, unus illorum manu tenens, dixit ei : Quo miser vadis ? quo tendis ? revertere ad cellam tuam et habitu resumpto persevera ; alias male tibi erit. Nam scias in isto cimeterio nullum sepeliri quin sanctus habeatur in conspectu Dei.

*Visio prima, tempore R. P. J. Birelli.*

*Secunda.*

« Aliud minus isto miraculo, in Domo Moguntiæ dicitur accidisse, sed utrum tempore istius Prioris (Birelli), aut tempore Domni Clari supradicti acciderit, hoc ignoro. Quidam

*Tertia, in Domo Moguntina.*

ANNUS 1348

Novitius in Domo prædicta tædio Ordinis affectus, ad seculum ire disponebat. Cumque precibus vel exhortationibus Prioris seu Magistri sui acquiescere nollet, habitu regulari rejecto ac seculari resumpto, perficere voluit optatum suum ; sed antequam recederet de cella, quamdam imaginem beatæ Mariæ Virginis de ebore sive osse, quam in cella habens consueverat salutare, ante ipsius progressum consueto more se ipsi recommendans salutavit iterato. Mira dicturus sum, vera tamen. Ad ipsius salutationem, quasi ultimum vale dicturus et recessurus, dicta imago in quodam tabernaculo posita, ibidem visibiliter se regirans, eidem Novitio conspicienti vertit dorsum suum. Quo facto dictus Novitius (tanquam ingratus) non fuit compunctus ad correptionem, sed velut desperatus voluit perficere quod incœpit. Nihilominus tristis et dolens hoc ipsum Priori et Magistro suo (quod factum fuit) studuit intimare. Tunc vero Prior et Magister plus solito more ipsius curam habentes, ac ipsum fere sine intermissione visitantes, suadebant, ut voluntate sua in stabilitatem firmata, eidem virgini Mariæ reconciliari studeret ; sed verba eorum aures surdas ipsius non poterant penetrare.

*Induratus Novitius aufugit.*

Cum ecce post Matutinas, cum dictus Magister, ad dicti Novitii cellam ivisset ut cum ipso Primam decantaret, reperit ipsum parum ante per murum de monasterio exivisse, ut iterum ad seculum rediret. Dictus vero Prior ipsi timens, eo quod Beatam Virginem eidem Novitio noverat indignatam, cursu veloci multam familiam post ipsum misit, quatenus eumdem ad monasterium revocarent. Sed obstupendum et dolendum, dum dictus Novitius fuisset egressus, dicta familia ipsum insequens ac undique perquirens tam diligenter, quod etiam parvum animal reperiri deberet, ipse ab oculis eorum evanescens nusquam comparuit, et sic de eo nova nunquam fuerunt audita. Tunc dicta imago ad Domum Cartusiæ (in testimonium prædictorum, et ad cautelam futurorum) fuit delata, quæ ibidem permanet usque ad præsentem diem. »

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1349.

| Clementis PP. VI | Ordin. Cartus. | Joann. Birelli Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 8. | Ann. 266. | Ann. 4. |

DALPHINUS HUMBERTUS FIT DOMINICANUS.

I. MILLESIMUS trecentesimus quadragesimus nonus Christi sequitur annus, Indictione secunda inchoatus, quo « ad consilium Joannis Birelli dalphinus Viennensis Humbertus habitum Fratrum Prædicatorum suscepit. Nam, ut fertur, dictus Dalphinus habitum in Cartusia recipere disponebat. Sed Birellus, Prior Cartusiæ, perspiciens ipsum nequaquam posse asperitatem Ordinis sustinere, eumdem potius censuit ad Deum progredi plana via, quam asperam vitam incipere quam consummare non posset. » Dictus vero Dalphinus Dalphinatum domino Carolo filio Regis Franciæ dedit : et post factus fuit Patriarcha Alexandrinus ac per Dominum Papam Clementem VI consecratus anno 1351 : et subsequenter eodem anno fuit factus archiepiscopus Rhemensis. Papyrius etiam Massonus hujusce Humberti sic meminit : « Humbertus amissa uxore et unico filio, pertæsus imperii, ditionem suam Philippo Franciæ regi vendidit nono Calend. Maias, anno millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, [legendum nono, ut ex Belleforestio et aliis Historicis liquet] ea lege, cæteras enim omittam, ut Philippus Regis filius, aut nepotum aliquis, cui Rex Viennensem provinciam attribuisset, Dalphini titulum atque insignia retinere juberetur : quod a regis Caroli V temporibus, qui Dalphini nomen post Humbertum primus tulit, observatum constat. Humbertus

Chronicon Priorum Cartus., cap. XXIII.

*Ordinem nostrum ingredi voluerat.*

Annales Francor., lib. IV.

In Vita Philippi Valesii, cap. XV.

ANNUS 1349

autem, soluto ære alieno, monasticam vitam professus est, Lugduni in Conventu Prædicatorio, ait Meyerus. Postremo Aquileiensis Patriarcha a Clemente designatus est. »

Annal. Flandriæ, lib. XIII.

DOMUS MEDIOLANENSIS ERIGITUR,

II. Cartusia Garignani 4000 passibus ad septentrionem ab urbe Mediolani, primum monasterium S. Mariæ aut Domus *Agnus Dei,* deinde S. Ambrosii dicta, hoc anno fundata est. « Anno nostræ salutis 1349, ait Molinus noster, illustrissimus et reverendissimus Joannes Vicecomes, archiepiscopus Mediolanensis ac civitatum Mediolani, Pergami, Cumarum, etc., dominus generalis, hanc cartusiam (Mediolani) fundavit et extruxit ad fines contentos in Instrumento suæ confirmationis et exemptionis, transacto Mediolani, die 12 Decembris anno 1354, ubi inter cætera sic ait : Cum affectantes in Officiis divinis virtutum Domino famulari, publicis oneribus stimulantur ; plerumque contigit eos ab orationum, contemplationum et cæterarum studiis virtutum, quibus jugiter intendere habent, multipliciter deviare ; sane cum de nostris propriis et paternis, et non alicujus ecclesiæ nec ecclesiasticæ dignitatis nobis concessæ, facultatibus et bonis ædificari et construi fecerimus in loco Garignani plebis et terræ nostræ Mediolanensis diœcesis, in reverentia beatissimæ virginis Mariæ genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi sacram ædem appellatam monasterium S. Mariæ, sive Domum Agnus Dei, Ordinis Cartusiensis, etc... »

Histor. ms. Ordin. p. 499.

*adjuvante Archiepiscopo Mediolanensi.*

Hic plane hæremus nec satis explicare valemus in quo tanti Principis liberalitas consistit, cum nobis nulla ratione innotescat quid pro hujus cartusiæ fundatione et constructione legaverit, nisi forte de duabus petiis terræ, ut habetur in quodam fragmento contractus anni 1349, diei 19 Septembris, et de quadam cassina dicta *de la Torgiera,* cujus mentionem facit in prædicta confirmatione, in qua personas et bona dictæ Domus « in suam clientelam et protectionem recipit et iis eadem privilegia, libertates et immunitates concedit, quibus gaudent cives Mediolani, cum omnimoda etiam exemptione a quibuscumque taleis, impositionibus, factionibus et oneribus realibus, personalibus seu mixtis ac mutuis, et subven-

tionibus sive contributionibus pontium vel itinerum aut operum quorumlibet, ac etiam ab omnibus et singulis datiis, pedagiis et gabellis, præsentibus et futuris impositis vel posthac imponendis. Inhibens propterea Reverendissimus Dominus quibusvis potestatibus, Rectoribus, Vicariis, pedagiariis et aliis cujuscumque qualitatis officialibus Mediolanensibus, ne a supradictis sui monasterii personis et possessionibus quidpiam exigere aut extorquere præsumant. Statuens insuper ut quilibet, Potestas et Rector præfati Mediolani, in sui regiminis ingressu teneatur speciali et proprio juramento se obligare ad perpetuam et inviolabilem hujus provisionis, statuti seu decreti observationem. Quod si dicti Religiosi aut qui ad eos pertinent contra hujus privilegii tenorem in aliquo lædantur ; quilibet Potestas et Rector Mediolanensis, intra dies decem, cognito damno illato, de proprio peculio si aliter fieri non possit, satisfacere tenebitur. Sanciens et ordinans, ut in singulis causis quas hæc Domus et ejus possessores habent et habere contigerit, sive in petendo, sive in defendendo occasione suarum possessionum, bonorum et proventuum, Judices, Advocati et Procuratores Communis Mediolani et aliarum civitatum sibi subjectarum, eis suam operam præstare et gratis impendere teneantur, sub pœna privationis officiorum ipsorum ; et ut obligentur sub eadem pœna et vinculo sacramenti, Gubernatores, Notarii et alii Officiales tam Mediolani quam aliarum terrarum sibi suppositarum, hujus privilegii, immunitatis, decreti, provisionis, ordinationis et Statuti litteras inserere in corpore et voluminibus Statutorum, etc...... Communitatis Mediolani et aliorum locorum suæ ditionis quam primum ad eorum notitiam pervenerint sibique fuerint præsentatæ : ita ut originales Literas, sumpta earum copia, non retineant, sed confestim eis reddant in quorum gratiam confectæ sunt. Mandat præterea idem illustrissimus Vicecomes suis omnibus subjectis, omnesque alios rogat, quibus sua voluntas innotuerit, ut Priorem seu Rectorem, Religiosos et Fratres, totamque Domus istius familiam, bonis, rebus et privilegiis memoratis

ANNUS 1349

libere frui permittant. In quorum omnium testimonium et perennem rei memoriam, ordinat præsentes transcribi et registrari atque sui sigilli appensione muniri. Mediolani 12 die Decembris, anno 1354. »

Reverendissimus Dominus Fundator eodem anno, 1354, e vivis excessit. Luchinus Vicecomes, ejus nepos, hanc perfecit Domum, unde et secundi Fundatoris titulum promeruit.

ACTA STEPHANI MACONI IN EJUS PUERITIA,

III. Quid Stephanus Maconi puer et adolescens egerit, sic enarrat ejus Vita : « Cum pueri nostri Stephani ætate simul animus corroborabatur et corpus, et per utriusque hominis constitutionem vigens ejus mentis acumen quotidie magis sese in dictis factisque prodebat; mordicus ob id ipsum ejus propinquis ac domesticis retinentibus quam de eo primum conceperant opinionem : illum nimirum difficilem ingenio asperumque futurum. At puer quidem, etsi morosulus quodammodo habebatur a suis, cernebantur tamen in eo aliquando domesticæ pietatis semina in jucundissima erumpere germina, dum suis æqualibus immixtus, quibuscum grammaticis operam dabat, templa sæpe venerabundus obibat, et in eis pie ac pure Sacris intererat. Namque in eorum quæ venerabatur cogitatione defixus, nihil admittere nihilque ferre videbatur, quod loco ac tempore non esset consentaneum ; ejusmodi cogitationibus se oblectans, sacra etiam sæpe egressus æde. Quod ubi ejus æquales animadverterent eumque puériles ad ludos attrahere vellent, ita nonnunquam respondere illis solitum tradunt : Adero utique ; atqui si amisero quod in templo lucratus sum, quis illud mihi compensabit ? Cujus sane verbis obliquo lumine illum intuentes cachinnis mox illusum deferebant, quoad paulatim illorum se ultro congressibus inferens, ad eorumdem se votis disponeret obsequendum, remissius fortasse quam antea fecisset. Qui pueri sensus, quæque cauta mens aliis frænum quoddam injicere videbatur, ne quisquam illum ad virtutem capessendam egregie currentem antecelleret; quod utique facili negotio obtinuisset ille, si statim vel nutibus vel blanditiis puer allectus aliorum voluntati temere annuisset. Ob hanc ergo Ste-

ANNUS 1349

phani singularem ad honestissima quæque sectanda animi propensionem, optimis parentum incitatam monitis, nihil in ejus cernebatur moribus indecorum, nullumque ex ore ejus verbum excidebat quod non præ se ferret eximiam quamdam ejus animi moderationem ; illius videlicet qui ad eam diem in eo insederat candoris et innocentiæ testem ; quin etiam addunt nonnulli (qui ejus res gestas ad trigesimum quartum suæ ætatis annum literis commendarunt ex fratre ejus germano Ivone) eum quamvis vividum ingenium, uti prædiximus, in generoso pectore gereret, solum tamen per urbem incedere et senilem quamdam maturitatem ostendere sæpe solitum esse : partim quia ad graviora litterarum studia jam tum ephebus appulerat animum (legibus quippe dabat operam), partim quia illa animi sui præstantia cœperat generosus fastidire æqualium congressus. Quos cum identidem offenderet, de industria tum vel maxime declinabat cum se ad ea oblectamenta allici sentiebat, quibus eos capi non ignorabat ; sed confestim vel paternum quodpiam mandatum vel tale aliquid excusans, eorum se conspectibus blande subducebat. Cujus rei causa fiebat, ut quidam de illius solitudine in admirationem raperentur, quidam vero per jocum lasciviamque cavillis eum petulanter incessentes in triviis plateisve, Sanctum vocitarent. Sed tantum aberat ut ejusmodi petulantia a proposito per id tempus deduci se pateretur, ut eam maxime contemneret prorsusque despiceret, præclarum ducens in omnes partes sibi posse constare. Quandoquidem in hanc sententiam ingressus erat, eamque mordicus tueri curabat, ut qui ejus expetere videbantur consuetudinem, neque ex mutuis congressibus neque familiaribus ex colloquiis eam sibi animi magnitudinem explicarent, quam præclaris ipse cogitationibus ad extremum usque sibi retinendam proponeret. Hinc erat quod speciosa quædam ac splendida magno versans animo, mira cupiditate ardebat peregrinas lustrandi orbis regiones, et ad elegantissimum ingenii cultum capiendum Regum ac Principum aulas cognoscendi. Hinc sermones de re passim publica serere, hinc de Magistratibus gerendis, hinc etiam

*et adolescentia.*

ANNUS 1349

de potestate primariis civibus augenda, hinc aliquando popularibus minuenda ; aliquando vero publicis de moribus corrigendis in Nobilium virorum circulis miscere colloquia ; perinde ac si jam tum ad homines regendos occultiori vi syderum non invitari, sed rapi videretur. Quæ sane dum agitaret animo, id assequebatur, scilicet ut cum paucis ipsi esset consuetudo ; hoc in animo versans, hoc in ore identidem habens, primam nempe hominis existimationem apud gravissimos quosque viros esse, eos vel maxime in suam consuetudinem adsciscere, qui vel virtutis vel nobilitatis laude præstantes, ad solidæ gloriæ æmulationem, ac decus comparandum cuique sint adjumento ; quando ex quotidiano cujusvis usu atque convictu, haud inani conjectura cuicumque assequi licet vitam illorum ac mores, qui eo familiariter utuntur.

*A suscepto consilio peregrinas lustrandi regiones avocatur patris ejus artibus,*

« Dum ingenuus noster adolescens in litterarum palæstra mirabiles habet progressus, alterum et vigesimum annum agens, generosi interea ac præfervidi spiritus illi in eo recaluerunt, qui antea studiorum causa sive assiduis parentum præceptionibus quodammodo congelarant. Quod ubi Conradus pater animadvertit, commodum occasione usus, omnes curas cogitationesque suas intendit ad filii animum ab inita peregrinandi cogitatione deducendum. Ob id ipsum igitur primum de Doctoris eo insignibus titulisque certo consilio exornando, apud gymnasiarcham aliosque præstantes viros agitare cœpit. Quoniam ex gravi doctorum virorum censura eos Stephanus in litterarum studiis processus fecerat, ut cum paucis suis coætaneis esset conferendus ; ratus optimus parens hac vel honestissima ratione non modo filium stabilem fixumque in patrio solo se habiturum, sed viam quoque illi brevi straturum ad magistratus gerendos, eximia jam ab sedato vivendi genere primorum judicia consecuto. Sed cum Stephanus obfirmata in priori sententia mente perstabat, nec ab ea deduci se ullo pacto patiebatur, aliam rursum rationem Conradus ineundam sibi putavit, qua filii animum ad suam flectere voluntatem posset. Neque incassum adhibiti conatus.

ANNUS 1349

Siquidem dum natum videt pertinacis animi decreto a suis aversum optatis, alios et nobilitate illi pares et sanguinis propinquitate conjunctos, ejus conatibus opponit. Qui a patris abhorrentem consiliis sensim aggressi, primum demonstrant, velit nolit, oportere sese communi patriæ consuetudini accommodare, quod utique cernere licebat in seipsis ; qui, etsi ad eadem litterarum studia incumbebant atque ipse, aliorum tamen obsecundare voluntati, et ad alterius nutum arbitriumque se fingere, in iis præcipue quæ ad præclara spectant, prudentis esse ducunt. Deinde eum adhortari : videat etiam atque etiam, ne dum suæ obsequi voluntati intemperanter studet, amittat quod sibi suæque genti decori et ornamento esset futurum ; quod plane esset si patri, cui omnia deberet, morem gerere induxerit animum. Qui quamvis alios liberos fratres tuos habeat, in te tamen uno, Stephane, tanquam in certo familiæ præsidio nomen domus ac decus constituit. Cujus spe commodi honestamentive delusum se ducit omnino, si nulla vel sui, vel caræ parentis fratrumque tuorum habita ratione, tenacius in mente tua etiam nunc illa insideat cura peregrinas obeundi regiones ; aut certe ab illustrium virorum consuetudine sejunctus, vitam abstractam ducas, quæ nulli usui emolumentoque sit futura. In mentem tibi veniat, Stephane, nos non nobis tantum esse natos, sed parentibus, sed patriæ, sed civibus pro quibus vitam sanguinemque profundere debemus. Neque ii duntaxat in Republica potiuntur honorum magistratibus gerendis, qui nobilitate præcellentes exhibent sese in primorum circulis, verum etiam qui illustri officiorum concertatione inter cives et amicos, seu peramena morum elegantia liberales et ingenuos se præstant æqualibus. Beata enim vita gloriosis et illustribus factis ad perennem nominis laudem, non arida sterilique quadam virtutis imagine, sed nobilium operum æmulatione comparatur. Proinde non in solitudine umbratilique conclavi veræ nobilitatis ornamenta ponenda sunt, ab aliis videlicet ut secreti remotique vivamus, quando horum similes perinde atque soli sapiant ut qui nimium sibi arro-

*et amicorum adhortationibus.*

ANNUS
1349

gant, cæteri vero a recta agendi ratione aberrent, in summam omnium invidiam plerumque vocantur, ac nulla hominum benevolentia fruuntur ; atque ejusmodi fructus capiunt ex nimia qua ducuntur sui arrogantia. Cave proinde, Stephane, ne te in horum album referant, qui te forte abjectum cupiunt. Præstat enim errare cum pluribus ejusdem sanguinis, quam vel suæ ductu prudentiæ, vel cum externis recta tenere, quibus nulla nostræ dignationis est cura. Hæc et alia id genus hortamenta, tantum virium habuere ad Stephani mentem expugnandam pervertendamque, ut verius dicam (quippe nihil æque valet ad alliciendum cujusvis animum ad quæcumque volumus, atque ea per speciem honesti rective illi objicere ad quæ natura propensus est), ut manus dederit se adhortantibus ; prorsus ut, litterarum studiis abdicatis, ad eorum se vota sectanda totum accommodaverit. Excipit igitur illorum congressus, cum illis consuetudinem jungit, et circum villulis pererrans facilem se illis præbet ad jucunditatis quosque fructus carpendos. Ex qua quidem filii mutatione quanquam Conradus magnam percipiebat voluptatem, quod ex hoc vel imprimis eum fixum stabilemque patriis in tectis mansurum existimabat, facere tamen non poterat quin sæpe illi valde timeret, præsertim cum durius acciperet profusos ejus sumptus in corporis cultu ; qui, ut inter cæteros æquales elegantioribus munditiis conspicuus appareret, nullis parcebat impensis. Cujus rei causa domi non raro odiosi exaudiebantur susurri, præcipue vero ab Joanna matre, quæ virili industria familiam regens, ac de filio mire sollicita, verebatur ne laxatis utcumque domestici timoris habenis, volens lubens in cæcos dilaberetur errores ; ac propterea de viro conquerebatur, eo quod permisisset Stephanum a pacata vivendi ratione animum avocasse, in quo ea dominatum quemdam obtinuisse videbatur ; perinde quasi prævivida illa generositas animi in eo obdormiisset sopito virtutis amore. Ex qua vitæ ratione plus utilitatis ac commodi sperandum nobis erat, adjiciebat illa, quam fucato quovis seu dignitatis seu honoris splendore, pro existimatione in familia retinenda.

*Cessit Stephanus,*

*et mundanæ indulget vanitati,*

*dolente ejus matre.*

Nec vana cantitabat matrona prudentissima, ut in alio loco demonstrabimus. »

ANNUS 1349

CARTUSIA GIRONDÆ AD TEMPUS CUIDAM SÆCULARI TRADITUR CUSTODIENDA,

IV. Hoc anno « cum dissensionis materia foret orta inter reverendum in Christo Patrem ac Dominum, Dominum Guichardum (Tavelli), Dei et Apostolicæ Sedis gratia Sedunensem episcopum, ex una parte ; et cives suos Sedunenses ex altera : inde fuerunt secutæ deprædationes, incendia, captiones hominum et alia plura. » Et non modo discordiæ erant inter Episcopum et cives urbis Sedunensium, sed et tota regio in duas factiones scindebatur. Bellum, initum anno 1337, paulo sedatum fuit per concordiam die vigesima secunda Maii, anno 1344, compositam ; sed, post tres annos, utraque pars bellare rursum cœpit. Tunc Capitulum generale anni 1349, timens ne Domus de Gironda, inter hostes posita, sese defendere nequiret, potestatem (raro usitatam) fecit R. P. Birello remittendi et tradendi dictam Domum, ad tempus solummodo, nobili Joanni Anivisio (d'Aniviers) Sedunensis Episcopi vicedomino, qui eam ut rem suam defenderet ac protegeret. Hujus cessionis Literæ, post sex tantum menses, die quarta Novembris, datæ sunt in hanc formam :

*propter bella tunc imminentia.*

*Literæ concessionis.*

« Inclyto et potenti viro Joanni, domino Anivisii, frater Joannes, Prior majoris Domus Cartusiæ, cæterique Priores, Diffinitores et Fratres Cartusiensis Ordinis in generali Capitulo congregati, salutem et orationum suffragium salutare. Quamvis lex mutuæ caritatis generaliter omnibus nos astringat, illis tamen nos reddit specialiter obligatos quorum beneficia frequentius experimur. Ea propter devotionem quam ad nostrum Ordinem te semper habuisse et nunc amplius habere cognoscimus, recompensare merito cupientes, et cum ad præsens ratione guerrarum et dissensionum in Valesio ortarum, Fratres nostri moram et devotionem salubrem facere in eodem non valeant : idcirco tibi et qui pro tempore in castro Anivisii moram duxerint contrahendam, res et bona nostræ Domus de Gironda per te vel tuos antecessores donatas vel venditas vel quocumque alio titulo traditas remittimus et concedimus usque dum duxerimus ad prædictam

ANNUS 1349

nostram Domum de Gironda fratres mittendos vel aliter rationabiliter ordinandum, conscientiæ tuæ remittentes caritates inde faciendas. In cujus rei testimonium sigillum Domus Majoris Cartusiæ duximus præsentibus apponendum. Datum Cartusiæ, die iv Novembris, anno Domini MCCCXLIX. »

OBITUS FRATRIS ELIÆ,

Vide annum 1341.

V. Obiit hoc anno 29 Julii, peste absumptus frater Elias Prevost, Clericus Redditus Majoris Cartusiæ, de quo superius mentionem fecimus. Hic in humili Redditorum statu licet constitutus, magna pro Ordine universo egerat, nam in Curia papali officio Procuratoris fungens, sua mira dexteritate plura et insignia privilegia obtinuerat, ut sunt : Indulgentia in articulo mortis, sanatorium quoddam Breve pro Monialibus, et cætera. In Charta anni præcedentis, talia de eodem Fratre legimus : « Quia frater Helyas, Clericus Redditus Cartusiæ, multos labores sustinuit in Curia Romana, et adhuc forsan sustinebit, in procurando plenam Indulgentiam et gratias alias pro toto Ordine, volumus ut dicatur in qualibet Domo una Missa *de Spiritu Sancto* pro eo ; et quilibet de Monachis et Clericis Redditis dicat semel pro eo septem Psalmos cum Litania ; et quilibet de Laicis decies *Pater noster ;* Monialium vero, pro quibus amplius laboravit, dicat quælibet Psalterium unum. »

*Guillelmi Gandavensis,*

Eodem anno, ii Kalendas Julii, et ipse sane peste correptus, cœlestes sedes adiit præclarus vir, Guillelmus de Waernewyck, Prior Gandavensis cartusiæ, de quo sic ejusdem Domus Chronici autor : « Flander nobilissimus, inquit, habitum religionis suscipiens in Domo Fontis Beatæ Mariæ, post exactos hac in eremo laudabiliter aliquot annos, assumitur ad regimen cartusiæ Gandavensis anno 1334. Hujus monasterii benefactor erat singularis, nobilis miles Guillelmus de Waernewyck Guillelmi avunculus. Porro cum præfuisset usque ad annum 1349, demum sancte decessit eodem anno die 28 Junii. Hic Prior et alter Guillelmus ejusdem cognominis de Waernewyck, qui fuit Procurator hujus Domus circa annum 1353 et obiit anno 1390 (vel ut alii volunt 1388, xv Kal. Julii), jacuerunt sepulti in antiquo monasterio sub uno

lapide ad ingressum cœmiterii, estque lapis integer relatus ad nostrum monasterium, insignitus duobus monachis caputio tectis faciebus, inscriptumque in lapide quod Guillelmus Prior sit filius Thomæ de Waernewyck, alter vero Guillelmus Procurator, filius Simonis de Waernewyck. »

*et Joannis Gosnayensis.*

Explevit etiam sanctissime, præsenti anno, in hac valle miseriarum peregrinationis dies, Joannes Proto-vicarius parthenii Gosnayensis, cujus elogium his verbis describitur in Catalogo Vicariorum ejusdem : « Ad hujus parthenii regimen assumptus ut Instituti Cartusiensis fundamenta super firmam regularis observantiæ petram stabiliret, postquam novam hanc plantationem in charitate, in paupertatis studio, cæterisque virtutibus radicatam verbo irrigasset simul et exemplo, ad vitam quietiorem anhelans, ita egit importune apud Patres Ordinis anno 1332 in Capitulo generali congregatos, ut sui voti factus compos reliquum vitæ in solitudine et silentio transegerit. Demum bonorum operum et dierum plenus, in hac Domo feliciter absolvit cursum anno 1349, die decima tertia Septembris. »

CAPITULI GENERALIS ORDINATIONES.

VI. Ordinationes Capituli generalis hujus anni sunt :

1. « Famuli Ordinis ad Cartusiam venientes vel redeuntes, aut cum Visitatoribus euntes, si in itinere moriantur possint in proximiori Domo sepeliri, si ibi elegerint sepulturam.

2. « Ordinatum est quod mittatur aliqua persona ad curiam Romanam ad impetrandum et procurandum quod personæ Ordinis non possint ire in loco * pro Indulgentia (Jubilæi) obtinenda; et quod nihilominus ipsam Indulgentiam habeant sicut haberent si itinerarent. »

* i. e. in urbe Roma.

# *JESU CHRISTI

## ANNUS 1350.

| Clementis PP. VI Ann. 9. | Ordin. Cartus. Ann. 267. | Joann. Birelli Pr. Cart. Ann. 5. |
|---|---|---|

BULLA CLEMENTIS VI NE NOSTRI AD ALIUM SE TRANSFERANT ORDINEM.

I. QUINQUAGESIMUS post millesimum trecentesimum sequitur annus, tertia Indictione, quo Clemens Pontifex sequenti bulla prohibuit ne Nostri ad alium Ordinem se transferrent : « Clemens episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Arelaten. et Treviren. Archiepiscopis, ac Episcopo Gratianopolitano, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad fructus uberes quos Cartusiensis Ordo, in agro militantis Ecclesiæ plantatus dextera Domini, velut arbor bona produxit hactenus et producit, considerationis nostræ oculos extendentes, et attendentes quod dicti Ordinis professores, mundo mortui, soli Christo qui est Vita viventes, pro universali salute Fidelium incessanter ad Dominum preces fundunt : dignum ducimus ut illa eos prosequamur prærogativa favoris, per quam eis submoveamus scandala, et quietem etiam procuremus. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Cartusiensium Gratianopolitanæ diœcesis et aliorum Priorum et Fratrum dicti Ordinis, fuit nobis expositum, interdum contigerit quod quidam ejusdem Ordinis, ad Fratres Mendicantium et alios Ordines Regulæ et observantiæ laxioris, non obtenta nec petita Superiorum suorum licentia, temeritate se propria transtulerint et recepti fuerint etiam in eisdem, in grave salutis eorum dispendium, ac Priorum et Fratrum Cartusiensium scandalum prædictorum : Nos volentes super

hæc eisdem Prioribus et Fratribus de opportuno remedio providere, et attendentes quod decet et expedit ut, juxta doctrinam Apostoli, quisque in ea qua vocatus est vocatione existat; ipsorum supplicationibus inclinati, omnibus et singulis personis utriusque sexus cujuscumque gradus et status sint ejusdem Ordinis Cartusiensis, præsentibus et futuris, ne de Ordine ipso, ad quosvis Mendicantium vel alios Ordines transire, ac Prælatis et aliis personis omnibus et singulis Mendicantium et aliorum Ordinum prædictorum, ne illos quoquo modo absque licentia Sedis Apostolicæ eis per speciales dictæ Sedis literas, plenam et expressam ac de verbo ad verbum facientes de præsentibus mentionem concedenda, recipere præsumerent, districtius inhibuimus : decernentes ex tunc transitum et receptionem talium irritos et inanes. Quocirca Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, dictis Prioribus et Fratribus ejusdem Ordinis Cartusiensis, efficacis super hoc defensionis præsidio assistentes, hujusmodi memorati Ordinis personas ad eosdem Mendicantium vel quoscumque alios transire Ordines præsumentes, ad regrediendum ad eumdem Ordinem Cartusiensem, et Prælatos ac personas quascumque alias Mendicantium et aliorum quorumcumque Ordinum, illos recipere ac retinere contra inhibitionem et Decretum nostrum hujusmodi præsumentes, ad dimittendum et restituendum illos, autoritate nostra, per censuram ecclesiasticam compescatis. Non obstantibus exemptionibus et aliis Privilegiis, Indultis et Literis Apostolicis quibuscumque, locis, personis et Ordinibus ab Apostolica Sede concessis, etiamsi de illis et eorum totis tenoribus, necnon locis, Ordinibus, et nominibus propriis, de verbo ad verbum, esset in præsentibus specialis et expressa mentio facienda; seu si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per Literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem : contradictores censura simili, appellatione post-

ANNUS 1350

*Qui fecerit ad Nos regredi tenetur.*

ANNUS 1350

posita, compescendo. Datum Avenione, Idus Decembris, Pontificatus nostri anno nono. »

HUMBERTUS DALPHINUS DONATIONEM SEX SOLIDORUM CONFIRMAT.

Major. Cartus. Cartular. novum. II, fol. LXII.

II. Donationem quam fecerat Humbertus, dum adhuc esset dalphinus Viennensis hoc præsenti anno confirmavit, jam de Ordine Prædicatorum effectus : « *Frater* Humbertus dalphinus Viennensis antiquior, dilecto fideli nostro castellano Montisbonodi vel ejus locum tenenti salutem et dilectionem sinceram. Cum ab anno Domini M CCC quadragesimo octavo dederimus Religiosis Domus Cartusiæ Majoris usque ad valorem sex solidorum grossorum turonensium annui et perpetui reditus in dicta castellania Montisbonodi, ultra summam centum solidorum grossorum ibidem antea eisdem assignatam et in mandamento Montisfloridi, pro quibusdam oneribus in eadem Domo Cartusiæ perpetuo pro remedio animæ nostræ ac prædecessorum nostrorum melius supportandis; et intellexerimus quod dicti 6 solidi grossorum prout dedimus eis adhuc non sint assignati, vobis tenore præsentium committimus, et districte injungendo ex certa scientia mandamus, quatenus mox visis præsentibus, ad requisitionem procuratoris dictorum Religiosorum, tenementarios et possessores rerum super quibus percipit ipsa Domus in dicto mandamento annuos reditus evocetis, et in præsentia ipsius procuratoris vos informetis diligenter cum singulis eorumdem, quid et quantum percipimus super rebus quas ipsi possident seu tenent, ac incontinenti eisdem Religiosis et eorum Domui Cartusiæ dictos sex solidos grossorum annui et perpetui reditus assignetis una cum alio jure ac dominio nobis competentibus super ipsis rebus, dumtaxat mero et mixto imperio, jurisdictione ac vinteno exceptis : ipsosque tenementarios viriliter compellatis, captis pignoribus et districtis pœnis impositis et exactis alioque modo quo poteritis fortiori, ad recognoscendum plene ac solvendum eisdem Religiosis vel eorum mandato annuatim, usque ad summam dictorum sex solidorum grossorum, cum omni dominio et alio jure nobis super ipsis competentibus, præmissis dumtamen exceptatis ; dictamque Domum seu procuratorem ejus-

ANNUS 1350

dem pro eadem in corporalem possessionem seu quasi præmissorum inducatis, licet a dicta donatione per nos facta jam induxerimus, et inductam tueamini et omni studio defendatis, et inviolabiliter vos et successores vestri in officio, prædicta perpetuo conservetis : mandantes pro nobis et nostris harum serie auditoribus dalphinalium computorum modernis et futuris, quatenus dictos sex solidos grossorum de vestris computis et successorum vestrorum sine difficultate, alio mandato non expectato, allocent et deducant. Nos enim pro nobis et nostris in perpetuum dictos tenementarios et emphitheotas de præmissis quictamus et eorum quoslibet successores, facientes pactum cum eis bona fide de ulterius non petendo. Ideoque eis districte injungimus quatenus recognoscant et solvant prædicta eisdem Religiosis vel eorum nuntiis, ac ipsis super præmissis obediant in omnibus sicut nobis. Datum anno Domini millesimo CCC quinquagesimo, die XXVIII mensis Januarii, per Dominum oretenus; assistentibus domino Priore Sancti Donati et Domno Jacobo de Viveyo dicti Ordinis Cartusiensis : expeditum. »

Carolus rex Franciæ eadem confirmavit, in hospitio suo sancti Pauli prope Parisios, XVIII die Martii, anno Domini M CCC sexagesimo septimo.

BRUGENSE PARTHENIUM INCHOATUR,

III. « Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo, ait supracitatum Chronicon ms. Monialium Brugensium, sex professæ virgines de Domo Gosnayensi, monasterium novum occupaturæ, Brugas advenerunt in vigilia Assumptionis B. Mariæ Virginis, et ipsæ omnes, una excepta, Brugis oriundæ. Quarum nomina sunt : Elisabetha Braderickx Priorissa, Agnes, dictæ Elisabethæ soror, Catharina van Bello, Clara van de Walle, Catharina Honis et Catharina Snomakers. Quibus adventantibus fere tota civitas lætabunda in occursum venit easque gratulatorie excepit, vel ob id maxime quod essent indigenæ, et a pietate ac religione multum commendatæ; quo intuitu non modica largitio facta est, multis adjutrices manus præbentibus et rem earum promoventibus. Venerabilis mater Elisabetha Braderickx, hanc novam Do-

ANNUS 1350

mum juxta normam et Statuta Ordinis regens, magnum præ se tulit fervorem, diligentiam summam et eximiam vitæ pietatem. Sex illæ virgines jure merito haberi possunt novæ plantationis S. Annæ fundatrices.

*in magna paupertate.*

« Vixerunt per biennium in paupertate magna, absque agris, absque reditibus, insuper et ære alieno gravatæ propter opus fabricæ, degentes in domunculis valde exiguis creta tectis. Biennio elapso Deus filiarum suarum misertus, animos quorumdam civium accendit ut eis benefacerent, necessitates earum sublevando et opera structuræ promovendo : inter eos maxime eminuerunt Joannes Van Hertsberghe, cum matre sua et dominus Roberechts civitatis Brugensis burgimagister, vir valde locuples et religiosus. Hic per triginta ultimos vitæ suæ annos, monasterio totus devotus, curam ejus benigne suscepit et liberaliter egit propter amorem Dei et animæ suæ salutem. Monasterium calice argenteo et variis paramentis valde pretiosis dotavit, aram sanctæ Annæ dicatam construxit, reliquias sanctæ Annæ venerandas Monialibus tradidit, oleum quinque lampadibus quæ diu noctuque lucerent ante altare majus et ante altare sanctæ Annæ necessarium, annuali reditu suppeditavit, et alia plurima dona fecit. Dominus Joannes Van Hertsberghe cum quibusdam aliis personis ad fundationem Domus triginta libras grossorum contulit : Magistratus quoque et Scabini civitatis, ex ærario communi, per triennium, quolibet anno, quinque libras grossorum statuerunt ad constructionem refectorii et dormitorii. Benefactoribus illis adnumerandus est dominus Thibaut de Vos, civitatis Brugensis vir valde pius. A Deo proventus et accensus, largitionibus suis monasterium ampliavit, cunctaque ad victum, habitum et alia ad vitam necessaria toto corde et animo suppeditans.

*Primi benefactores.*

« Post orationem in sacello factam, sæpius sub mappa altaris amplam pecuniæ summam furtim deposuit : quæ pia industria quadam die per custodem latenter appositum detecta fuit a Vicario Domus, qui eum cum gratiarum actione pro beneficiis tam humiliter factis, ad propria hilariter di-

misit. Dictitabat se ut patrem monasterii hujus haberi velle; quod et toto vitæ suæ tempore probavit, totis viribus per se et per alios ei beneficiendo.

« Successit ei filius ejus Balduinus qui et ipse Domui sanctæ Annæ fuit toto corde addictus. Ut augeret quantitatem vini monasterio necessariam, quotannis donabat quinquaginta libras Parisiens.; dedit et ccc sexaginta arpenta terræ; fecit et alia dona; insuper quatuor arpenta terræ et duas ligneas ad sepulturam familiæ in territorio et prope Gandavum sitas, monasterio assignavit. Filiam quoque suam nomine Annam in ministerium Domus dedit. Hi sunt benefactores præcipui hujus monasterii sanctæ Annæ : fuerunt sine dubio et alii multi, quorum nomina ad nos non pervenerunt.

« Observatu dignum est quod largitiones et eleemosynæ liberaliter nimis et abundanter factæ fuerint ad constructionem Domus hujus, quoniam monasterium totum, amplum et pulchrum erectum fuerit sumptibus et opibus benefactorum singularium. Sit Dominus Ipse merces eorum magna nimis in perpetuum ! »

OBITUS JOANNIS DE EPTERNACO.

IV. Obiit hoc anno Joannes de Epternaco, professus Seitzensis, Protoprior Trevirensis ac Rector Wirtzburgensis, eximia prudentia celebris, de quo Chronicon cartusiæ Trevirensis, rem paulo altius repetens, hæc habet :

Chronicon Trevirens. ms. sub primo Priore.

« Cum reverendissimæ memoriæ dominus Baldewinus, Princeps elector et pater noster gratiosissimus, suam de fundando Ordinis Cartusiensis asceterio, prope muros residentiæ suæ, devotam intentionem omni conatu ad finem perducere gestiisset; ut id melius et accuratius ad statum et formam dicti Ordinis fieret, de viris ejusdem Ordinis gnaris et industriis providendum duxit, quorum consilio et nutu operosum cæteroquin molimen bene faustum sortiretur effectum. Hanc ob causam anno ab ortu Solis Christiani 1330, a Reverendo Patre Generali petiit et obtinuit Venerabilem Patrem Joannem de Epternaco, professum et Procuratorem cartusiæ Moguntinæ, qui cum Venerabili Patre Joanne Polono primo initiatore seu Rectore, haud segnes manus adhibuit. Primus

ANNUS
1350

*Joannes Polonus Protorector.*

igitur nomine Rectoris auspicandæ cartusiæ Trevirensi astitit V. Pater Joannes Polonus; de quo cujus patriæ aut cujus Domus professus fuerit, nullibi constat : nec in Cartis Capituli generalis, nec in Calendario nostro, nec in aliis pluribus visis atque revisis Patrum nostrorum scriptis, quidquam reperire est. Quidquid sit, eum eximiæ prudentiæ, industriæ ac religionis virum fuisse nemo inficiabitur, cujus directioni tot monasteriorum auspicandorum negotium demandatum fuit. Etenim cartusiæ Moguntinæ, Trevirensi, Confluentinæ, Coloniensi et Herbipolensi, verbo, omnibus in his terris ea tempestate nascentibus cartusiis sedulus astitit. Quid ergo plura ad tanti viri dignitatem commendandam requirimus ? Ut itaque pluribus parcam, tam impigram, ut sacer Ordo Cartusiensis in frigidis etiam hisce terris efflorescerent, impendit operam, ut se totum quoque impenderit usque ad cœlestis vitæ coronam, quam obtinuit in Rectoratu cartusiæ Herbipolensis die 27 Februarii anno 1350. Charta Capituli generalis ejusdem anni eidem hisce parentavit, scilicet : « Obiit D. Joannes, Rector novæ Domus in Herbipoli, III Kalend. Martii, qui habet tricenarium et anniversarium per totum Ordinem, et in Domibus quibus præfuit plenum monachatum. » Ex modo laudati Rectoris manibus regimen capessiit V. P. Joannes ab Epternaco, professus et Procurator cartusiæ Moguntinæ, qui præcipuæ industriæ et sanctitatis persona in pluribus Protopatrum nostrorum monumentis deprædicatur.

*Primi Domus Novitii.*

Primus hic nomine et dignitate Prioris, novam S. Albani plantationem surculis Deo dignis augere cœpit, et ad vota solemnia primos, anno 1334, admisit Domnos Theodoricum de Wintrich et Jacobum a Sirck. Primus quidem, Theodoricus, sacerdotio ante ingressum Ordinis inauguratus, ante professionem bona sua in Wintrich cartusiæ nostræ dono perpetuo transcripsit. Alter vero Jacobus a Sirck relicta, cui præfuerat, parochia in Nalbalch ad novam Eremum confugit, et tanto propriæ animæ curam egit solertius, quanto pastoralem reliquit consultius, donec undecennio exacto, anno 1347, corpus laboribus fessum in solitudine abjecit.

ANNUS 1350

« Venerabilis interim P. Joannes Prior, anno 1335 parochiam Sancti Arnulphi in Nickenich per eminentissimum Fundatorem cartusiæ nostræ noviter incorporatam, cum omnibus juribus et proventibus, reservata tamen Vicario justa competentia, ad subsidium novæ Domus acceptavit. Post hæc piissimus Fundator pluribus, ut suam in Nostros beneficentiam profunderent, author fuit. Unde serenissimus Dominus Johannes rex Bohemiæ, ecclesiam parochialem in Egla cum omni proventu donavit, nobisque per Reverendissimum D. Baldewinum incorporari permisit. Hanc D. Johannes Prior anno 1339, per resignationem R. D. Nicolai de Rodemacra decani S. Simeonis et Pastoris in Igell, acceptavit. Similiter eodem anno, per donationem dominorum Philippi et Joannis militum de Wieskischen, et incorporationem Archiepiscopi, ecclesiam parochialem S. Stephani in Wintrich adiit. Crescente sub his S. Albani cartusia, etiam de spirituali profectu nihil omissum fuit. Jussit quippe eminentissimus Plantator, ut Nostri cum Monialibus Vallis S. Mariæ prope Luxemburgum Ordinis Prædicatorum societatem concluderent, vi cujus denunciato nobis earum obitu, sacerdotes duas Missas, non celebrantes duo psalteria, Laici vero certum numerum orationum Dominicarum pro earum defunctis; ipsæ e converso pro nostris defunctis duo psalteria dicerent, vigilias exequiasque celebrarent. Hæc dudum varias ob causas revocata sunt : ut cum sexu mutabili vix quidquam persistere consuevit ! Tandem V. Pater Joannes de Epternaco post indefessam sedulitatem plurimosque labores, circa annum 1343 aut Capitulo generali aut morte ipsa a Prioratu absolvente (quod divinare, non affirmare valeo), regimen tenere desiit. Obitus ejus omnino incertus est, cum Kalendaria et Necrologia nostra nil commemorent præter hæc verba : Obiit devotæ memoriæ Domnus Joannes, primus Prior hujus Domus. »

*Parochiales ecclesiæ tres Domui uniuntur.*

V. Lausannensis Episcopus, anno præsenti, cartusiæ Sancti Loci de Lancea in Helvetiis quasdam largitus est Indulgentias, uti sequens Instrumentum edocet : « Aymo de Cosso-

INDULGENTIÆ CONCEDUNTUR DOMUI DE LANCEA.

ANNUS
1350

nay, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Lausannensis, dilectis nobis in Christo Fratribus tam præsentibus quam futuris Domus Sancti Loci de Lancea, Ordinis Cartusiensis, nostræ Lausannensis diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Ut vestræ devotionis fructus divinis nutriatur incrementis, in vestræ salutis augmentum concedimus in perpetuum, quantum cum Deo possumus, ut quotiescumque contigerit Missam de Virgine gloriosa ibidem celebrare, aut verbum Dei prædicare, seu lectionem de Sacra Scriptura vel de Regula Ordinis inter vos quasi loco sermonis tractare, omnibus præsentibus ibidem vere pœnitentibus et confessis quadraginta dies Indulgentiæ cum aliis Indulgentiis et remissionibus quas dare et concedere in consimilibus casibus consuevimus, quot et in quantum valemus, damus et concedimus cum affectu et effectu de gratia speciali. Et ipsi pro nobis orare teneantur in vita pariter et in morte. Datum Adventici, sub sigillo nostro in testimonium veritatis, die vigesima secunda mensis Martii, anno Domini 1350. »

*Pro Statutorum Ordinis lectione.*

CARTUSIÆ MOGUNTINÆ TEMPLUM DEDICATUR.

VI. Feria secunda post octavas Paschæ hujus anni, Moguntinæ cartusiæ templum, beneficiis Joannis archigrammatei Bingensis extructum, solemni ritu consecratur. Fidem faciunt quas apponimus tabulæ : « Frater Albertus de Bichelingen, Dei gratia Ippusensis Ecclesiæ episcopus, Vicarius in Pontificalibus Reverendi Domini, Domini nostri Gerlaci archiepiscopi Moguntini, universis quibus præsentes exhibitæ fuerint, cupimus fore notum quod sub anno Domini 1350, feria tertia infra Octavas Paschæ, divina nobis assistente Clementia, ecclesiam Fratrum cartusiæ extra muros Moguntinos, in honorem Sanctæ et individuæ Trinitatis, beatorum Joannis Baptistæ, Michaelis archangeli et omnium Angelorum, cum capella Sacristiæ et altari ejusdem in honorem beatorum Martini, Hugonis, Nicolai et omnium sanctorum Confessorum, necnon capellam cum altari in Capitulo dictorum Fratrum in honorem sanctorum Joannis evangelistæ, Andreæ et omnium Apostolorum, cum duobus altaribus in choro Conversorum ecclesiæ Fratrum prædictorum,

Apud Serrarium. Rerum Moguntinens. II.

*Similiter capellarum altaria.*

unum videlicet gloriosæ Virginis Mariæ, beatæ Catharinæ et omnium sanctarum Virginum, reliquum vero in honorem S. Crucis, et omnium sanctorum Martyrum consecravimus per manuum nostrarum impositionem, secundum formam sanctæ matris Ecclesiæ, adhibitis solemnitatibus debitis adhibendis. Propterea universis Christi fidelibus divinæ propitiationis meritum viis et modis salutiferis augere in Domino devote cupientes, omnibus igitur confessis et contritis, qui dictis Fratribus pro conventu vel fabrica, ecclesiæ luminaribus vel aliis ornamentis ecclesiasticis manus suas porrexerint adjutrices, vel qui causa peregrinationis in festivitatibus, videlicet Nativitatis Christi, Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi, gloriosæque Virginis Mariæ, necnon patronorum prædictorum, et in dedicatione ecclesiæ prænotatæ ipsam ecclesiam accesserint, ibidemque cum cordis contritione tria *Pater noster,* et tria *Ave Maria* in laudem et gloriam omnipotentis Dei et gloriosæ Virginis Mariæ ac omnium Sanctorum devote oraverint; de ipsius Dei misericordia beatorumque Petri et Pauli Apostolorum gratia et meritis confisi, autoritate nostra qua fungimur, quadraginta dies Indulgentiarum cum una carena* in Domino misericorditer relaxamus. Insuper dedicationem prædictorum ecclesiæ, capellarum et altarium futuris perpetuis temporibus in antea, in Dominica qua cantatur *Misericordias Domini,* præsentibus statuimus solemniter secundum Sanctæ Matris ecclesiæ institutionem celebrandam. Datum anno Domini 1350, feria secunda post Dominicam *Quasi modo geniti.* »

ANNUS 1350

* idem ac quadragena.

DECRETA CAPITULI.

VII. Ex hujus anni Ordinationibus, hæ præ cæteris in Charta sequuntur : 1. « Cum Dominus noster Papa nunc prohibuerit ne ullæ personæ nostri Ordinis, vel cujuslibet alterius, audeat Romam accedere in Jubilæo proxime sequenti sine licentia Majorum suorum speciali, et quilibet indifferenter postulare licentiam debeat : ideo pro communi bono omnium, districte omnibus licentiam denegamus et dari per Priores penitus prohibemus ; quum nobis sufficere valeat quod Indulgentiæ in articulo mortis nobis sint con-

ANNUS 1350

cessæ. . . » Ex quo aperte declaratur quanti faciebant Patres nostri solitudinis cultum et cellæ custodiam ; etenim, nequidem ad Indulgentias magni Jubilæi lucrandas, fines nostros exire sinebant.

2. « Conceditur omnibus Domibus Ordinis propter pestem mortalitatis quod, usque ad proximum Capitulum generale, possint famulos, familiares et domesticos, si elegerint, in eorum cimeteriis sepelire ; et etiam duodecim personas sepelire, etiam si sint mulieres honestæ, si apud Nos elegerint sepulturam. »

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1351.

| Clementis PP. VI | Ordin. Cartus. | Joann. Birelli Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 10. | Ann. 268. | Ann. 6. |

I. ANNUS millesimus trecentesimus quinquagesimus primus, Indictione quarta, incipit, quo Gratianopolitanus antistes, Rodulphus de Chissiaco (quem Episcopum consecraverat Humbertus dalphinus, et ipse episcopali caractere jam insignitus tituloque Patriarchæ Alexandrini decoratus), reditus quos Major Cartusia in Meolano possidebat, confirmavit, prædecessorum suorum exempla secutus : etenim die sexta mensis Aprilis, anni 1322, Guillelmus de Sassenatico, episcopus Gratianopolitanus, considerans quod Religiosi Cartusiæ haberent « a tam antiquis temporibus quod in contrarium memoria hominum non existit, et largitionibus et eleemosynis antecessorum suorum Gratianopolitanorum Episcoporum... triginta duo sestaria frumenti et triginta duo sestaria vini puri in ecclesia de Meolano... ne circa prædicta e lapsu temporis diuturno, dictorum Religiosorum Cartusiæ sancta simplicitas in jure suo sustinere possit imposterum aliquod detrimentum, » approbaverat, ratificaverat, confirmaverat... et cætera. Idem præstiterat Guillelmi successor Joannes de Chissiaco, feria quarta ante festum Assumptionis B. Mariæ Virginis 1338, hac tamen adjecta clausula : « Verum quia tempore nostræ consecrationis juraremus, sine Sedis Apostolicæ licentia, de bonis et juribus ecclesiæ nostræ nihil alienare, nec de jure possumus : intentionis nostræ existit ut de

REDITUS CARTUSIÆ IN MEOLANO CONFIRMANTUR.

ANNUS
1351

novo nullum jus eis ad præmissa tribuamus, ne contra juramentum prædictum in aliquo faciamus. » Iterum eadem, ut supra notavimus, confirmavit Rodulphus Chissiacus, die octava decima mensis Augusti hujus anni 1351.« Nos, inquit, Rodulphus, permissione divina episcopus Gratianopolitanus, omnibus notum facimus per præsentes quod cum Religiosi Domus Cartusiæ Majoris peterent a nobis et nostris sibi deliberari decem sestaria frumenti ad mensuram Montismeliani, aptata et mensurata sic velut si essent deliberanda emptori, secundum cursum fori dicti loci, super decimis nostris de Francins; ac triginta duo sestaria boni frumenti et totidem vini puri super nostris decimis Meolani quæ consueverunt percipere ab antiquo annuatim in dictis locis super ipsis decimis nostris, sicut quædam alia super Capitulum nostræ ecclesiæ cathedralis, tam ex donatione nostrorum Prædecessorum quam ipsius Capituli fundatoribus dictæ Domus; et nos, in nostra novitate, super præmissis vellemus pro securitate nostræ conscientiæ informari : tandem ex parte dictorum Religiosorum, de jure ipsorum perpetuo et annuali ac possessione debita eorum percipiendi super ipsis decimis prælibata sufficienter fuimus informati. Unde volentes agnoscere bonam fidem ne, quæ pia largitione prædictorum concessa et data fuerunt eisdem Religiosis, imposterum enerventur vel in sua possessione antiqua super perceptione præmissorum quomodolibet perturbentur ; ea recognoscimus esse vera, et ea valere perpetuo volumus et tenere, ac contra prædicta vel aliquod horum numquam de cætero facere vel venire promittimus pro nobis et nostris, bona fide, tacite vel expresse, propter quod possint aliqualiter impediri quominus præmissa valeant annuatim perpetuo percipere libere et quiete ; mandantes pro nobis et nostris tenore præsentium Collectoribus ipsarum decimarum nostrarum Meolani et de Francins, accensatoribusque ipsarum cujuslibet universis et singulis, modernis et futuris, præcipientes cuilibet ipsorum modo quo possumus fortiori quatenus ipsis Religiosis seu eorum nuntiis deliberent ac permit-

Ex primo Cartular., fol. XCIII.

tant percipere, de primis fructibus quæ levaverint annuatim de præmissis nostris decimis, frumentum et vinum prædictum libere et integre, perpetuo, nullo mandato alio expectato. Datum in robur perpetuum et testimonium hujus rei sub sigillo nostro, apud sanctum Hilarium. »

ANNUS 1351

CLUNIACENSIS ABBAS FIT CARTUSIANUS.

II. Reverendissimus Pater Hugo Fabri, præstantissimi Cluniacensis monasterii Abbas, hoc anno, infulis abdicatis, pauperem et humilem Cartusianorum vitam in parvula Vallis S. Mariæ Domo apud Bouvantium, professus est. De eo fit mentio in *Bibliotheca Cluniacensi,* his verbis : « Hugo Fabri, origine Tutelensis, aiunt Sammarthani, Prior Vallis Aurelianensis diœcesis Ruthenensis, Abbas trigesimus septimus, regere incœpit anno 1347. Rexit annis quatuor et resignavit Abbatiam in manu Domini nostri Papæ, deinde factus est Cartusiensis, in quo Ordine vixit 18 annis. Obiit II Kalendas Augusti. Jacet in Prioratu Vallis S. Mariæ Ordinis Cartusiensis. Iste Hugo Fabri, Doctor decretorum, hanc ecclesiam Cluniacensem rexit in magna pace et tranquillitate et totum Ordinem. Et cum resignavit Abbatiam Cluniacensem reliquit magnam pecuniarum summam suo Abbati successori, quæ sibi debebatur in Ordine Cluniacensi, ad finem ut ecclesia per dicta debita prosperaretur. » Hactenus Bibliotheca Cluniacensis. Ingressus est autem Ordinem nostrum circa finem anni 1351 et in Charta Capituli nostri generalis anni 1352 preces pro eo per totum Ordinem injunguntur his verbis : « Pro Domino Hugone quondam abbate Cluniacensi dicat quilibet unam Litaniam. » Et in Charta cartusiæ Portæ Cœli ejusdem anni legitur : « Quælibet persona Ordinis dicat unam Litaniam pro Venerabili fratre nostro D. Hugone, monacho Vallis S. Mariæ, quondam Abbate Cluniacensi. » Et anno sequenti, videlicet 1353, in Charta præfatæ Domus Portæ Cœli legitur : « Pro Domino Hugone quondam abbate Cluniacensi quod Deus det sibi bonam consolationem in Ordine, dicatur una Missa de Spiritu Sancto. » Tandem cum vigiliis et inediæ ad miraculum addictus Hugo floruisset in Ordine, spiritum Deo reddidit anno 1365 pridie Kalendas

Fol. 1672.

Gallia Christ. IV. col. 1152.

ANNUS 1351

PETRARCHÆ EPISTOLA AD J. BIRELLUM.

Augusti. Cujus obitus signatus fuit in Charta anni 1366.

III. Dum Petrarcha apud Nostros Mediolanenses hospitabatur, præclaram illam ad R. Patrem Joannem Birellum scripsit epistolam quam fere integram subjicimus :

« Franciscus Petrarcha Joanni Priori Cartusiæ, salutem. Ut pro se Deum oret. Ita te ego stupens et venerabundus alloquor, religiosissime Vir, quasi alloquar in te Christum, qui hospes beatificus tuum procul dubio pectus inhabitat : anima enim justi sedes est Dei. Illius est donum, quod inter homines peccatores quibus orbis abundat, Angeli vitam et angelicam famam habens, per densissimas tenebras sæculi nostri novum mundo sidus effulgens, et e Cartusiæ sublimi specula, velut ex Orientalis jugi vertice, lucifer matutinus irradias. Quid autem prius dicam, quam quod prius occurrit ? Me miserum, te felicem ! Ego enim, ut Virgilii utar verbo :

Multum terris jactatus et alto....

quotidie gravibus humanorum fluctuum procellis exerceor, tu (quod ait Terentius) jam in portu navigas ; ego inter spinas et avia vitæ hujus anxius et jam fessus oberro, tu tranquillus in limine Cœli sedes et in vestibulo Paradisi ; mihi semper ante oculos timor mortis, tibi autem vitæ spes et infallibilis arrha versatur. Quod denique primum precer, nisi quod primum cupio et quod magis indigeo, ut pro me misero apud Christum Dominum intercedas, apud quem te plurimum posse confido. Si forte qui nunc errans in solitudine inaquosa, viam non invenio, esuriens et sitiens, in dies deficiente anima, ad Dominum clamans, de necessitatibus meis eripiar, et meritis tuis adjutus, Christo duce deducar in viam rectam, ac supernis civibus ascriptus civitatem habitationis ingrediar : vel si forte primam illam tentationem ignorantiæ supergressus sum... In his tentationum contrariis ventis, ac fluctibus, vitæque tempestatibus, tuarum mihi precor orationum largiri præsidium, communem Dominum, dum ad mensam ejus et convivia sacer accesseris, precare : adsit mihi erranti fatigatoque ne corruam ; inserat in anima sterili, lacrymis riganda

*Ejus quieti invidet.*

et fæcundanda salubribus, sui amorem, sæculi contemptum, odium voluptatum, studium virtutum, veram pietatem, sanctam religionem, indubitatam fidem, lætam spem, charitatem fervidam, solidam castitatem, dignum cultum sui Nominis : opera carnis, susurros dæmonum, infelicis animæ consensum, præteritarum reliquias passionum et pessimam consuetudinem (qua junctus ad mortem rapior) radicitus extirpet. Faciat peregrinationem meam sibi placitam, gressusque vagos dirigat in viam salutis æternæ, dignetur mihi indigno in die exitus mei et in illa suprema hora mortis assistere, neque reminiscatur iniquitatum mearum, sed egredientem ex hoc corpusculo spiritum placatus excipiat. Non intret in judicium cum servo suo, contumacissimo licet atque miserrimo, misericordiæ fons misericorditer mecum agat, causæ meæ faveat et deformitates meas contegat, in die novissimo denique ne patiatur hanc animam, opus manuum suarum, ad superbum sui et nostri hostis imperium pervenire aut prædam fieri spiritibus immundis, et famelicis canibus esse ludibrio. Ecce petitæ orationis formam tibi præscripsi, variare illam tamen non prohibeo. Quid enim animæ meæ expediat tibi notius arbitror quam mihi, sed hæc sunt fere quæ in dies singulos precari soleo ; invalidas autem preces meas et criminibus meis pressas, tuis ut precibus juves, precor. Crudelitas est negare opem supplici, quam sine cujuscumque injuria et sine tua possis difficultate præstare. Hæc profecto sunt munera, multum gemmis et auro cariora, quæ egenus et pauper ego, ex te in Christo ditissime ac felicissime Vir, expecto. Et unde tibi ista fiducia, dicat aliquis fortasse, de homine umquam viso ? Spes hæc fateor, non de meritis meis venit, sed de amore durissimo, quo te, Pastor optime, innocuumque gregem tuum prosequor in Christo Jesu (si tamen non magni meriti pius est amor) venit, et devotissima sanctitatis tuæ fama, quæ te mihi facilem aditu atque exorabilem pollicetur. Neque piæ spei obstat, te his oculis non vidisse ; amantur sæpe vehementius quæ non videntur ; neque enim sine causa scriptum est : Nolite diligere quæ vi-

*Suis se commendat precibus,*

ANNUS 1351

dentur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna. Video ego te quantuscumque peccator, et quantumlibet dissimilis tibi, et video te in Illo qui utrumque nostrum videt intrinsecus, in quo et omnia eodem ipso largiente videbimus; et multos etiam nunc videmus, qui mille annis, antequam nasceremur, obierant; video te in fervore spiritus, qui gelidus licet ad reliqua, in tui nominis memoria recalescit, et quamquam melioribus oculis ac certiore luce te videam, opto tamen te his etiam mortalibus oculis intueri atque his auribus audire, quamvis et exemplis tuis et ex narratione multorum sæpe te audiam, ut qui famæ publicæ de te multa crediderim, opto, quamvis te assidue animæ meæ brachiis desiderioque complectar, opto inutili et peccatrice manu hac si detur aliquando contingere sacratissimam illam dicatamque Deo dexteram tanti Viri ; quamvis eam jugi teneam affectu et magna mentis intentione constringam : nempe notior es mihi quam putas, in alto enim stas lateque conspiceris; multis quos ipse non noscis te notissimum virtus facit. Accedit pretiosum mihi quidem et prædulce pignus creditum tuæ custodiæ, pignus inquam germani mei unici, Christo sub te tuisque, ut ita dixerim, auspiciis militantis. Illum ego, quem secundum nec habeo nec spero, illum quo mihi et cunctis naturæ fortunæque muneribus nihil est carius, tibi quoque familiariter ac filialiter carum scio, quem mihi ablatum, ut Christi tuique fieret, æquanimiter fero, et solitudinem meam fraternæ salutis spe et meditatione consolor; imo vero et gaudeo et glorior talem mihi contigisse germanum, quem mihi mundoque subtractum, ultro tu in filium tibi, in servum sibi Christus assumeret. Ista sunt igitur quæ mihi apud humanitatem tuam plurimum fiduciæ subministrant; proinde quo erga te ac commilitones tuos sacræ militiæ Christi servos animo sim, ex Priore Mediolanensis cartusiæ cognosces, qui tibi manu sua meas litteras, lingua autem meum spiritum præsentabit. Vale. Ex Mediolanensi cartusia ubi nunc habito, VII Cal. Maii. »

*illumque videre desiderat*

IV. In Comitiis generalibus præsentis anni Ordini Cartusiensi aggregatur Domus Cellæ Salutis in Tuckelhausen, tribus ab Herbipoli milliaribus distans, juxta fluvium Mænum sita, in loco ubi jam ab anno 1120 vel circiter, sanctus præsul Bambergensis Otho a fundamentis extruxerat quoddam (nescio cujus Congregationis) monasterium, Fons salutis dictum ; hujus Domus primo abbate Walthero, et qui ei successit Eckberto defunctis, cœnobium Fratribus Ordinis Præmonstratensis, dein, circa finem sæculi XIII, ejusdem Ordinis Sororibus fuit adsignatum ; postremo, hoc anno (1351) Domus Fontis salutis (dein : Cella salutis) ad Cartusianos devoluta est, opera nimirum reverendi et prænobilis viri, domini Eberhardi de Rider, cathedralis ecclesiæ Herbipolensis decani.

ANNUS 1351

DOMUS IN TUCKELHAUSEN INCORPORATUR.

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1352.

| Clementis PP. VI Ann. 11. | Ordin. Cartus. Ann. 269. | Joann. Birelli Pr. Cart. Ann. 7. |
|---|---|---|

CLEMENTIS PAPÆ VI OBITUS.

I. MILLESIMUS trecentesimus quinquagesimus secundus Salvatoris surgit annus, cum Indictione quinta, sub cujus finem, nimirum octavo Idus Decembris, Clemens Pontifex Maximus diem clausit extremum Avenione in palatio Apostolico. Corpus portatum fuit in ecclesiam B. Mariæ Virginis cathedralem, ubi stetit usque ad æstatem ; deinde asportatum in monasterium Casæ Dei ubi pridem fuit Monachus, quinque Cardinalibus comitantibus, atque in capella ab ipso constructa compositum et tumulatum.

HABET BIRELLUS ALIQUOT SUFFRAGIA AD PONTIFICATUM.

II. Demortuo Clemente, ad successoris electionem deventum est : tumque accidit ut major pars Cardinalium in Priorem Majoris Cartusiæ D. Joannem Birellum sua vota conferret. Totum porro hoc negotium sic describit autor Chronici Priorum Majoris Cartusiæ : « Cum Clemens Papa viam universæ carnis fuisset ingressus, *major* pars Cardinalium Birellum in Summum Pontificem eligere disponebat. Videns autem Cardinalis Petragoricensis, ejusdem electionem ad effectum velle perduci (cum sciret dictum Priorem summæ esse justitiæ et æquitatis, nec ullum mundi hominem contra justitiam vereri) ; surgens in medio Collegii, ait : Domini Cardinales, vos quod facitis ignoratis ; sciatis Priorem

*Verba Cardinalis Petragoricensis.*

Cartusiæ tantæ fore justitiæ rigorisque et æquitatis, quod si in Papam ipsum eligimus, pro certo ad statum nos reducet antiquum, equique nostri infra quatuor menses quadrigas

conducent. Non enim cujusquam reveretur personam, quia Ecclesiam Dei zelans, ut leo confidit. » Hæc Talleyrandus, ut fertur; quæ quidem minus probabilia videntur iis qui noverint quanti faceret nostrum Birellum : facile vero crederem ad ipsius Birelli (qui tale abhorrebat onus) preces instantissimas, Cardinalem obtendisse in eo nimiam rusticitatem, qua, licet aliunde multis et magnis ornatus virtutibus, tanto ministerio nec par esset nec accommodatus. Verumenimvero ille, cujus caput Pontificia redimitur corona, non modo Summus est Sacerdos sed etiam et Rex. Ad gubernandam universalem Dei Ecclesiam sola vitæ sanctitas sufficere nequit, uti luce clarius exemplo sancti Cœlestini V comprobatur.

*Eorum genuinus sensus*

Paulo aliter sentit Bohicius noster dum dicit : « Nequaquam æstimandum est, hæc illum Talleyrandum odio vel invidia in Priorem Cartusiæ, quin potius magno discretionis moderamine esse prolocutum : bene siquidem ipsum erga dictum Priorem fuisse affectum, ex sequentibus perspicuum reddetur. Ut autem vulgo dicitur : Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes ; sic etiam timuit dictus Cardinalis ne postquam Joannes Birellus in Sede Pontificia stabilitus esset, nimio forte in subditorum sibi, maximeque Ecclesiasticorum culpas zelo æstuaret ; ac tum demum Cardinales ipsos factæ electionis pœniteret, uti postmodum accidit sub Urbano VI. »

ad annum 1350, III.

Tunc autem dicti Cardinales sermonibus Talleyrandi territi, vel moniti, Joanne Birello neglecto, Dominum Innocentium Papam sextum in beati Petri Cathedram sublimarunt, de quo hæc apud Bollandistas : « Innocentius sextus, Stephanus Alberti nomine, natione Lemovicensis, de villa *Beyssac* et castro de Montibus. Hic primo Procurator et Judex postea fuit, necnon doctoratus in Jure Canonico, postmodum clericus et episcopus Claromontanus; deinde episcopus Cardinalis Ostiensis et Veliternus et Major Pœnitentiarius a Clemente sexto factus. Electus est in Papam per viginti quatuor Cardinales, Avenione, anno 1352, die Martis XVIII Decembris, hora Tertiarum, et coronatus ibidem die penultima dicti mensis, in Apostolico palatio. » Is Pontifex tandem factus,

*Innocentius VI creatur.*

Acta Sanctor. Propyleum Maii, II. P. fol. 89.

ANNUS 1352

*Recusat Birellus Cardinalatum.*

nisus est J. Birellum, Confratrum suorum annumerare Collegio ; sed hic sua humilitate sublimis, non foris sed intus crescere appetens, totis se viribus objiciens, nullatenus acquievit.

SCRIBIT EPISTOLAS AD PRÆLATOS ET MAGNATES.

Chronic.Lib. IV. cap. XXII.

III. « Iste Joannes sanctus, ait Dorlandus, cum potens esset in opere et sermone, staretque omnium judicio in ipsa cunctarum virtutum arce, omnes illum tanquam cœli luciferum respectabant. Scribebat Papæ, scribebat et Cardinalibus, Regibus, Ducibus, sæculi Potestatibus, epistolas graves, fortes, terribiles, quibus et Ecclesiæ statum in melius reformabat, et prava atque impia Principum opera arguebat. Cujus equidem literas ita omnes habebant, quasi divinas voces missas e cœlo. » Birellum Pontius, Decretorum Doctor egregius (quem et Urbanus VI, ob merita et miracula ejus, postea voluit Catalogo Sanctorum adscribere), annis singulis invisebat ut suus apud illum spiritus a Curiæ tumultibus solaretur. Cui confessionem faciens, cordis sui secreta pandebat, opem, auxilium, solatium reportans. Hic vir Dei Pontius, etsi esset in omni scientiarum genere famosissimus, hunc tamen Patrem nostrum Birellum, tanta apud se autoritate servabat, ut inter disputandum, etiam in præsentia Domini Papæ ac summorum Clericorum, sententias ejus ad dictorum suorum confirmationem, ut autoritate plenissimas subinferret.

*Pontius, vir sanctus, quotannis Birellum invisit.*

ERASMUS DE WIRTEN, COLONIENSIS MONACHUS, MORITUR.

Theatr. Vitæ humanæ, fol. 1110.

IV. Obiit hoc anno Erasmus de Wirten de quo hæc apud Beyerlinck reperimus : « Erasmus de Wirten, inter illustres Germaniæ Comites vere fuit illustris : quippe multo gloriosius suam illustravit familiam, quod ex Primariæ ædis Coloniensis Canonico pauperculus Cartusianus sit effectus, quam si mundano inhærens statui, sæculo diutius servivisset. Vixit vero in cartusia Coloniensi, partim in cella, partim in Prioratus officio annos circiter sex et viginti, obiitque non sine insigni vitæ sanctimonia anno 1352. » Mortua etiam hoc anno recensetur Joanna ducissa, uxor Alberti ducis Austriæ, de qua in actis Capituli generalis ejusdem anni : « Obiit inclyta ducissa, domina Joanna conthoralis illustris Principis domini nostri, domini Alberti ducis Austriæ, fundatoris Throni Beatæ Mariæ, ubi duplex habetur Conventus. » Hæc, Charta.

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1353.

| Clementis PP. VI | Ordin. Cartus. | Joann. Birelli Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 1. | Ann. 270. | Ann. 8. |

DOMUS JANUÆ PARADISI FUNDATIO CONFIRMATUR.

Ex Cartular. Dom. S. Martini supra Neapolim.

I. ANNO Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, Ludovicus de Duratio, filius Joannæ Duratii ducissæ, cartusiæ Januæ Paradisi fundatricis, omnia a matre concessa privilegia his codicillis confirmat : « Ludovicus de Duratio, universis præsentem Literam inspecturis, necnon Vicariis Tarantiæ, Guillionisi et cæterarum aliarum terrarum nostrarum et spectabilis domini Roberti ducis Duratii carissimi filii nostri, tam præsentibus quam futuris, familiaribus et vassallis nostris, salutem et dilectionem sinceram. In laudabilibus actis progenitorum nostrorum vestigia, libenti animo, probanda imitatione persequimur ; sed illa ex mentis affectu promptius imitamur, quibus reverentiæ divinæ faventer prospicitur, et Religionis cultui privilegialiter providetur. Sane præsentes noviter coram nobis Religiosi viri Fratres Januæ Paradisi, monasterii Cartusiensis olim constructi et fundati per beatæ memoriæ Dominam genitricem nostram in terra Guillionisi, devoti oratores nostri exposuerunt, quod privilegia originalia dicto monasterio indulta per prædictam Dominam matrem nostram tempore tiranniæ et dominii Corradi Lupi, una cum pluribus bonis et rebus eorum, perdidisse queruntur. Verum quia quædam copia unius ex dictis privilegiis suprascripti tenoris in dicto monasterio reperta apparet, supplicarunt humiliter ut tenorem dicti pri-

ANNUS 1353

vilegii roborare et confirmare, ut expedit, nostro sigillo pro cautela eorum, et ne prædicti monasterii bona fraudibus occupentur, dictumque monasterium subscriptis immunitatibus et gratiis indultis ei per dictam Dominam matrem nostram privetur, misericorditer dignaremur. Tenor dictæ copiæ: Agnes ducissa Duratii et comitissa Gravinæ, Reverendis..... etc*. » Deinde sequitur : « Nos igitur attendentes quod dicta Domina nostra mater dictum monasterium fundavit et dotavit præscriptis, et majoribus gratiis et immutatibus fulciri illum voluisset, ut ibidem degentes vivere commode possent ; nec præmissa privilegia a juris tramite discordare videntes.... præmissa omnia et singula, tam in prescripta copia contenta, quam subsequentia coram nobis posita, ratificamus, acceptamus et confirmamus; jubentes tam Priorem et Fratres, eorumque ministros, famulos et Oblatos gaudere prædictis gratiis, immunitatibus et favoribus, nec permittatis vexari ac molestari, per bajulos, credentiarios, cebullarios, etc. In cujus rei memoriam, hanc nostram literam fieri jussimus, et pendenti nostro sigillo muniri. Datum Guillionisi, anno Domini 1353, die decima octava Septembris, septimæ Indictionis. »

* Vide annum 1338.

PETRARCHÆ EPISTOLA AD PATRES MONTIS RIVII.

II. Franciscus Petrarcha in Vallis Clusæ solitudinem regressus, inde ad Patres Montis Rivii, hoc anno, misit epistolam in qua abunde testatur quid inter eos spiritalis consolationis hauserit : « Dignum erat, o felix Christi familia, inquit, et eo temporis spatio quo vobiscum fui, ut aliquid ipse loquerer, quod vestræ fidei mea devotio commendaret, et communis amor Domini. Sed, ut vidistis, breve tempus ad explicandum gravidum curis animum fuit, et ut omnis dulcedo vitæ hujus vento fugacior esse solet, veni insimul atque abii; utique in longinqua valde materia verbo Cæsareo uti possim : Veni, vidi, vici. Siquidem nihil est aliud vincere quam voti compotem fieri : victor est enim voti compos; vici ergo quod votis optabam consecutus. Veni ergo in Paradisum, vidi Angelos Dei in terra et in terrenis corporibus habitantes, suo tempore habitaturos in cœlis, et ad Christum

qui militant, exacto præsentis exilii labore, venturos. Qui nisi vos priusquam formaret in utero, novisset et sanctificasset et prædestinasset in numerum electorum, nequaquam hoc vobis rectum et compendiosum iter, et a mundi devio semotissimum ostendisset. Sed ne quid hic plenum sperem, sancto illi gaudio, quod ex vestra conversatione percepi, sola brevitas adversata est, vix verendos vultus aspicere contigit. Numquam mihi brevior lux, numquam velocior nox fuit. Dum religiosissimam illam eremum templumque contemplor, dum devotum silentium et angelicam psalmodiam stupeo, dum vos hinc omnes, hinc singulos miror; et humani more animi atque amici colloquiis acquiesco, non sentienti mihi totum illud exiguum tempus effluxit, verba nectendi colligandique animum facultas defuit. Unum quoque continuum obsequium et charitas, non illa communis quam in Christo cunctis hospitibus exhibetis, sed singularis quidem atque præfervida, me sollicitum habebat ne mea longior mora divinis laudibus vestroque proposito forsan officeret, et festinare abitum monebant. Insuper et confabulationes cum singulis jucundæ et breves, quibus huc illuc, sed semper in idipsum sacra et sobria voluptate rapiebar, cursum continuæ orationis arcebant, oblivione omnium injecta, nisi eorum quæ vicissim ex ore nunc hujus, nunc illius, velut e totidem cœlestibus oraculis erumpebant. Quid multa ? ita mihi accidit, ut intentus inhiansque omnibus, cunctaque circumspiciens, multa sparsim audiens ac loquens continuum nihil, pæne tacitus abierim, comitantibus quidem vobis, quantum arctissimæ religionis fræna laxare licuit : novissime abeuntem, oculis et quod de vestra dilectione mihi spondeo, votis, ac multa ad cœlum prece præsequentibus; ut qui unum illic germanum quærerem, multos invenerim. Nunc tandem in solitudinem propriam regressus, et totius sacræ dulcedinis memor quam ceu apis dominica flosculis insidens hausi, eam nunc ipse mecum in abscondito ruminans, multa reperio quæ mihi per breves dies in longum profuturum tribuerint. Proinde quod a me tunc ibi tumultuarie præter-

*Quæ ibi vidit vel audivit laudat.*

ANNUS 1353

missum memini, hic modo supplere proposui et scribendo agere quod viva voce non potui : si modo mea vox viva est, peccatoris hominis, fessi, inscii, occupati. Utcumque ante linguæ debitum dignus persolvet, nescio an gratis, sed certe durabilius. Quamvis enim gravia verba prætervolant, levia etiam scripta manent. Scribam ergo, etsi vestra non intersit id ex me seu novum aliquid audire, unde jam putem radicatum vobis habitum comparastis ; mea interest semper, si fieri possit, talia loqui, si forte loquentem ipse me audiam exaudiamque. Neque qui communis prædicantium est morbus, loquax simul et surdus sim, ita vero moderabor stylum, ut qui ad præsentes sermo mihi sit, ad absentes Epistola, quamvis, ut quod est fatear, majore et meliore mei parte sim præsens. »

CARTUSIA DE MONTELLO FUNDATUR.

III. In Charta hujus anni inter mortuos denunciatur Hildebrandinus Conti, Patavinus episcopus (obiit die secunda Novembris 1362), Nostrorum amantissimus et Birello familiarissimus ; qui sua autoritate obtinuit ut Ordini incorporaretur Domus de Montello, diœcesis Tarvisinæ, tribus milliaribus a Collatto distans, ubi jam ab annis triginta aliquot vixerant eremitæ. Rem fuse et perpulchre narrat hujus cartusiæ manuscriptum Chronicon a nostro Antonio de Macis exaratum, ex quo plura ante lectorum oculos proponemus ; sed ad pleniorem sequentium intelligentiam, prius paucis enarrare juvabit quinam ante Cartusianos hanc Montellanam eremum incoluerint. Anno igitur 1320, Joannes de Fassa, vir simplex valde ac timens Deum, tenuis in scientia sed dives in sapientia, pauperem quidem gerens vitam in sæculo, cupiens ditari in regno cœlesti, monente beatissima Virgine Maria, civitatem Venetiarum (quam ut hospes habitabat) linquens, ad Vallem Trium Fontium sibi divinitus præmonstratam, concesserat : ibique solus soli Deo victurus sub quadam rupe habitabat. Accidit autem ut Joannottus quidam, natione Lucanus, qui sub habitu eremicolæ Venetiis morabatur, ad Joannem, ut cum duobus discipulis sui socius fieret, veniret; abnuit ille, malens secum habitare sim-

Ex Chronico Montellano ms. passim.

*Locum inhabitat Joannes de Fassa eremita,*

pliciter, quam multiplicatis undique discipulis primus esse. Tunc Joannottus et ejus sodales extra Vallem mansiunculas parvulas fabricaverunt et eas habitare cœperunt. Joannes autem solus cum Deo vivere cupiens, Fratribus qui penes eum aderant valedixit, navim ascendit et ad quamdam insulam in partibus Orientis pervenit, ubi ab Infidelibus necatus, pro Christo martyr occubuit.

ANNUS 1353

*dein Joannottus cum quibusdam sociis.*

Fratres autem qui remanserant, licet ex recessu viri præfati plurimum fuerint contristati, non tamen destiterunt ab incœpto jam opere, sed proficiebant (juvante Domino) per manus multorum maxime Venetorum. Multiplicati denique numero, ædificaverunt quamdam ecclesiam atque cellulas ad instar monasterii; omnia tamen de lignaminibus, luto et paleis, more Fratricellorum : placebantque adventantibus devotissima opera prædictorum. Ast invidia diaboli hoc opus tam pium uno momento destruxit : cum etenim quadam die clibanus calefieret pro coctione panis, subito flamma vorax ingrediens monasterium, penitus omnia redegit in pulverem ; sicque lætitia Fratrum versa est in mœstitiam, qua absorpti, locum desolatum cum lacrymis relinquentes, ab invicem recesserunt, exceptis Joannotto et Vendramino qui patientissime remanserunt. Tunc abiit Joannottus Tarvisinum, procuraturus impensas, et multos nactus est benefactores, quos inter primus est Joannes Riccius, Rector ecclesiæ S. Agnetis in suburbanis Tarvisinis..... Anno igitur 1340, ad honorem Dei, beatæ Virginis Mariæ gloriosissimique Hieronymi, hujus novi monasterii fundata est basilica, more Camaldulensium, ad instar ecclesiæ S. Matthæi de Muriano ejusdem Ordinis, cui frater Joannottus hanc suam ecclesiam tradere volebat. Cumque, anno 1345, jam prope esset ut ecclesiæ parietes, Deo dante, compleri deberent, perrexit Joannottus ad Fratres S. Matthæi prædictos ut arcanum sui pectoris exponeret coram Priore dicti loci ; a quo susceptus dulciter suam aperuit propositionem et ille annuit petitionibus postulantis, promittens firmiter se missurum e Fratribus ad ibi manendum.

*Ecclesia ædificatur,*

*et tradenda promittitur Camaldulensibus,*

ANNUS 1353

Cap. IX.

IV. « Verum in tempore illo, ait Chronicon, quod nunc de verbo ad verbum transumimus, magna pestis grassabatur in populis universi Orbis; non quidem uno tempore universaliter, sed nunc istam, nunc illam Provinciam vel civitatem vastando, quæ usque hodie *Magna Mortalitas* nuncupatur propter excessum. Accidit interim, ut inclytam Venetiarum urbem quoque invaderet, propinqua sive loca, unde maximam populi partem utriusque sexus destruxit. Cumque frater Joannottus, quæ necessaria esse videbantur præparasset, reversus est illico ad memoratum Priorem S. Matthæi, postulans sibi concedi Fratres jam promissos. Cui Prior mœstissimus lacrymabiliter dixit : Quæ promisi jam reddere nequeo, quoniam, ut ipsemet cernis, omnes morimur, et loca plurima possidemus, quæ cultoribus indigent. Oppido rogo te, patienter ferto excusationem meam, quia nemo jure cogi potest ultra vires. His auditis et probabiliter visis, non mediocri est mœstitia contristatus, videns se a tali desiderio fraudatum : regressus ad propria, quos prius lætificaverat gratulabunda promissione, nunc magna prostravit mœstitia ex causa jam dicta. Interea Joannottus instabat precibus apud memoratum presbyterum pro ecclesiæ complemento, et ille se frustratus omnino credens desiderio suo, renuebat expendere pecunias suas incassum, et Joannotto repulsam dare omnimodam verebatur ; unde quæritabat dilationes, sub promissionibus videlicet calvis. Jam vero frater Joannottus magno affectus tædio pulsare cessavit et se paulisper absentare decrevit, reversusque Venetias scendit navem, persulcatisque Padi fluentis, Bononiam devenit, sed in itinere audiens bonam famam Cartusiensium locique ipsorum prope dictam urbem, petere ad dictum locum visendum se disposuit. O altitudo divitiarum sapientiæ scientiæque Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et viæ ejus investigabiles ! Hic namque Frater bene prius et laudabiliter cogitaverat Camaldulensium spiritualem segetem in his nemoribus serere, sed Dominus suo inscrutabili consilio disposuit arctiorem vitam ducentes, alumnos videlicet Cartusiæ collocare.

*qui ob pestem venire non possunt.*

*Bononienses Cartusianos adit Joannottus,*

« Eodem tempore in præfata Domo Bononiensi vir quidam bonæ vitæ et famæ præerat Fratribus, Domnus Bonifacius nomine de Monte Vicæ, Monachus professus Domus Casularum, a quo frater Joannottus humaniter receptus, per aliquot dies siluit, celans in sui arcano pectoris suum sapienter secretum; volens prius sagaciter experiri vitam, ut poterat, Fratrum, et an vera esset fama quæ suis insonuerat auribus, fideli quidem narratione de Ordine nostro. Tandem videns celibem Fratrum conversationem ac vitam, sicque humaniter dulciterque tractatum, cœpit, inspirante Altissimo, sui cordis cœlicum desiderium Priori expedire dicens : Pater venerande, scire te cupio, quod non accidentaliter ad te præsumpsi venire, sed fama odorifera hujus vestræ Domus præclaræ rationabiliter tractus accessi, cordis mei desiderium tibi aperiendi gratia, scire cupiens an prosperum forsitan iter meum fecerit Dominus pro salute multorum, necne ? Ego enim habito in diœcesi Tarvisina in quodam nemore in Montello posito, in quo nunc ædificatur basilica ad honorem beatæ gloriosissimæ Mariæ Virginis sanctique Hieronymi confessoris, juxta quam cupio locum servorum Dei construere arboresque spirituales plantare : si ergo perfecta ecclesia, Domino adjuvante, sex aut octo cellæ juxta formam hujus Ordinis perficerentur, cum dote sufficiente pro victu totidem Monachorum, inclinareturne hic Ordo sanctissimus porrigere manum ad locum suscipiendum, ubi prorsus non dubito, quin potius pro certo habeo, quod cito perficientur ad complementum ?

*vultque eis eremum Montellanam tradere.*

*Annuit Prior Bononiæ,*

Cap. x.

« Audiens præfatus Prior quæ frater Joannottus proposuit, aures libentissime præbebat attentas, sciscitatusque de loci situ ac istius regionis amœnis conditionibus, illoque lucide respondente per singula et veridice, non abnuit ; imo illo proposito placuit cœpitque fari dicens : Licet non sit meum hoc facere, non tamen dubito quod si res, ut faris, prosperum habebunt successum, Ordo noster minime recusabit suscipere, sed tibi non retardabit hilarem præbere consensum. Acceptis vero prosperis frater Joannottus de facto responsis,

ANNUS 1353

lætus exultat in Domino, et de suo celeri reditu cogitare cœpit et Priori dicere memorato : Ego redibo et procurabo promissa Dei adjutorio fretus, et absque ulla tergiversatione cuncta plenissime obtinebo ; revertamque cum certitudine, vita comite, ad vos, Pater. Reversusque Venetias cœpit cum mercatoribus Lucanis, qui tunc aderant in ipsa civitate, tractare de negotio memorato. Unde favente Illo, qui cuncta bona disponit, invenit quam plures inter dictos viros potentes qui partitis inter se cunctis expensis, promiserunt indubie vita comite præfatas cellas construere et dotem sufficientem dare pro victu habitatorum illarum. Qua ex promissione corde non parum lætificatus, perrexit Tarvisinum nunciavitque singula ipsius civitatis Præsuli qui et ipse vehementer exultavit in Domino, eo quod Cartusienses suam incolere cœperint diœcesim; unde et mente hilari promisit Fratri in omnibus se juxta suum posse magnifice provisurum. Deinde nunciavit prædictis Frater commilitonibus cæterisque amicis suis quæ Dominus disposuerat per eum, dum ab illis absens fuerat; et nimis læti de re jam audita, promiserunt et ipsi juxta posse facturos ad instar prædicti Episcopi. Habitis ergo dictorum promissionibus, frater Joannottus reversus propere ad memoratum cartusiæ Bononiensis Priorem eidemque una cum Fratribus narravit quæ gesserat, rogavitque humiliter Priorem quatenus dignaretur pergere ad investiganda quæ dixerat, ut res finem potiretur optatum. Sed quia feralis mors illis diebus civitatem Bononiensem invaserat et multos ibi hac vita licet infelice privaverat, timens Prior ne gregem sibi commissum sæva pestis aggrederetur absente Pastore, distulit ab adventu fratris Joannotti per quadraginta dies satisfacere illius petitioni. At illius tandem assiduis precibus victus, misit ad Domum Parmæ nostri Ordinis et accersivit fratrem Acordum Clericum Redditum, ab Este diœcesis Patavinæ, quem in socium itinerisque comitem assumpsit; unaque cum fratre Joannotto Venetias pervenerunt, ac quæ a dicto Fratre promissa fuerant, cuncta veridica esse invenit. Nonnulli tamen ex promissoribus prælibatis obierant. Diligenti vero

*et locum invisit.*

ANNUS 1353

scrutatus locum investigatione, nec minori consideratione quæ digna videbantur pro loci habitatione, non mediocriter placuit situs et loci aptitudo. Deinde receptis literis a Præsule Tarvisino necnon a dominis Comitibus antedictis pro susceptione loci, ut fieri assolet, Capitulo generali directis, Bononiam rediens, per Patavii civitatem cum transitum faceret, in qua tunc temporis præsulabatur vir nobilis Romanus, (reverendissimus videlicet Pater dominus Aliprandinus, alias Ildebrandus, comes Romanus, episcopus Patavinus, nostri Ordinis devotissimus et amicus) ipsum visitare ac venerari decrevit et cum eodem de erigendo novo Monasterio colloqui. Audita itaque causa adventus memorati Prioris, Præsul ipse quoque summe gaudens, exhortatorias imo deprecatorias direxit Capitulo generali epistolas, ac Reverendo Patri Domno Joanni Birello Priori Cartusiæ (cui erat speciali annexus amicitia et charitatis vinculo), pro susceptione prælibati Monasterii....

Cap. XI.

« Cum igitur Prior Cartusiæ cæterique Diffinitores Capituli generalis, literas suscepissent prædictas et præsertim Patavini Episcopi et ipsum tenorem itidem conspexissent, absque ulla disceptatione ipsarum petitionibus annuentes, scripserunt dicto Priori Bononiæ literas in hæc verba : « Frater Joannes Prior Cartusiæ cæterique Capituli generalis Diffinitores, dilecto sibi in Christo fratri nostro Bonifacio, Priori S. Hieronymi prope Bononiam nostri Cartusiensis Ordinis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos hoc anno de mense Septembris, literas accepisse a Reverendo in Christo Patre domino Petro Paulo episcopo Tarvisino et a nobilibus Dominis Tolberto et Schinella comitibus de Colalto, continentes quod pro fundatione novæ Domus nostri Ordinis dare volebat ecclesiam B. Mariæ et B. Hieronymi sitam in loco Montelli, diœcesis Tarvisinæ, et ipsum Montelli locum cum cæteris reditibus et aliis rebus ad dictam ædificationem opportunis : igitur laudabili ipsorum proposito annuentes, vobis tenore præsentium committimus et mandamus quatenus assumpto aliquo ex Prioribus Ordinis nostri vel aliis Fratri-

*Facultas Capituli generalis.*

ANNUS
1353

bus, si Priorem habere commode non potestis, quos vel quem judicaveritis assumendos, ad prædictum locum personaliter accedatis et cum consilio Patris nostri Episcopi Paduani, si in istis regionibus fuerit, alioquin per vos ipsos dictam ecclesiam et locum cum reditibus et aliis quæ offeruntur, pro parte nostri Ordinis ad dictum novum opus novæ Domus recipiatis et acceptetis. Concedentes ut ibidem unum Monachum de Domibus Ordinis pro gubernatione et constructione dictæ novæ Domus possitis et debeatis autoritate nostra præponere et ordinare, quem vestra desideratio duxerit nominandum. Præcipientes eidem sub virtute obedientiæ, si opus est, ut regimen dictæ Domus recipiat indelate; collocetisque cum Monacho dicto aliam personam Ordinis ipsius honestatis gratia. Insuper et fratrem Joannottum de Luca in dicto loco commorantem in Donatum dicti loci, si videbitur, recipere valeatis. Datum sub sigillo Domus Cartusiæ anno Domini 1349, Indictione 2, die XII Maii, sedente Capitulo generali. » Receptis ergo literis Domnus Bonifacius, assumpto socio fratre Accordo jam dicto, profectus est sollicite ut perficeret quæ sibi fuerant ordinata. Cum autem Venetias appulisset, reperit mercatores qui antea fuerant splendide promissores, tribus exceptis, obiisse; perveniens demum Tarvisium, invenit dictum dominum Tolbertum comitem extremum clausisse diem : legaverat tamen in testamento vir prudens, si negotium quod tractabatur de dicto loco felicem obtineret effectum, partem suam possessionis, ubi construendum fuerat Monasterium memoratum, et pro aliquali Fratrum sustentatione annuatim 40 libras parvorum. Cernens autem Prior, quod magna pars eorum qui promiserant facere suis sumptibus Monasterium jam obiissent, timuit non immerito manum mittere ad susceptionem præfatam : unde inchoatum negotium dimittere disponebat, consulte potius malens redire prorsus ad propria vacuus, quam contra morem Ordinis rem insolitam facere, tanquam dubiam acceptare. Valedicturus ergo cum adiisset Præsulem Tarvisinum et animi sui commissum eidem clarius reseraret, ait illi Reverendus An-

*Opus fundationis inchoatur, favente Tarvisino episcopo.*

tistes : Ne timeas, Patrum optime, rem a Domino inchoatam viriliter prosequi pro salute et consolatione multorum; nam pro certo (vita mihi misericorditer ex alto concessa) non solum promissa, sed et insuper totum perficietur magnificum monasterium, adjuvante manu potentissimi Dei, tam in ædificiis quam in reditibus opportunis. Hæc vel similia dicebant etiam et qui de promissis amicis remanserant, et nutantem viri animum in Domino roborabant, ne pusillanimitate prostratus derideretur ab invido humanæque salutis sævissimo proditore. Quapropter assumptis viribus, fretus sui valida spe Creatoris, locum recepit nomine Ordinis, cum stipulatione solemni, ut patet infra.

*Primi benefactores.*

« Anno Domini nostri Jesu Christi Regis æterni 1349, XI mensis Julii, Indictione secunda, supradictus Joannottus, renunciavit donationi olim sibi factæ per supradictos Dominos comites de loco, ubi nunc situatum est dictum monasterium, in manibus videlicet magnifici domini, domini Schinellæ, recipientis suo nomine, et nomine et vice dominorum Rambaldi et Manfredi ejusdem nepotum, et hæredum dicti domini Tolberti. Et demum dictus dominus Schinella, nomine suo et nomine prædictorum, fecit donationem de dicto loco supradictis Fratribus, videlicet Domno Bonifacio Priori et fratri Acordo jam dictis, recipientibus nomine Ordinis Cartusiensis et Capituli generalis, pro ædificatione et constructione novæ Domus ejusdem Ordinis, de quibus omnibus plene constat publico Instrumento Andreæ notarii commorantis in castro S. Salvatoris, filii videlicet quondam magnifici Guillelmi de Papia, anno et die supradictis. Et ipsemet dominus Schinella, suo tantum nomine, promisit dare annuatim in reditibus LXXX libras parvorum, pro quibus postea assignavit circa XXX campos terræ plantatæ, vitivæ et prativæ, in villa de Arcadis; et pro suis nepotibus promisit dare annuatim 40 libras parvorum, pro quibus prædicti nepotes sui assignaverunt in villa Nervesiæ circa septem campos terræ, et in villa Castagnedi circa duos campos terræ aratæ, plantatæ, et vitigatæ et prativæ. Dominus autem

Cap. XII.

ANNUS 1353

præfatus Joannes Riccius, qui prius manum subtraxerat, affectus tædio propter præmissa, videns rem jam solidam sub tali Ordine, mente hilari promisit perficere ut prius ecclesiam, et dare in reditibus annuatim octoginta libras parvorum, pro quibus postea assignavit in villa Glaveræ circa unum campum terræ; in illis vero Sylvæ Castagnedi et Lavagli, circa septem campos; et in illa Hospitalis de Gavasaga, circa septem campos terræ aratæ, plantatæ, vitigatæ et prativæ. De mercatoribus autem tribus memoratis qui superstiterunt Venetiis, ex his qui ante promiserant magna, Ser Antelmini et Ser Petrus, frater ejus, cives Lucani, promiserunt dare cc ducatos; et Ser Petrus Caput, etiam civis Lucanus promisit dare centum, sed non dedit nisi duo viginti. Et hæc fuit prima donatio seu promissio, cum qua dictus Domnus Bonifacius recepit locum, et Bononiam reversus constituit Rectorem dictæ Domus autoritate Capituli generalis, ut supra, Dominum Franciscum Ramensem, Domus Parmæ Monachum, deditque illi in socium fratrem Acordum, Clericum memoratum. Igitur cum adventasset sub spe divini auxilii Episcopus memoratus Tarvisii, dedit eisdem ducatos centum, cum quibus ædificaverunt, invocato Dei nomine, primam cellam versus ecclesiam in latere meridiano quæ tali signatur littera B, deditque pro dote ipsius cellæ idem Præsul unum mansum circa xviii camporum terræ aratæ, plantatæ, vitigatæ atque prativæ in villa Nervesiæ. Item dicti mercatores germani de Antelminis, ut ante promiserant, dederunt ducatos ducentos, cum quibus ædificatæ sunt duæ cellæ sequentes in ipso latere, signatæ postea litteris C et D. Sed frater Acordus, cum hic per annum stetisset, obtenta licentia Capituli generalis, ad Domum prope Parmam est reversus. Tunc Rector autoritate Capituli vocavit unum de sociis suis, videlicet D. Albertum, monachum singularis vitæ et famæ in Domino, sed post bimestrem ab adventu suo (vocante Domino) obdormivit in pace, quem Rector sepelivit in medio ecclesiæ, quia non erat locus alibi aptus; et cum propter nimiam paupertatem Domus, Ordo pluries decrevis-

*Cellæ ædificantur et dotantur.*

set locum istum relinquere, talisque rumor per monasteria concrevisset, dicebant Fratres monasterii Parmæ : Nequaquam relinquetur locus ab Ordine propter merita Domni Alberti quiescentis in ipso ; et sic adimpletum fuit, Deo gratias qui non deserit in se sperantes. Rexit ergo D. Franciscus Domum istam per biennium circumcirca, et absolutus rediit ad Domum suæ professionis. At post ejus absolutionem generale Capitulum præfecit in Priorem dictæ Domus Domnum Leonardum Lucanum, professum Domus Lucensis, sub cujus regimine obiit Dominus Episcopus Tarvisinus ; et ipse Prior paupertatem Domus ægre ferens, Cartusiam adiit instititque, ut potuit, quatenus ista plantatio tamquam indiscrete recepta relinqueretur, sed Dei misericordia, minime prævaluit ; imo ab officio Prioratus absolutus, rediit in Domum suæ professionis. »



*Primi incolæ.*

# * JESU CHRISTI

## ANNUS 1354.

| Innocentii PP. VI | Ordin. Cartus. | Joann. Birelli Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 2. | Ann. 271. | Ann. 9. |

DOMORUM CONFLUENTIÆ ET TREVIRORUM PRIVILEGIA CONFIRMAT CAROLUS IV IMPERATOR.

I. JESU Christi Salvatoris nostri surgit annus millesimus trecentesimus quinquagesimus quartus, Indictione septima, quo Carolus hujus nominis quartus, Romanorum imperator, Domorum Confluentiæ et Trevirorum, ab ejus avunculo fundatarum, privilegia die 16 Febr. confirmavit. Rem sic obiter narrat Catalogus ms. Priorum Trevirensium : « Sub Ven. Patris Henrici de Wetzlaria regimine, Carolus IV, Romanorum imperator electus, omnia privilegia nostræ cartusiæ stabilivit, et omnia bona nostra etiam post acquirenda, libera pronuntiavit ; nosque in Cæsaream protectionem suscipiens, Boemundo Electori congruam bonorum nostrorum tutelam demandavit. Sed (pergit Chronicon sæculo septimo decimo exaratum), o tempora, o mores ! quot quantosque priora sæcula venerabantur benefactores, tot tantosque moderna tempora direptores patiuntur. »

SIMILITER ET DOMUS MAURBACENSIS.

II. Eadem fere privilegia paulo post, scilicet anno 1357, nostris Maurbacensibus Monachis idem Carolus concessit, sub bulla aurea, cujus hic est tenor :

Chronicon Maurbacense ms. pag. 30.

« In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis feliciter, Amen. Carolus IV, divina favente Clementia, Romanorum Imperator semper Augustus et Bohemiæ rex, ad perpetuam rei memoriam. Rex magnificus, qui facit mirabilia magna solus, aperiens manum magnificentiæ et implens omnia bonitate, ad hoc nos principalis in monarchia constituit digni-

ANNUS
1354

tatis binique Regni nobis contulit diademata, ut si ad aliqua extrinseca debita sollicitudo Nos provocat, ad ea tamen quæ incrementum cultus divini respicient, tanto specialius et solertius convertamus aciem mentis nostræ, quanto patrona justitiæ manus ejus nostrum præ cæteris Principibus altius nomen erexit et solium, suæque Clementiæ roboravit auxilio, et honorum splendoribus licet insufficientibus meritis insignivit. Sane ad nostræ Majestatis accedens præsentiam, nobilis Tobias de Beckingen consiliarius familiaris et fidelis noster dilectus, nobis pro parte religiosorum Prioris et Conventus Vallis omnium Sanctorum in Maurbach, Ordinis Cartusiæ, Passaviensis diœcesis, humiliter supplicavit quatenus quasdam litteras Serenissimi Friderici quondam Romanorum regis, prædecessoris et avunculi nostri charissimi, et illustrium Leopoldi, Alberti, Henrici et Ottonis fratrum suorum, ducum Austriæ, præfatum monasterium concernentes, approbare, ratificare et confirmare de solita nostræ benignitatis clementia dignaremur ; quarum tenor sequitur in hæc verba : Fridericus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, etc... Nos itaque attendentes, quod decet Principum clementiam ea quæ Religioni et honestati conveniunt, animo liberali concedere et rationabilibus petentium desideriis congruum suffragium impartiri ; justis et devotis prædictorum Religiosorum supplicationibus gratiose annuentes, ut monasterium ipsum Fratresque ipsius gratiam ex Imperiali munificentia consequantur auxilii salutaris : prædictas præfatorum regis Friderici et fratrum suorum Ducum Austriæ literas, prout de verbo ad verbum præsentibus sunt insertæ, deliberante animo, Principum, Baronum ac Procerum nostrorum accedente consilio, etiam ad instantiam et supplicem rogatum Tobiæ de Beckingen prædicti, approbamus, ratificamus, innovamus et præsentis scripti patrocinio, de nostra certa scientia et Imperialis nostræ potestatis plenitudine confirmamus. Et ut majoris benevolentiæ et favoris affectus, quem ad supradictum monasterium et Fratres ipsius gerimus, per evidentiam clarius elucescat, omnia et singula alia privilegia

*Quæ dederat Fridericus, Carolus approbat.*

ANNUS 1354

et literas, quas vel quæ ipsum monasterium et Fratres ipsius a divis Romanorum Imperatoribus et Regibus prædecessoribus nostris, necnon Ducibus Austriæ et quibusvis aliis Principibus, Comitibus et Magnatibus, cæterisque hominibus cujuscumque status et conditionis existant, obtinere noscuntur, ac si eadem privilegia et literæ cum omnibus et singulis suis tenoribus, sententiis, clausulis et pœnis in præsentibus literis de verbo ad verbum forent distincta et distinctæ seriatim, expressa et expressæ ; universa nihilominus et singula bona et possessiones, quibuscumque nominibus censeantur, quæ in præsentiarum Monasterium ipsum et Fratres ejus legitime possident, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis quibuscumque modis, præstante Domino, poterunt adipisci, sæpedicto monasterio et Fratribus ipsius de novo conferimus et donamus, et autoritate nostra Cæsarea prædicta præsentis scripti patrocinio confirmamus. Supplentes quoque in prædictis omnibus et singulis et circa ea omnem defectum si quis aut ratione formæ, donationis aut diminutæ autoritatis seu potestatis personarum donantium, seu ex quavis alia ratione seu causa intervenerit quovis modo, ex certa scientia et de nostræ Cæsareæ plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ approbationis, ratificationis, innovationis, confirmationis et defectum suppletionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem contrarium attentare præsumpserit indignationem nostram et pœnam mille librarum auri puri se incurrisse cognoscat, quarum medietatem fisco nostro seu imperiali Cameræ, residuam vero partem injuriam passorum usibus volumus et decernimus applicandam. Signum Serenissimi D. Principis Caroli IV Rom. Imperatoris invictissimi et gloriosissimi, Bohemiæ Regis. Testes hujus rei sunt : Venerabilis Ernestus Pragensis archiepiscopus, Joannes Olomucensis.... Datum Pragæ, anno 1357, Indictione decima, IV Idus Aprilis, regnorum nostrorum anno undecimo, Imperii vero tertio. »

*Mulcta contrafacientibus irrogatur.*

ANNUS 1354

EUSTACHIUS FONTIS B. MARIÆ MORITUR.

III. Domnus Eustachius, professus et alias Prior Cartusiæ Parisiensis, vir eximius et Regibus acceptissimus, hoc anno moritur postquam sexaginta annos vixerit in Ordine. Priorem egerat in nova Domo Fontis Beatæ Mariæ et in Domo Parisiensi cujus Chronicon sic Eustachii laudes intexuit : « Vir celeberrimus, circa annum 1300 hujus monasterii regimen capessivit. Anno 1308, mense Julio, Eustachius et Joannes de Argenton Monachus Vallis Viridis, commissarii deputati sunt per Reverendum Patrem et Capitulum generale Cartusiæ celebratum, ad Domum sancti Ludovici prope Noviomum recipiendam cum sua fundatione et Ordini coadunandam ; cui Eustachius præfecit in primum Priorem Joannem de Argenton multum nominatum ob pietatem et defæcatam prudentiam, qui cum aliquot annos in hoc officio exemplariter exegisset, præ solitudinis amore Prioratum dimittens, ad Domum Vallis Viridis reversus ibidem sancte animam exhalavit, die 3 Januarii anni 1313, habuitque Monachatum per totum Ordinem.

*Quondam Prior Vallis Viridis.*

« Florebat sub Eustachii moderamine cartusiæ Parisiensis ea disciplinæ regularis observantia, ut non solum ad circum vicinarum Domorum regimen suos alumnos emitteret, verum etiam ad exteras nationes extenderet palmites suos ; nam anno 1311 Hugo de Moriasten, Parisinus et Vallis Viridis professus, cartusiæ S. Laurentii prope Padulam clavum tenebat ; qui vix expleto Prioratus biennio, successorem habuit 1313 Arsenum de Illocii, patria etiam Parisinum et præfatæ Vallis Viridis alumnum, qui anno 1312 secundam professionem emiserat in Domo Padulæ, qui biennium egit in officio Prioris. Adfuit sub hæc tempora, id est anno 1312, Eustachius noster comitiis generalibus Ordinis Diffinitor, quod quidem colligo ex decreto quodam Capituli confirmante concordiam initam inter Priores Cartusiæ et Calesii, ubi inter nomina Diffinitorum Capituli hujus anni, Eustachii Vallis Viridis nomen habetur. « Cum interim fragrantia sanctitatis Monachorum hujus eremi ubique spargeretur, magnæque apud viros principes existimationis esset Eustachius, ipsique Phi-

ANNUS 1354

lippo Pulchro Galliarum Regi acceptissimus, multi Magnates, quos alibi recensuimus, auxiliatrices manus pro constructione Domus Parisiensis porrexerunt, inter quos primas tenet magister Joannes de Ceresio, Lexoviensis Ecclesiæ thesaurarius, qui sicuti jam diximus cœpit ædificare ecclesiam, quod quidem opus omnibus numeris absolutum est anno 1324. Per id temporis Carolus, comes Vallesius, orbi nominatissimus ob augustissimi sanguinis originem, nepos sanctissimi Franciæ regis Ludovici, filius Philippi Audacis regis, frater Philippi Pulchri regis, avunculus regum Ludovici, Philippi Longi et Caroli Pulchri, et pater Philippi Valesii regis Galliarum, sancti Ludovici in Cartusianos amoris hæres, cum cartusiam intra septa et pomaria castri sui Borefontis construere vellet, Eustachius hac de re cum pio Principe ita prudenter egit, ut Carolus intra biennium ecclesiam, claustrum majus cum viginti quatuor cellulis et aliis necessariis ædificiis absolverit; cui cum perspectissima esset Eustachii nostri probitas et morum innocentia, obtinuit a Reverendo Patre ut viro tanto novæ suæ Domus administratio demandaretur. Circa igitur annum 1325, D. Eustachius relicto ingenti apud Monachos Vallis Viridis sui desiderio, accessit ad cartusiam Fontis Beatæ Mariæ cujus possessionem simul et moderamen nomine Capituli generalis iniit; adduxit secum e cartusia Parisiensi nonnullos Monachos qui vitæ religiosæ fundamenta ponerent, inter quos fuit Robertus abbas quondam Aquilinensis*, benefactor insignis cartusiæ Parisiensis, ubi postea abdicata abbatiali dignitate inter ascetas istius cœnobii adscriptus, postquam ibidem aliquandiu conversatus fuisset religiosissime, venit ad Domum Fontis Beatæ Mariæ, ubi collecto bonorum operum manipulo migravit ad Dominum, 30 Martii anni 1328; de eo alibi egimus*.

*Protoprior Cartusiæ de Bourg-fontaine,*

* *rectius :* Aquiscinctinensis.

* Vide annum 1328.

« Mire præfuit novellæ plantationi Eustachius, qui magna apud Carolum fundatorem et Philippum ejus filium regem gratia pollebat, a quibus multa obtinuit non solum in cartusiæ Fontis Beatæ Mariæ, sed etiam aliarum Domorum com-

*cui multum profuit.*

modum. Denique cum multos annos in Ordine laudabiliter transegisset, fractus senio et infirmitatibus, ad suam instantiam pius senex ab officio exoneratus, in silentio et spe præstolans salutare Dei vitæ cursum felici morte conclusit in cartusia Fontis B. Mariæ, IV Cal. Octobris, anno 1354; habuit monachatum cum psalteriis per totum Ordinem. »

Catalogus ms. Fontis B. Mariæ ea de Eustachio nobis suppeditat : « Ex regimine Domus Parisiensis assumptus [Eustachius] ad istius eremi gubernaculum circa annum 1325, multa obtinuit a fundatore et a Philippo Valesio Galliarum rege privilegia, multumque ædificiorum opus sua vigilantia promovit. Iniit societatem spiritualem cum Monachis Ligeti anno 1327, cum Monachis Vallis Viridis anno 1330, cum Monachis Vallis S. Petri anno 1331, cum Monachis Montis S. Ludovici anno 1332, cum Monachis Montis Dei anno 1334, cum Religiosis de Valseri Ordinis Præmonstratensis anno 1340, ut patet ex diversis diplomatibus. »

*Societas spiritualis cum pluribus inire satagit.*

Anno 1330, Prior Fontis B. Mariæ admonetur « ut patientiam habeat in officio Prioratus. » Anno 1333 Capitulum generale « admittit excusationem Prioris Fontis B. Mariæ de non veniendo ad Capitulum propter debilem suam senectutem, nec absolvitur ab officio Prioratus », sunt verba Chartæ. Idem repetit Charta anno 1334 et anno 1335, quo anno Capitulum generale Domno Eustachio tutelam Domus Caturcensis recommendat his verbis : « Priori et Conventui B. Mariæ Caturci conceditur ut adeat dominum Regem Franciæ ad exponendas injurias et violentias Domui suæ illatas per Hospitalarios et pro defensione monasterii sui, cum consilio et auxilio Prioris Fontis, quem super hoc rogamus per præsentes.

Anno 1338 excusationem Eustachii, quod comitiis Ordinis non interfuisset, Capitulum generale admittit propter sui corporis debilitatem; anno etiam 1340 præerat eremo Fontis B. Mariæ, verum paulo post exauctoratus est ab officio.

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1355.

Innocentii PP. VI Ann. 3. | Ordin. Cartus. Ann. 272. | Joann. Birelli Pr. Cart. Ann. 10.

TEMPORE INTERDICTI FAMILIA NOBISCUM SACRIS INTERESSE POTEST,

Inter Privilegia Ordinis num. 81.

I. ANNUS Redemptoris sequitur quinquagesimus quintus supra millesimum trecentesimum, Indictione octava, quo Innocentius Pontifex Ordini nostro indulsit quod tempore generalis Interdicti, Conversi, familiares, et alii sæculares infra septa Monasterii manentes, possent nobiscum interesse in divinis, dummodo non sint in causa Interdicti. Ejus porro literæ tales sunt: « Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis Filiis Cartusiensibus Gratianopolitanæ diœcesis, et universis Monasteriorum per Priores solitorum gubernari, et etiam Prioratuum Ordinis Cartusiensis Prioribus, eorumque Conventibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas promeretur ut votis vestris, in his præsertim quæ animarum salutem respiciunt, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Nos itaque Venerabilis Fratris nostri Talayrandi episcopi Albanensis, ac vestris supplicationibus inclinati, vobis autoritate præsentium indulgemus, ut quotiens tempore generalis interdicti januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et voce submissa, Missas, et alia divina Officia vos celebrari, seu celebrari facere canonice contigerit, Conversi vestri Ordinis, necnon familiares vestri, et etiam alii sæculares, qui intra septa Monasteriorum et Prioratuum vestrorum habitant, et pro tempore habitabunt, una vobiscum

Missis et Officiis hujusmodi interesse possint, dummodo ipsi non dederint causam interdicto, nec eis contingat specialiter interdici. Datum Avenione, II Kal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio. » ANNUS 1355

Non multum post, id est vigesima sexta die Aprilis, qui supra venerabilis Talayrandus sequentes ad Reverendum Patrem Cartusiæ dedit litteras, queis Ordini nostro a Summo Pontifice indultum asserit, quod possumus celebrare et audire divina licet excommunicati sint præsentes : « Venerabili ac religioso viro Joanni Priori Cartusiæ Talayrandus Petragoricensis, Dei gratia episcopus Albanensis Cardinalis, salutem in Domino. Noveritis quod Sanctissimus in Christo Pater Dominus Innocentius Papa sextus, habens zelum magnæ devotionis ad Ordinem vestrum et volens amovere scrupulum qui posset conscientias titillare, concessit personis utriusque sexus præsentibus et futuris Ordinis vestri, ut licite et impune possint cum personis sententiis quibuscumque juris et hominis innodatis (de quibus eis non constat quod sint publice et nominatim determinati, aut sub Ecclesiæ positi interdicto) scienter Divina percipere publice, celebrare et audire. Noluit tamen idem Dominus noster quod de præmissis bulla seu patens litera sub posito sigillo fieret, ne ad consequentiam, propter multorum importunam petitionem, traheretur. Scriptum manu propria, anno Domini MCCCLV, 26 Aprilis. »

*imo, præsentibus personis sententia innodatis.*

II. Eodem quoque anno Humbertus Dalphinus diem clausit extremum, 11 Kalendas Junii, habens monachatum cum psalterio per totum Ordinem. Paradinus sic refert epitaphium ejus quod Lutetiæ apud Prædicatores cernitur : Hic jacet pater et Dominus amplissimus Himbertus, primo Viennæ delphinus, deinde relicto principatu frater nostri Ordinis, Prior in hoc Conventu Parisiensi, ac demum Patriarcha Alexandrinus, et perpetuus ecclesiæ Rhemensis administrator, et præcipuus hujus Conventus benefactor. Obiit anno Domini MCCCLV, » in civitate Claromontensi, ut ait Demochares.

OBIIT HUMBERTUS DALPHINUS.

« Circa principium Quadragesimæ, ait Molinus noster, di-

ANNUS
1355

Histor. Cartusiana ms. fol. 24.

cebatur unum tricenarium pro Illustrissimo Delphino ultimo, pro quo celebrantes dicebant duas Missas. Aliud etiam tricenarium ipsi Principi concessum est, cum jam Dominicanus et archiepiscopus Rhemensis, necnon Patriarcha Alexandrinus factus esset, cum Oratione : *Da nobis Domine... atque Pontificis*. Nec causam reticebo, ob quam præfata tricenaria indulta ei fuere, cum ob multa et præclara Cartusiæ et cæteris Delphinatus Domibus beneficia collata, tum maxime pro centum solidis turonensibus argenti cum O rotundo, quos pro vestimentis, pelliciis et pelliceolis Religiosorum Cartusiæ annis singulis dedit, sub ejus annulo secreto, et sub alio ejus magno et Domus Cartusiæ sigillis anno 1337. »

DE PRUDENTIA ET ZELO B. PETRI PETRONI.

Acta Sanctorum Maii pag. 202 et seq.

III. Quæ enarrat noster Bartholomæus Scala, Vitæ Petroni Cartusiensis scriptor, de ejus prudentia, ac fructibus animarum per eum factis, ad præsentem annum liceat referre : « Jam vero de Petri prudentia nunc se dat occasio loquendi, quæ ut inter morales virtutes prima et veluti cæterarum lumen esse fertur, sic in Petro eximie enituit ut nihil aliud esse meditatus videretur in vita, quam ut in negotiis suscipiendis ac transigendis, quæ vel ad Dei gloriam amplificandam, vel homines ad virtutis et honestatis studium incitandos et in recto vivendi cursu dirigendos pertinerent, totus esset. Optime sane a viris sanctissimis traditum est, prudentiam non in sola ratione consistere, verum etiam magnam ejus partem ex appetitu recto pendere ; atque idcirco per affectus potius depravatos quam per oblivionem labefactari atque corrumpi : ex quo illud sequatur oportet, ut in homine peccatis obnoxio perfecta non possit esse prudentia. Dicam proinde, Deum Optimum Maximum servum suum Petrum tanta exornavisse prudentia, ut ea cum eximia illius sanctitate quamoptime congrueret : sic ut altera alteri ornamento præsidioque esset, utraque vero et Deo illum carum, et hominibus conspicuum pariter et augustum faceret. Etenim si in vita rebusque agendis laudatur vir prudens, quod quæ expetenda, quæque fugienda sunt cognoscit, et in hujusmodi prudentiæ actionibus humana felicitas posita est; cur hominem

*Summe prudens consulit sibi aliisque,*

ANNUS 1355

summa sanctimonia, summa continentia, justitia, integritate atque innocentia vitæ, ut supra docuimus, præditum, beatissimum carissimumque Superis non appellabimus ? præsertim cum omnes curas suas, cogitationes, studia, conatusque omnes in rerum divinarum contemplatione defigit ; ut ea uno eodemque tempore, quæ cum singulari pietate tractat, prudentiæ munera in proximorum commodis tuendis atque illorum salute procuranda collocet. Atqui, ne ab re longius labar, prudentiam Petri in hoc loco vel maxime teneo, qua id nimirum assecutus fuit non modo ut æquales suos in urbe patria, sed etiam natu multo majores nominis splendore superaret. Sic enim sua tempestate, et in civitate per id maxime tempus multis referta viris sanctimonia præcellentibus, cum in consulendo tum in exhortando gloria excelluit, ut nulli eorum esset secundus.

« Hujus rei atque sui ipsius exemplo locupletissimus ac gravissimus testis est Columbinus inter alios, uti paulo post dicemus : idipsum alii aliis de causis testati sunt, nempe ut sacrati viri atque recti studiosi. Hoc quamplures vitæ monasticæ cultores factitarunt, illustri sane testificatione, quo constanti viri sanctitatis opinione permoti, ad illum tanquam ad divinæ voluntatis interpretem adibant, et de rebus dubiis pariter gravissimisque illum consulentes, ejus sententiam, ut qua nihil esset aptius, maxime probabant. Id quoque permulti, ut passim cives privati, feminæ etiam atque exteri reipsa testabantur, cum ad Virum beatum ex longinquis partibus, virtutis nomine ac fama percelebrem, consultandi gratia accederent. Qui Vir beatus, quamquam ex Ordinis sui proposito, solitudinis atque silentii appetentissimus, cupidiorque intra suæ cellæ amicos recessus jugiter latitandi, quam ut se in cujusquam colloquium daret ; tamen facere non poterat, quin stimulante maxime Patrum imperio, congressus ad se confluentium populorum exciperet, amicas illis præberet aures, simul et eis consuleret, et quacumque poterat ratione juvaret. Etsi autem honorificum doctrinæ munus, cum ingenii dexteritate conjunctum, sat eruditum,

*consilii causa ad eum devenientibus ;*

ANNUS 1355

*consiliisque addit salutaria monita;*

duplicato videlicet bono, id est naturæ et industriæ, illum redderet; nihilominus tamen, cum ad eum consilium quis petitum accederet, id consilii propemodum dabat, pro ea qua erat animi moderatione ornatus, ut ad alios nempe spectatæ religionis viros idipsum se petiturum conferret, quandoquidem illorum consilia suis meliora sanioraque putabat; quod tum potissimum ab eo factum tradunt, cum ad res temporarias ejusmodi consultationes spectarent. Verumtamen ubi id oneris effugere se non posse circumspiceret, dabat manum, consultabat, decernebat; et urgente proximos adjuvandi desiderio, utilia et salutaria consilia impertiebat: nullum laborem declinans, vel certamen defugiens (modo exaudiret unum aliquem ex iis qui ad illum adibant, vel piorum hominum studio ad cartusiam adducebantur, laudabiliorem vitæ rationem instituisse, aut ex suis aliquando sordibus emersisse, et ad bonam frugem, ut aiunt, se recepisse), nunc illos monendo, hos exhortando; nunc vero eos qui in luctu et mœrore jacebant consolando, atque animorum ægritudini sapientissima ratione medicinam faciendo. Quæ fugere docebat, quæ amare, quæ sequi, quæque amplecti quisque deberet; rectum consilium, rectum judicium, rectumque etiam præceptum eis accommodans, prout cujusque personæ status atque conditio exposcebat. Nec quisquam erat, qui Petri consilia jure reprehendere posset ut quæ ad Dei gloriam spectabant, et multa discretione cum essent ornata, ab eo certe ea dimanasse lætabatur, qui Dei prorsus nutu dirigeretur.

*maxime si de religioso statu mutando agitur.*

« Quod si de mutandæ vitæ ratione aut instituto ejus exquireretur sententia, uti si aliquis cuipiam sacræ familiæ addicere se vellet, haud levis erat (ut verbo ipsius Columbini utar) præsertim cum hominem laudabilem vivendi cursum tenentem aspiceret : nisi si tamen certa illi constarent de divina voluntate indicia, ut ex ea res ipsa omnino penderet. At ubi hominem prospiceret, lumine ipse collustratus divino, ad habitus, morum atque institutorum mutationem faciendam impulsum, eumque ratione maxime duci ad arctiorem disci-

plinam subeundam, ex qua vel in primis Dei honor consequeretur; tum dici vix potest, qua sedulitate solertiaque ipsum opus promoveret, quove religionis studio ad solidas et veras Christianæ vitæ virtutes illum informaret, quo Deo in eo, uti par erat, honos vel maxime haberetur; ille vero salutarem cordis pacem ac mentis tranquillitatem perpetuo obtineret. Et quod coram in idipsum agere per se non poterat, ad epistolas texendas protinus descendebat : in quo sane munere pro rei gravitate ita serius ac officiosus erat, ut boni facile intelligerent nihil sibi magis propositum esse quam animarum saluti quoquo modo consulere : quando quidem ne pro summo Deo semel susceptum negotium distractum abiret neglectumve jaceret, ipsis conscriptis literis adeo hominem urgere atque validissimis Christi amoris argumentis et rationibus in mentem ejus influere solebat, ut salutaribus subinde institutionibus perpolitus, atque ad optima quæque intra religionis septa aggredienda sperandaque animatus, nullo prorsus negotio intra Dei castra sese reciperet.

*Epistolis ac colloquiis efficax Petrus noster,*

« Qui Pater beatus in ejus modi literis mirum quam integer quamque rursus religiosus existeret; quoniam quidem, si Columbino credimus (quis autem nisi veræ pietatis expers, tanto viro non credat, quem tanti ob eximiam illius sanctitatem facit Ecclesia ?) ea illis inerat Christiana perfectio, iisque religionis et cœlestis cujusdam prudentiæ luminibus illitæ erant, ut eas semel qui legerant, omni abjecta cunctatione, sapere viderentur, et mirificam quamdam morum institutionem mox aggredi non dubitarent. Et ut in epistolis Petrus, sic et in quotidiano sermone, nullis verborum calamistris uti, nullisque orationis lenociniis oblectari; sed quæ ex ore ejus fluebat oratio, lenis in primis erat et suavis, nullo videlicet clamore exasperata, et (quod pluris est) ad pietatem et veram animi devotionem mirum in modum composita : cum præsertim in quibusvis collocutionibus, ejus semper vox summum erga Deum amorem, atque summum sui ac mundi contemptum sonaret.

« Tradunt præterea numquam beatum Patrem nostrum

ANNUS 1355

*præsertim autem exemplo.*

Christiana aliqua virtute aliquem instituisse, quin eamdem ipsemet virtutem egregie calleret, eamque re factisque ostenderet; optime eruditus quantum ad permovendos animos ad virtutem facta dictis antecellant. Ad hæc, vitam, mores, acta, gestus denique omnes ejus pro concione ad illum accedentibus semper fuisse, plusque ex ejus illos factis quam verbis sanctitatis excerpere. Semper item eos, qui ad illum adibant, ab eo prorsus lætos discessisse, non ex hoc solum quod illum fuerint allocuti, sed aspexerint tantum. Nullum unquam ad cartusiam se contulisse beatumque Virum convenisse, in cujus ille animo vel virtutem aliquam non defigeret, vel vitium ex eo certe non extirparet. Quod ii consecuti dum apud eum fuerint, longe alii domum remigrabant atque ad eum accesserant, pura in Deum pietate atque amore succensi, et ad novum quoddam rectiusque vivendi studium sectandum animati. Eos qui ad arbitrium ductumque Petri vitam suam moderabantur, nullo unquam tempore a recto vitæ itinere deflexisse, neque per vitiorum salebras aberrasse. Quamplurimos quoque, Petro autore ac duce, asperum et durum vivendi genus pro flagitiorum expiatione arripuisse, atque ejus dein præceptionibus, vitam ad extremum usque pie casteque transegisse. Huc accedit quod non pauci omnino se perdidissent, quos ille magna prudentia singularique simul rerum moderatrice discretione, qua Deus illum mire ornarat, regebat moderabaturque. Præterea mortalium qui flagitiis obnoxii essent, tanta tradunt illum frangi misericordia, ut cum eos intuebatur aut ad eum illorum deferebantur scelera, vix ac ne vix quidem se continere posset quo minus multas profunderet lacrymas, internæ ipsius in proximos caritatis præclarissima testimonia : omnia ob id ipsum studia et omnem industriam suam, quoad ejus fieri posset, ad miseros et perditos homines e peccatorum cœno extrahendos et ad sanitatem mentis revocandos conferre paratus.

*Erga pœnitentes facilis.*

*Obstinatos abhorret.*

Verumenimvero, quos intelligeret omni conscientiæ magisterio exuto, in omni scelerum genere impune volutari; et quos omnis timoris et officii repagulis perfractis, nullam pene

Dei atque Ecclesiasticarum sanctionum rationem ducere, sed pertinaciter obduratos corrigi nolle; nihil cum iis commercii habere voluit unquam : cum alioquin intimis excruciaretur sensibus, animas pretiosissimo Christi sanguine redemptas ad interitum ruere volontarium. Qui vero, spretis aliquando Petri monitis salutaribus, ad ingenium redierant; hi sane intima postmodum icti religione, vereri quodammodo videbantur beati ipsius Viri amplius subire vultum. Erat enim Petrus noster, ut bonis rectique amantibus ad virtutem incitamentum, et in officio iisdem ipsis continendis apprime diligens; ita vicissim, ubi per summam impudentiam et nequitiam quidpiam flagitii commissum resciret, idipsum apertissime detestari, et hominem proterve peccantem ardentissima orationis acrimonia castigare non dubitabat : ut hic verborum pondere objurgantisque constantia permotus, seipsum respiceret et a flagitioso conatu desisteret.

*Dexter in rebus agendis ac festivus,*

« Nec ad eximiam sancti Viri laudem prætereunt silentio, qui hæc memoriæ prodiderunt, ejus tum in retinenda bonorum consuetudine constantiam, tum in iisdem ad virtutem erudiendis officium simul et dexteritatem, quamdam animi sanctimoniam vel præcipue redolentem. Nec quisquam illum tetricum vidit unquam, aut paulo acerbius loquentem audivit, aut vehementius commotum adspexit, nisi forte in Dei causa; pro qua si severiorem personam induere quandoque cogeretur, ita vehemens ac rigidus apparebat, ut nemo non loquentem timeret qui ei astabat. Hisce vero sublatis nominibus, hilaritatem, mansuetudinem ac festivitatem quamdam præ se semper ferre, et ab omni indignatione se prorsus alienum præstare. Hujuscemodi igitur admirabilis prudentiæ artibus, aliisque permultis humanæ salutis studiis, quæ illi cœlestis spiritus suggerebat, tantam sibi suorumque civium et exterorum ad se confluentium conciliavit benevolentiam, tantosque animorum motus effecit, licet (quod mirandum est magis) Cartusianis circumseptus parietibus, ut ejus cellula assiduo virorum usu tereretur, qui non ex plebe tantum sed ex prima nobilitate, atque adeo ex variis Religiosorum

ANNUS 1355

*Christianæque sapientiæ magister eximius.*

familiis, ut diximus, frequentissimi ad eum tamquam ad Christianæ sapientiæ magistrum confluentes, ex illius ore atque præceptis pendebant : illum communem parentem in rebus spiritualibus agendis vocabant, cum eo arcana cordis communicare, et ad cartusiam (ceu ad securum perfugium tutissimumque tranquillitatis portum) in rebus adversis et tentationibus excurrere, atque beati Viri cubiculum, gymnasium ac veræ sanctitatis scholam appellare. At in re aperta, ne sim fusior, ipsius Columbini verba juvat hoc loco adnectere, qui post multa alia in idipsum commemorata, hæc ad extremum adjecit : Eos, inquit, Petrus animorum fructus lætos atque uberes tulit, ut jam per multum tempus sit, quod in proximis ad æternæ beatitudinis studium verbo et exemplo incitandis neminem superiorem vix etiam æqualem habuerit; tamen etsi complures nostra quidem ætate intra ipsam natalem sedem essent, qui ob eximiam vitæ sanctitudinem admirationem propemodum obtinerent. Hæc ille; quæ divino prorsus consilio facta fuisse, per virum maxime, non in sole et pulvere, sed in umbra et in ipsis virtutis castris sese exercentem, nemo sanus negabit, modo animum ad ea diligenter intenderit quæ jam hinc a nobis dicentur. »

PROVINCIA GERMANIÆ BIFARIAM DIVIDITUR.

IV. Cum his temporibus Ordinis monasteria satis multiplicarentur in Germania et vitis Cartusiana jam extenderet palmites suos a mari usque ad mare, tamque ampla Provincia a Visitatoribus haud congrue visitari posset, necesse fuit annis succedentibus plures ibidem constituere Provincias atque singulis proprios deputare Visitatores. Quamobrem Capitulum generale hujus anni ordinavit quod Domus Ordinis per Germaniam distribuerentur in provincias duas, quarum una obtinuit nomen Provinciæ Alemaniæ Superioris, altera Inferioris. Illa comprehendebat Domos de quibus superius diximus*; hæc vero Domos infrascriptas, scilicet : Domum Novæ-Cellæ in Grunaw, Cellæ Salutis Herbipolis, Moguntiæ, Treviris, Confluentiæ, Coloniæ, Argentorati, Friburgi in Brisgaw, Geldriæ et Montis S. Gertrudis in Hollandia. Deinde anno 1400 subsecuta est altera divisio

*Germania superior et inferior.*

* ad annum 1335.

Provinciæ Alemaniæ in duas, quarum una pristinum vocabulum Alemaniæ Inferioris retinuit, altera Provinciæ Rheni insignata est nomine. Anno 1412 ex occasione aliquot novarum Domorum, alia a Capitulo generali Provincia constituta est sub vocabulo Provinciæ Saxoniæ; pro qua formanda nonnullæ Domus ex Alemania Superiori, nonnullæ ex Inferiori assumptæ sunt.

ANNUS 1355

# JESU CHRISTI

## ANNUS 1356.

| Clementis PP. VI | Ordin. Cartus. | Joann. Birelli Pr. Cart. |
| --- | --- | --- |
| Ann. 4. | Ann. 273. | Ann. 11. |

INNOCENTIUS SEXTUS NOVAS ORDINI GRATIAS LARGITUR.

I. SEQUITUR annus Salvatoris millesimus trecentesimus quinquagesimus sextus, Indictione nona inchoatus, quo Innocentius Papa priorem gratiam de qua anno præcedente egimus amplificans, concedit ut eisdem personis, tempore Interdicti, liceret nobis ecclesiastica ministrare sacramenta ac sepulturam tradere. Sunt etiam hujus privilegii litteræ quæ sequuntur :

Extat inter Privileg. Ordinis, p. 82.

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis Filiis Cartusiensibus Gratianopolitanæ diœcesis, et universis aliorum monasteriorum per Priorem solitorum gubernari ac Prioratuum Ordinis Cartusiensis Prioribus eorumque Conventibus... Religionis, in qua relictis seculi vanitatibus Domino deservitis, favor exposcit vestræque devotionis merita promerentur, ut petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Olim siquidem vobis per nostras Literas duximus indulgendum, ut quoties tempore generalis Interdicti, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et voce submissa, Missas et alia divina officia vos celebrare seu facere celebrari canonice contigerit, Conversi vestri Ordinis, necnon familiares vestri, et etiam alii seculares qui intra septa monasteriorum et Prioratuum vestrorum tunc habitabant et pro tempore habitarent, una vobiscum Missis et officiis hujusmodi interesse valerent, prout in dictis Literis plenius continetur.

ANNUS 1356

« Nos igitur volentes vos ampliori prosequi gratia et favore, vestris etiam hac parte supplicationibus inclinati, ut hujusmodi Interdicti tempore præfati Conversi, familiares et seculares, qui intra septa dictorum monasteriorum et Prioratuum (ut præmittitur) habitant et habitabunt pro tempore, a vobis, Filii Priores, seu ab aliis personis vestri Ordinis ad hoc per vos Priores et Conventus in dictis monasteriis et Prioratibus ac ecclesiis vestris deputandis, ecclesiastica sacramenta recipere possint; vosque et dictæ personæ, ipsis Conversis, familiaribus et secularibus sacramenta hujusmodi ministrare ; ac vos Priores et Conventus ipsorum Conversorum, familiarium et secularium corpora, si hujusmodi tempore de hac luce migraverint, ad ecclesiasticam sepulturam, in vestris cimeteriis, cum silentio tamen et sine campanarum pulsatione, recipere et admittere valeatis : dummodo ipsi Conversi, familiares et seculares causam non dederint Interdicto ; nec id eis contingat specialiter interdici. Quibuscumque Constitutionibus Apostolicis et aliis contrariis nequaquam obstantibus, jure parochialis ecclesiæ et cujuscumque alterius in omnibus semper salvo, vobis autoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum, etc. Datum Avenione, v Kalend. Novembris Pontificatus nostri anno IV. »

IDEM INNOCENTIUS VILLANOVANAM CARTUSIAM FUNDAT.

II. Majora paulo ante sui in nos studii signa nobis dederat Innocentius fundando cartusiam Vallis Benedictionis, in diœcesi Avenionensi, quæ vulgo Domus Villænovæ nuncupatur, ex oppidi cognomine, provinciæ Occitaniæ, apud quod sita est, quodque adjacet Rhodano fluvio, e regione urbis Avenionis, a qua solo tractu a ripa ejusdem fluvii ad ripam alteram disjungitur. Hujus fundationis series talis fuit. Dum Innocentius adhuc esset in minoribus constitutus, ut ipse in Literis fundationis loquitur, locum ubi Sacra faceret Deo, ab Arnaudo S. Andreæ abbate et ejus Conventu emit, aream videlicet dictam *de la Mota* cum terra contigua, *bastidiis* (ut vocant) et domibus ibidem ædificatis. Quæ omnia permutationis titulo comparavit, rem re commutans. Ad api-

ANNUS 1356

cem evectus Summi Pontificatus, hujusmodi emptionem jure caduci absolvi curavit, et ibidem palatium construxit, Magalonense dictum; in cujus parte infima claustrum ad usum Cartusiensium et ecclesiam in honorem sancti Præcursoris Christi erexit, ut ex illius bulla hoc præsenti anno scripta videre est :

*Fundationis bulla.*

Recitatur apud Molin. fol. 511.

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inter cæteros Religionis monasticæ professores, quibus velut quibusdam margaritis ornata militans refulget Ecclesia, Cartusiensis Ordo candidi Nazaræi splendorem dat Ecclesiæ memoratæ. Hi siquidem puritate vitæ nitidi, ardore charitatis igniti, rigore abstinentiæ pallidi, et austeritate pœnitentiæ macerati, mundo mortui, Christo vivunt. Hi Marthæ circa frequens ministerium satagentis, quo turbabatur erga plurima, solicitudinem fugientes, per contemplationis altitudinem sedent ad pedes Domini cum Maria. Hi amicam solitudinem mœroribus eligentes, per compunctionis lacrymas, et pro suorum aliorumque Fidelium remissione peccaminum, incessabiles fundunt preces. Digno igitur Apostolico favore Ordinem hunc prosequimur, digne fundamenta structuræ ipsius altius erigi cupimus, digne palmites ejus dilatari ubilibet affectamus. Cum itaque in palatio nostro de Villanova, Avenionis diœcesis, quod dudum in minoribus constituti, de bonis a Deo nobis collatis construi fecimus quamdam ecclesiam sub vocabulo beati Joannis Baptistæ, Christi Domini Præcursoris, cum campanili, domibus, claustris et aliis necessariis officinis, ad opus et usum Monachorum dicti Ordinis, ad Dei Beatæque Virginis Mariæ matris ejus laudem et gloriam, ac ipsius Præcursoris (in cujus reverentia idem Ordo institutionis suæ sumpsit exordium), et aliorum Sanctorum honorem, et pro nostra ac fidelium defunctorum animarum salute, fundari fecimus et compleri: Nos, intentionis nostræ circa hoc propositum exequentes, ecclesiam ipsam cum campanili, domibus et claustris et officinis ejusdem Domus incorporamus Ordini memorato. Et eamdem ecclesiam in monasterium dicti Ordinis, autoritate

*Domus beato Præcursori prius dicatur,*

Apostolica erigimus, constituimus et ordinamus ; ipsique monasterio, pro sustentatione Prioris et Monachorum præfati Ordinis instituendorum (Deo propitio) pro tempore in eodem, totum prædictum hospitium cum claustris et vinea eidem hospitio adhærentibus ac muris, ambitu et claustris, necnon juribus et pertinentiis suis universis et singulis, concedimus et donamus : autoritate Apostolica statuentes quod in ipso monasterio esse debeant et sint, unus Prior et duodecim Conventuales ac duo Clerici, qui Redditi vulgariter nuncupantur, et duo alii Monachi infirmorum ac debilium servitiis insistentes, et quatuor Conversi ejusdem Ordinis, ac novem famuli ad servitia Prioris Monachorumque prædictorum. Ita tamen quod Prior qui pro tempore fuerit dicti monasterii, cum consilio Conventus ipsius, numerum dictarum personarum minuere vel augere possit, sicut exigent vel requirent futurorum negotiorum ac temporum varietates aut successus, et prout Ordo eorum consuevit etiam observare. Etconcedentes quod idem monasterium et personæ illius, cum membris ac locis ejus habitis et habendis, omnibus et singulis Indulgentiis, privilegiis et libertatibus et immunitatibus Ordini præfato ac personis ac monasteriis aliisque locis ejus, generali vel speciali Apostolica vel alia quavis authoritate concessis, plene et libere gaudeant ; ac si de monasterio, personis, necnon membris et locis prædictis in illis, specialis, plena et expressa ac de verbo ad verbum mentio haberetur. Non obstantibus constitutionibus, juribus contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ incorporationis, erectionis, constitutionis, Ordinationis, donationis, statuti et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem.... Datum apud Villamnovam, Avenionis diœcesis, secundo Calendas Junii, anno Pontificatus nostri quarto. »

ANNUS 1356

*et dotatur pro 15 Monachis.*

Juxta mentem Pontificis in his Literis expressam, hæc Domus primum Sancti Joannis Baptistæ, cui nominatim dicata erat ecclesia, titulum accepit, sed illum diu non servavit. Nam per Chartam anni 1362, Capituli generalis decreto,

*Dein Vallis Benedictionis nuncupata.*

ANNUS 1356

nomen *Vallis Benedictionis* quo etiamnum gaudet sortita est, id jubente sanctissimo fundatore ; qui præterea eodem anno in Augusto bullam dedit, qua sancitum voluit quod hæc cartusia jamjam sub vocabulo Vallis Benedictionis constituta, eisdem potiretur privilegiis, donationibus ac bonis quas prius sub sancti Joannis Baptistæ nomine obtinuerat. Longius, in suo Chronico agens de Innocentio, hanc Domum vocat « Monasterium sancti Andreæ, » deceptus verbis nostri Werneri qui in suo *Fasciculo Temporum* dicit « Innocentium VI fecisse fabricari in regno Franciæ propter sanctum Andream, ex opposito Avenionis, monasterium Ordinis Cartusiensis. » Eumdem errorem commisit Bergomensis.

*Tempus fundationis discutitur,*

Tempus fundationis omnes ad præsentem annum referunt, licet Sammarthani ad annum 1358 illud rejiciant, quod eodem tantum anno Conventus in novum introductus monasterium credatur. Attamen præsens annus omnino signandus est, non solum quod Literæ fundationis eodem datæ sint, sed quod revera Nostri tunc possessionem loci adepti sint ejusque bona administraverint. Siquidem die 19 Novembris, Petrus de Porta futurus Prior, a Senescallo Bellicadri * et a Procuratore regio Præfectisque Villænovæ obtinuit, ut quæ a dicto oppido Villænovæ ad Sanctum Andream et ostia Rhodani per septa monasterii ducebat, via obstrueretur. Quod Joannes, Gallorum rex, anno 1362 suo diplomate dato Villænovæ confirmavit. Causam fundationis noster Calkar coævus altius repetit, eam visioni tribuens cuidam Solitario factæ, præsente tunc Innocentio antequam Summus fieret Pontifex. Sic igitur historiolam recenset :

* Beaucaire.

*et causa narratur.*

« Innocentius Papa, ille canonista præcipuus, cum adhuc cardinalis esset, sanctum quemdam visitare solebat Eremitam. Quadam vice illuc venientibus servis illius et fortiter pulsantibus, non audiebatur vox neque sensus. Tandem vi irruentibus clientibus in cellam, et ipsum stimulando quasi mortuum excitantibus, clamavit magna voce dicens : O mi, o mi ! Vidi mirabilia, vidi horribilia. Sciscitante autem diligenter Cardinale quid viderit, respondit : Ductus ad Infer-

num, vidi animas incidere sicut nives densissimas aerem obnubilantes ; ad Purgatorium vero sicut nivem rarissimam (sic etiam loquitur sancta Brigitta in suis Revelationibus); sed ad Paradisum tres tantum vidi animas introire, illius scilicet Episcopi, et illius Prioris Cartusiensis, ac illius viduæ Romanæ ; singulas nominans personas. Cardinalis igitur, vir prudens, veritatem scire volens visionis, missis hinc inde nunciis comperit animas illas eadem hora corpore fuisse solutas. Sicque Cardinalis qui prius timuit aliqualiter de nimio rigore Cartusiensium, maxime propter carentiam carnium, propter evolationem animæ illius Prioris factus est amicus ipsorum, novam pro eis procurans fieri Domum. » Hæc Calkar ; quo non designante quis ille sit Innocentius, an III aut VI, nec quæ fuerit Domus illa ab eo fundata, hinc Nostris hujusmodi narrationem alii atque alii Innocentio indifferenter tribuunt, quod uterque Domum nostro adscripserit Ordini : hic Villanovanam, ille Trisultanam. Nos vero secuti autorem *Speculi Cartusiensis*, qui Calkari suppar fuit ac propterea rem certius agnoscere potuit, hæc Innocentium VI spectare credimus. Nec obstat quod Calkar Innocentium vocet « canonistam præcipuum », quæ nuncupatio recte quidem convenit Innocentio III ; sed neque propterea inepte nostro tribui potest Innocentio quem Ciaconius « Juris utriusque consultissimum » vocat. Præterea ex verbis Calkaris conjicimus hunc nostrum Innocentium, dum esset in minoribus, et forsan dum causarum in Romana Curia Procuratorem ageret, ex his fuisse qui sub Pontificatu Joannis XXII Nostros ad esum carnium cogi volebant. Sed « qui prius, » ut loquitur Calkar, « timuit de nimio rigore Cartusiensium propter carentiam carnium, propter evolationem animæ illius Prioris in cœlum, factus est amicus ipsorum. » Quod certe nullatenus de Innocentio III dici potest, cum ejus tempestate nullam legamus in Nos ex carnium abstinentia ortam fuisse vexationem. Denique præter autorem Speculi Cartusiensis, Wernerus quoque in suo *Fasciculo*, sub Clemente VI ad annum 1343, eamdem narrationem ad Innocentium VI refert. Primus vero

ANNUS 1356

Revel. Lib. II, cap. 6.

*Innocentius VI, et non III, verus hujus cartusiæ fundator,*

qui eam tribuerit Innocentio III fuit noster Dionysius, in libro *de Laude* (nostri) *Ordinis;* hoc titulo a Calkare ei adscripto nempe « Canonistæ præcipui » deceptus, ut etiam fuit Dorlandus Dionysium secutus. Porro eamdem historiam habes in *Speculo exemplorum*. Simile etiam quid diu ante evenisse narrat Trithemius in *Chronico Hirsaugiensi* ad annum 1160 de quodam alio Eremita erga Episcopum Lingonensem, post mortem sancti Bernardi abbatis Clarævallensis; de quo etiam agit Melchior Flavinus, libro *de Statu animarum post obitum*.

Spec. exempl. Distinctio IX, ex. 80.

*Benefactores præcipui.*

Præter Innocentium Papam, alterum fundatorem hæc Domus nacta est, videlicet Petrum de Monteruco, ejusdem Innocentii ex sorore nepos, de quo plura dicemus anno 1385. Plures alii tum Cardinales, tum Episcopi multa bona contulerunt, ut suis dicemus locis. Minores vero benefactores in Chartis nostris occurrunt qui sequuntur : Egregius vir dominus Joannes Mulceti, licentiatus in Legibus, qui per multos annos fuit Procurator et director negotiorum Domus Cartusiæ et magnus benefactor Domus Vallis Benedictionis, habens plenum monachatum etc., qui obiit in vigilia Nativitatis Domini; » ex Charta anni 1469. Petrus de Fontebono benefactor Domorum Vallis Benedictionis et Bonæfidei dicitur in Charta 1499, in qua denuntiatur mortuus. Claudia Arselleria, benefactrix, obiit ex Charta 1522. Nobilis dominus Antonius de Saxo; dominus Nicolaus Costa, Legum Doctor; Joannes Regis et Michael Albi; benefactores designantur inter mortuos anni 1525. Guillelmus de Burgata, canonicus Villænovæ eodem anno sepelitur in hac Domo, cujus epitaphium etiamnum legitur : « Hic subtus jacet venerabilis vir dominus Guillermus de Burgata, in utroque Jure licentiatus, olim canonicus Beatæ Mariæ Villænovæ, qui obiit anno Domini 1525, die 13 mensis Septembris; anima ejus in pace requiescat. » Venerabilis dominus Joannes Bonjolis, benefactor, obiit ex Charta anni 1534.

DE AMICITIA B. PETRONUM INTER ET SANCTUM J. COLUMBINUM.

III. Hoc ipso anno B. Joannes Columbinus, Jesuatorum Ordinis futurus fundator, e vita seculari ad Dei cultum plane

conversus sed dubius de victus ratione qua uteretur, nostrum Petronum consulit, ad cujus arbitrium nutumque totum se componit; eoque maxime autore, Evangelicam paupertatem suscipit excolendam. Rei seriem narrat noster Bartholomæus Scala, Vitæ Petroni scriptor, his verbis :

Acta SS. tom. XX, fol. 204.

« Etsi quæ hactenus enarravimus, sane quam luculenter amicitiam consuetudinemque declarant quæ cum Petro intercesserat Columbino, qui inter spirituales ejusdem Petri alumnos priores obtinuit partes, tamen haud absurdum fore arbitrati sumus, ea quoque historiæ nostræ intexere quæ gravissimi autores, ejus temporis æquales, de eodem Columbino Literis consignata reliquerunt; quæque ipsemet Columbinus, qua erat animi submissione, silentio præteriit dum egregia Petri facta una cum Nicolao Vincento conscribenda suscepit. Is igitur Columbinus ab admirabili sui ad Deum conversione occultis virtutum facibus agitatus, gravi coquebatur cura, quod necdum sciebat in præsentia quemnam potissimum pie sancteque vivendi cursum institueret; cum multa religionis specie vel præcipue ejus animo quotidie obversarentur, quæ summam sanctimoniam summamque pietatis laudem præ se ferre videbantur. Quamobrem varie distractus, modo salutares incruenti sacrificii Hostias litandas curare, modo sacratos cujusque Ordinis viros, qui vel Christiana pietate ceteros antecellerent, consulere; modo sacræ Theologiæ peritos doctrinave præstantes consultandi gratia adire, et alia id genus obire : quibus propitiato Numine mens ejus illuminaretur, simul et suam ipsemet voluntatem ad solidas virtutes Christianas adeo excitaret, ut mirificum sibi traditum divinitus suæ conversionis munus non modo perficeret in dies, sed etiam amoris in Deum studiis expoliret, atque in momenta singula magis gratus memorque tanti beneficii extaret. Ex quorum virorum responsis, multa licet eximia, vel pietate conspersa vel prudentiæ laude plena monita atque consilia eliceret, non tamen iis contentus erat. Quippe ut generosus, nihil vulgare aut exiguum jam tum agitabat animo, sed egregia quædam et ardua ad Dei gloriam

*Sanctus J. Columbinus de statu vitæ ambiguus,*

*varios consulit,*

ANNUS 1356

propagandam, ab ipsis conversionis initiis, mente atque cogitatione conceperat: quæ sane ita hominem diu noctuque extimulabant, ut ei ad præclara tendenti tale, haud obscura Dei providentia, consilium peropportune oblatum sit.

*ac tandem Beatum Petrum,*

« Jam per ea maxime tempora Petri nostri virtus et nomen sanctitatis in sermone hominum quotidie versabatur; et ad eum, uti paulo ante docuimus, magni hominum concursus fiebant subinde, uti tanquam Virum sanctimonia maxime præstantem atque Deo carum consulerent. Ad hunc itaque Columbinus, ancipiti cogitatione distractus, cum accessisset; talem primo eum consiliorum rationumque suarum moderatorem nactus est, qualem dudum optarat. Cui cum conversionis originem et seriem atque dein sui animi sensa aperuisset, in hanc fere sententiam Pater beatus, ubi divini amoris igniculos in viri pectore insidere animadvertit, de rerum humanarum contemptu disseruisse dicitur:

*qui ei ostendit quantum impedimentum sit amor divitiarum,*

« Non est, Joannes, cur animi pendeas, num id vel aliud vitæ degendæ institutum deligas, quo per Apostolica vestigia Apostolico insignitus spiritu liber atque expeditus incedas. Ex iis enim rebus primum tibi pie religioseque vivendi initium sumendum est, quæ tibi hactenus fuerunt impedimento, quominus tamquam excæcatus verius quam rerum humanarum sensibus delinitus, cœlum aspexeris, hoc est ad cœlestia anhelaveris, atque tui ipsius salutem neglexeris. Tecum ipse perpendas velim, quas sollicitudines, quos labores, quas prope dicam miserias, ingentiaque pericula et mala in hanc diem subieris, ut mundo et ejus voluptatibus deservires, ut dives efficereris divitiisque auctus; ac bene locuples, iter tu tibi ad cœlestem felicitatem ipsis divitiis obstrueres, et uno eodemque tempore multiplici te malo repleres. Nam quid,

Luc. VI, 24.

quæso te, illud Servatoris nostri oraculum sonat: Væ vobis divitibus, nisi quod hoc uno verbo Væ, omnia mala omnesque bene longæ calamitates divites manent? Nonne satis malum, et ingens quidem malum, difficultas illa quam idem

Matth. XIX, 21.

Dominus divitibus esse dixit intrandi in regnum cœlorum? Cujus nimirum difficultatis causas si scire velis, conscientiam

ANNUS 1356

tuam discute, tecumque parumper ad calculos voca, qui coacervandis divitiis multa et gravia expertus es adhuc. Num inficiari poteris, quæ emendo, vendendo, quæ contrahendo, negotiandove peccandi impendent pericula ? Quæ sane evitari ægre atque vix possunt, præsertim cum prava habendi libido humanæ menti semel insederit. Ergo constitutum vel certe aliorum exemplo tibi omnino esse volo, homines qui cupiditate maxime duce in quæstu colendo multi sunt, multas subinde incurrere mali dæmonis insidias : id quod Apostolus planissime tum videtur expressisse, cum dixit eos qui divites fieri volunt, incidere in tentationem, inque laqueum diaboli, atque desideria multa et inutilia quæ hominem mergunt in interitum simul et perditionem. Hæc sunt ergo, Joannes, pericula, quæ divitiæ afferunt. Verum tantumne ? Alia quidem atque alia connumerare possem, nisi mihi verendum putarem ne tibi nimius in dicendo viderer. Sed enim quando jam tecum familiarius loqui cœpi, silentio haudquaquam involverim, quæ peccandi quoque discrimina subeunt qui ipsas jam coacervatas possident opes iisque sibi utuntur. Quæ et qualia sint, te testem præclarissimum appello, quando ex tuis ipse verbis liquido animadverto, meam tibi sententiam in re haud ita obscura probatum iri. Dicam proinde, num expertus sis aliquando, quantopere divitiarum usus earumque administratio atque possessio, ipsius Dei recordationem memoriamque disturbet ? Quomodo omne virtutis studium extinguat, omnium rerum cœlestium cogitationem desideriumque dissipet omnino atque depellat ? Nonne magna et deploranda sunt hæc ? Magna profecto quæ ex cura et sollicitudine custodiendi, quæ quisque possidet, effluunt atque emanant.

I. Timoth. VI, 9.

*earumque possessio :*

« Ad hæc quis recensere unquam potest, quæ jurgia, quas lites, quamque incommodas suspiciones, et noxias simul appetitiones odiaque, et ut semel dicam, inexplebilem illam habendi sitim, quæ omnia ex eadem divitiarum sollicitudine manant, quæque per se hominem pecuniæ amplificandæ avidum distrahunt, ac multas in partes dividunt ejusque ani-

*proinde hoc instrumentum omnium vitiorum*

mum in dies obtusiorem ad cœlestia speculanda reddunt? Hinc præterea insolentia et fastus, hinc fastidium et luxus, atque omnium malorum vitiorumque caput superbia proficiscitur. Namque, ut optime ait Augustinus, omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne denique lignum suum habet vermem : vermis vero divitiarum est superbia. His igitur de causis statuendum videtur, tot divinis præsertim oraculis nobis illustratis, totque quotidianis exemplis sat eruditis, divitias omnium vitiorum instrumentum dici posse; tum propter facultatem, quam præbet aurum, cui (ut est in Sacris Literis) obediunt omnia ; tum propter magna peccandi irritamenta, quæ secum ipsæ deferunt. Quod cum ita sit, quid restat, mi Joannes, nisi ut etiam atque etiam videas quid lucri quæstusve ad animæ tuæ salutem ad id tempus congregandis opibus, commerciisque tractandis feceris; cum jam adeo illas esse noxias, non solum ad veram cordis pacem acquirendam, sed (quod omnium est longe maximum) ad cœlestem felicitatem comparandam, toties expertus sis? Proinde, visne, heus! tu Joannes, tot mala totque peccandi illecebras effugere, et ad meliorem assurgere frugem? Eas ipsas divitias atque caduca omnia et mortalia contemne. Visne Deo Optimo Maximo, ejusque eximiæ charitati, qui te ex nihilo creavit, cujusque divinam lucem proxime per internum illius afflatum tibi affulsisse fateris, quam optime respondere? Inde tibi bene beateque vivendi initium capias rogo, ex quo satis locupletem habuisti materiam, quare aversum te ab eo id tempus præstares. Hoc est ex tuis ipsis fortunis, uti principio dixi, ineundam vitæ rationem esse statue : scilicet, eas ut in pauperes eroges, quo paulatim a rerum humanarum consuetudine abductus, animum ad cœlestia erigas. Visne Christi sectator fieri atque discipulus ? Rebus humanis nuntium remittas, necesse est ; cum ipse dixerit : Qui non renuntiat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus ; et alio in loco, adolescentulo cuidam, evangelicæ perfectionis studia exposcenti, cum responderet : Si vis, inquit, perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus et sequere me.

*abdicandum suadet,*

Luc. XIV, 33.

Matth. XIX, 21.

« Vide, quæso, quam laboriosum sit ad veram Christi assectationem pervenire, ni prius opes dispertiantur in pauperes. Vis Christianam sapientiam in Christi schola edoceri? Paupertatem evangelicam sequaris convenit, quam auream illam virtutem esse judico, quæ minus inanis ac falsæ gloriæ telis sit exposita. Quin etiam in cæteris virtutibus hanc unam esse reor, quæ compendio hominem, optima voluntate præditum, ad celsum evangelicæ perfectionis fastigium evehat: utpote quæ vulgo hominibus invisa, et a vulgi existimatione aliena, nullum nomen ac nullam prædicationem habet vel captare vult aut potest : imo vero (quæ vis ejus est et natura) omnes suas rationes suaque simul studia et conatus ad Christi consilia exequenda accommodat ; dum penitus sibi concors, uni Deo libere vacat. Hæc, inquam, illa virtus est quæ non solum omnium scelerum ac vitiorum removet locum, sed etiam omnes fere virtutes secum defert atque inducit : nimirum temperantiam, continentiam, modestiam, mansuetudinem et (quod caput est) ipsam humilitatem ; quæ uti cæterarum virtutum est fons custosque fidissima, ita huic paupertati maxime propinqua, et ejus veluti germana soror. Quo loco cave putes, Joannes, de illa paupertate me in præsentia disserere, quam aut necessitas aut vis casusve aliquis affert; propterea quod id paupertatis genus, omnino ignobile et sordidum, vulgoque odiosum habetur. Ac jure quidem optimo: cum non modo hujusmodi paupertas, utpote gravis, cupiditatem non adimat, sed potius importet augeatque vehementer ; nec quietem in animo gignit, sed anxietatem, curam et sollicitudinem parit. Atqui de illa paupertate sermonem instituere primo fuit consilium, quam voluntariam Christus Dominus suo cohonestavit exemplo, nobisque verbis amplissimis amplexandam proposuit. Qui, ut ait Apostolus, cum dives esset, factus est pro nobis egenus : quandoquidem ille Deus, Dei Filius, in terras de cœlo veniens, cum sibi adsciverit sic, ut ex paupere ac tenui matre, regio quamvis exorta sanguine, carnem ducere voluerit ; et eum quoque nascendi locum elegerit, quo nullus in terris pauperior ac vilior est.

*et paupertatem Christi amplectandam*

*voluntariam scilicet,*

ANNUS
1356

Non enim ille, Dei Verbum Deique Sapientia ac majestas tanta, in magnifica quapiam aut ampla domo, vel certe in casa tuguriove aliquo; sed in pecudum stabulo, hieme etiam summa ac rigente cœlo, est natus; atque deinceps totam suam ætatem in terris sic transegit, ut cum vulpes foveas habeant et volucres cœli nidos, ipse tamen (quemadmodum de se contestatus est aliquando) nec ubi caput suum reclinaret, haberet; et (quod nobis magno debet esse solatio) non eum puduerit stipem emendicare, ut aliorum eleemosynis suam suorumque vitam ægerrime toleraret.

*acres ad id stimulos ei subjiciens.*

« Quid ergo amplius quærimus? Aut quid ad hæc dicemus? An pudebit nos Christum imitari, et eum per illud iter sequi quo ipse pauper ambulavit? O nos miseros! quos pudet discipulos imitari magistrum, servos Dominum sequi. Quid moramur amplius? Cur in veterno nostræ ignaviæ ultra obtorpescimus? O posses intimos pectoris mei sinus et recessus oculis intueri! Utinam, inquam, occultissimos quosque meæ voluntatis motus aspiceres! Nihil enim me magis cupere faterere, quam quod me tibi socium et comitem adjungerem in tam glorioso opere: comitem, dixerim, ut sordida videlicet apud cæcos mortales emendicatione, stipem et nos una vicatim colligeremus ad victum; præclarum tum vel maxime nobis ducentes, ut nos Christus Dominus tanto munere tamque illustri gratia condecoraret. Ast ego, quid in tam ardenti voluntate efficere possim, Ordinis mei spiritu præpeditus, certe non video, nisi divini numinis mentem in me magnopere suspicere atque admirari; inque ejus consilio quam libentissime conquiescere, qui Deus præpotens eam mihi principio paupertatem sectandam proposuit, quam veteres Patres, eosque sanctissimos monachorum Archimandritas, secutos fuisse optime constat. Tu vero interim, Joannes, ex hisce, quæ tibi bona fide dicere placuit, divino in primis suggerente Spiritu, haud ita difficili ratione colligere potes, quem tibi modum vitæ statuere oporteat, si Deo pergratum facere, si tuæ saluti consulere, si cunctis denique qui te ex animo diligunt solatio gaudioque esse velis.

ANNUS 1356

« Et hæc Petrus, de rerum humanarum despicientia atque christianæ paupertatis laude, inæstimabili spiritus dulcedine in præsentia dixit. Quibus certe verbis atque adeo ardentibus sententiis, statim ut finem dicendi fecit beatus Pater, ita affici impellique noster Columbinus se sensit ad evangelicam paupertatem amplexandam, ut nova tum divini numinis copia illustratus, non adeo cupide atque ardenter pecuniarum lucris sicut antea inhiaret, utque postea ex animo ea ipsa contempserit. Namque detestatus, tanquam teterrimam animæ pestem, pravam illam habendi cupiditatem, qua in quæstu faciendo, in dies magis ac magis rapiebatur; cœpit paulatim avocare animum a novis contrahendis commerciis, quæ vel nobilis mercator negociando tractabat, vel mensarius in occupanda permutandaque pecunia gerebat. Etenim ubi primum divinarum rerum epulas a Petro sibi expositas degustare cœpit, tantum abfuit ut humanas negociationes ultro amaret, ut etiam quodammodo cuncta illi sordescerent; seipsum identidem incusans, quod in rebus gerendis atque subinde curandis negotiis, pecuniarum studio ductus, a studio virtutis castoque Dei timore abduceretur. Quoniam quidem in repræsentanda pecunia nimia cupiditate abreptus, aliquid ex conventis solebat nonnunquam detrahere; quod piaculum ut expiaret, exinde intima religione tactus, evidenti mutatione declaravit quantopere ipsemet cuperet, frequenti videlicet restitutione, non solum quidquid a se subtractum fuisset in duplum rependere, sed etiam et pecunia condonata interdum debitoribus, et re domestica atque Christianæ humanitatis officiis erga egentes promptus ac lubens eluere. Quod ubi per occasionem ei liceret, re factisque abunde præstabat; fremente nequidquam conjuge, illique sæpe numero reclamante, etiamsi viri avaritiam et cupiditatem haud ita multo antea perstringeret, utpote quæ inexorabilem miseris nimiumque tenacem olim fuerit experta. Neque hisce tamen contentus. Siquidem cum majorem in dies a Sole justitiæ lucem sibi accuratis precibus imploraret, eo adducebatur plerumque, ut qua mortalibus commodis nuntium remittere, qua etiam

*Qui iisdem permotus,*

*primo lucrandi studium castigat,*

ANNUS 1356

evangelica consilia amplecti apud se statueret. Sed incitatos tam generosi pectoris impetus unus ejus filius Petrus, haud adulta jam tum ætate, retardabat; integrum nondum sibi per eum esse ratus, ut omnibus se fortunis momento exueret. Verumtamen quod in summo desiderio rei expediendæ salvo officio se posse facere arbitratus est, per eum non stetit quin libenti volentique animo executioni mandaret. Quod cum ingenti alacritate faceret quotidie, haud ita difficile postmodum illi fuit, se totum Petro exercendum excolendumque in rebus spiritualibus committere.

*et quatenus potest, per filii respectum, ille se exspoliat,*

« Ergo tanti viri Columbinus captus sanctimonia atque consuetudine, eam rerum divinarum intelligentiam adeptus esse videbatur, eodem Petro duce et moderatore, ut ad cætera pietatis opera atque incommoda voluntaria, quæ ipsemet anteactæ vitæ luxui expiando sponte susceperat, hæc volens lubens adjecerit, nimirum ut in orandi meditandique exercitationem toto pectore incumberet. Quæ sane animi studia ne in eo refrigescerent, ad cartusiam ventitare consueverat frequenter; ubi apud Petrum, una cum aliis eximia pietate viris, non modo spirituales agitare cœtus et crebra cum eo de rebus divinis instituere colloquia ; sed etiam alios atque subinde alios, quos ad Christianam pietatem propensos nanciscebatur, eodem adducere. In quibus Nicolai Vincenti (cujus mentionem sæpissime adhuc usurpavimus) nobili genere viri religio maxime enituit : quem cum in arctiorem quam antea necessitudinem Columbinus recepisset, præclaros certe dixerim ambos in spiritu habuisse progressus; quando pia illorum inter se conspiratio atque consensus magno utrique fuit adjumento, cum ad ardentes omnium virtutum in suis animis excitandos amores, Petri nostri verbo simul et exemplo mire incensis ; tum etiam ad ejusdem Petri mores atque virtutes cognoscendas penitus atque observandas, ut eos deinde ad posteritatem Literis proderent. Et hunc vivendi cursum tenuit Columbinus ad obitum usque Petri : quo rebus humanis exempto, tantum abfuit ut de inita vitæ ratione quidquam remitteret, ut etiam ad asperrima quæque Christi causa

*a B. Petri consilio totus pendens,*

*una cum Nicolao Vincenti,*

subeunda, recentem quamdam alacritatem in se momento diffundi senserit; quin dein postea (uti supra demonstratum est, et alias multo lucidius demonstrabimus) ipsius beati Viri visis et recreabatur identidem, et ad omnem sanctitatem erudiebatur: quo per ea seu per monita quædam cœlestia perspicue conjiceret, Petrum in cœlo suis etiam adesse cœptis, suique patrocinium et curam gerere beata circumvestitum immortalitate. ANNUS 1356

« Interea, dum hisce divinis adjutus præsidiis, ad perfectionis culmen gradum accederat Columbinus; Petrus ejus filius, plena nondum pubertate, haud porro ab ipsius Petri nostri decessu, excedit e vita. Cujus orbitate eam optimus parens animi firmitatem ostendit, ut doloris tristitiæve nullum præ se tulerit indicium : quin etiam maximas Deo gratias egerit, quod per mortem carissimi nati, illum sibi obicem sublatum aspiceret, qui sibi ad id tempus obstiterat, quo minus se totum Deo dederit, omnibus vitæ præsidiis exutum, prout fuerat ei in desiderio. Ergo simul atque Columbinus mascula se orbatum prole animadvertit, majorem Dei amorem animo concipiens, tum omnia negotiandi commercia dirimere, ac simul trajiciendæ ac permutandæ pecuniæ deponere studia prorsusque abjicere; tum fluxa præsentis vitæ commoda penitus deserere, atque humanas quas possidebat opes in pauperes dividere statuit. Quam in sententiam ingresso, non mediocre attulit adjumentum Franciscus Vincenti, Nicolai Vincenti germanus. Qui Franciscus, dum tacita quadam admiratione Columbini vitam pariter ac mores in melius commutatos apud se reputat, in eam mentem intimo Sancti Spiritus instinctu se sensit impelli, ut socium se ad eum in nova spirituali militia instituenda adjungeret : quod et peregregie præstitit, eodem Columbino ad Christianam laudem et decus illum adhortante. Tali ergo commilitone aucto Columbino nihil longius erat, quam virginem filiam, quæ tredecim annos nata reliqua illi fuerat, antiquissimo ac nobili sacratarum Virginum gynæceo SS. Abundii et Abundantii, quod inclytus Italiæ rex Pipinus, Caroli Magni filius,

*Dein mortuo filio,*

*negotiare desinit;*

*filiaque in monasterio collocata,*

ANNUS 1356

divinitus extruendum curavit, vulgoque sanctam Bundam appellant, ipse traderet. Quod ubi ingenti cum religione fecisset, eumque in idipsum pari animi propensione Franciscus esset imitatus, extemplo egregii Christi milites, omnes quas habebant facultates, in ejusdem Christi Domini gratiam, partim in pauperes erogarunt, partim piis locis atque xenodochiis attribuerunt, anno a partu Virginis millesimo trecentesimo sexagesimo tertio. Atque tum, ad solida Christianæ humilitatis fundamenta in se jacienda, vicatim cum stipem emendicare, tum in ea quoque, quæ cæteri velut abjecta minimeque speciosa fastidiunt, descendere ceperunt. Quorum deinde facta miranda, Columbini vel maxime, cum a pluribus fuse atque italice perscripta sint, inculcari hoc loco necesse non est: et hæc tantum nos in medium adduximus, quæ ad historiam nostram omnino facere existimavimus. »

*omnes facultates erogat.*

ACTA CAPITULI.

IV. Ex Charta Capituli generalis.

1. « Obiit R. P. D. Bertrandus, episcopus Sabinensis et cardinalis, qui habet tricenarium, etc. » Hic vocabatur de Deucio, e castro de Blandiaco, olim Ebredunensis archiepiscopus, a Benedicto XII creatus cardinalis; quem Ciaconius et post eum Sammarthani et alii perperam scribunt condidisse cartusiam Avenionensem, quæ tantum hoc anno incœpit, ut diximus supra. Ipse vero jam obierat anno præcedente, XII Calendas Novembris. Sed hi videntur eum confudisse cum Joanne de Blandiaco, ejus ex fratre vel sorore nepote, insigni ejusdem cartusiæ benefactore, de quo dicemus anno 1379.

2. « Obiit R. P. D. Arnoldus, cardinalis Appamiarum, habens tricenarium. » Obierat etiam anno præcedente. Hunc Sammarthani dicunt esse Pontium de Villemur, ac propterea volunt eos qui eum nominant Arnoldum, corrigendos esse; quod vix mihi persuadeo, cum Charta præfata eodem tempore mortis illius scripta sit.

3. « Item obiit R. P. D. Guido, episcopus Æduensis, habens idem. » Si obiit 10 Calendas Junii, ut ponunt Sammarthani, ad annum præcedentem obitus illius referendus est, non ad præsentem.

ANNUS 1356

4. « Pro domino Rege Franciæ et domina Regina et eorum liberis, ac pace bonoque statu regni, dicatur in qualibet Domo Ordinis una Missa de Spiritu Sancto, cum oratione Beatæ Virginis. » Idem injungitur pro Rege Angliæ; statimque subditur : « Item pro pace dictorum dominorum Regum et ejus promotoribus fiat tricenarium de Spiritu Sancto.

5. « Pro Domino nostro Dalphino Viennensi primogenito Regis Franciæ et ejus consorte ac pace bonoque statu Dalphinatus, fiat sicut pro Rege. » Hic erat Carolus Sapiens, annis præcedentibus cum Humberto commendatus, quem anno sequenti videbimus totum Ordinem nostrum eximere ab exactionibus Clero indictis. Qui præterea hoc anno in Novembri omnia nascentis cartusiæ Vallis Benedictionis prædia sacra et ecclesiastica, amortizata, libera, omnique jurisdictione sæculari immunia ad Innocentii VI fundatoris instantiam declaravit. Unde Choppinus scribit eum merito ab hac Domo agnosci debere « supremum rei auctorem qui francicos summi Dominatus sui fundos Cœlitibus dicari permisit. » Quæ quidem omnia Joannes rex, ex Anglia reversus approbavit, præsens in eadem Domo, quando facta est translatio corporis Innocentii.

*Carolus Sapiens Avenionensis cartusiæ benefactor.*

Lib. II, Mon. tit. 2, n. 21.

6. « Pro domino Petro de Treviris, canonico sacerdote, qui misit Capitulo generali centum triginta florenos pro expensis ejusdem Capituli, fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto.

7. « Ad reverentiam Beatæ Mariæ et consolationem Domni Prioris Cartusiæ, quilibet sacerdos dicat unam Missam de B. Maria more solito.

8. « Hoc anno, in vigilia Eucharistiæ fiat abstinentia, et in die jejunium fiat sine lacticiniis; et dicentur duæ Missæ, una de festo, et alia sicut fit in vigilia Ascensionis quando festum Apostolorum Philippi et Jacobi in ea occurrit. » Hæc ita disponuntur propter festum S. Joannis Baptistæ præsenti anno in crastino festi Corporis Christi occurrens.

*Notanda circa festum Corporis Christi.*

9. « Item festum Joannis et Pauli martyrum, quando Dominica infra octavas Eucharistiæ occurrit, transfertur ad

ANNUS 1356

diem sequentem, et tres lectiones illius diei legentur in refectorio in die Dominica ; et Commemoratio sancti Pauli quæ in octavis Eucharistiæ occurrerit, transferetur ad feriam sextam post octavas Eucharistiæ.

*De caputiis Ordinatio.*

10. « Ut uniformitas in habitu observetur, ordinamus et volumus quod de cætero caputia cucullarum sint unius frusti, et non habeant suturam aliquam retro ; et sint plana super caput, quadrata et alta communiter secundum altitudinem capitis ; singulariter juxta modum et formam Domus Cartusiæ, et exemplar traditum pluribus Prioribus deferendum ad Domos suas, et transmittendum ad alias de suis Provinciis, quarum Priores ad præsens Capitulum non venerint. Et hoc idem intelligimus et fieri volumus de caputiis Conversorum. Et caputia capparum tam Priorum quam aliorum, mensuram trium palmarum cum dimidio ad plus in longitudine, et duorum cum dimidio in altitudine non excedant ; et jam facta statim ad dictam formam et mensuram, ut commodius poterit, redigantur.

11. « Item volumus quod manticæ sive maletæ quas retro se super equitaturam portare debent Priores et aliæ personæ Ordinis cum equitant, et quas portabunt qui cum eis equitabunt, contineant ad minus in longitudine tres palmos, et ad plus quatuor cum dimidio, et latitudine ad minus duorum palmorum cum dimidio sint contenti.

12. « Concessum est Domibus Ordinis quod, urgente periculo guerrarum, possent se transferre ad loca secura, ut remaneant et stent honeste, et redeant cessante timore. »

# *JESU CHRISTI
## ANNUS 1357.

| Innocentii PP. VI | Ordin. Cartus. | Joann. Birelli Pr. Cart. |
|---|---|---|
| Ann. 5. | Ann. 274. | Ann. 12. |

I. ANNUS sequitur Redemptoris millesimus trecentesimus quinquagesimus septimus, Indictione decima. Cum anno proxime elapso, Joannes rex Galliæ infauste pugnasset contra Anglos in prœlio Pictaviensi, ipsemet captus, Burdegalam et inde in Angliam perductus est, magno totius Galliæ luctu, quæ pro redemptione Regis, novis cœpit vexari vectigalibus ; præcipue vero ante alios Clero, et monasteriis redituariis, gravia imponuntur onera et exactiones ; non exceptis Cartusiensibus quos tamen statim Carolus dalphinus ab eis eximit, asserens in Literis eam gratiæ prerogativam Nostris indulgeri ob vitæ solitariæ observantiam et modicos reditus. Interim omnia in regno perturbantur, fiunt undique seditiones : populi vulgus in Nobilium ordinem, maxime in Picardia et locis finitimis commovetur, nec monasteriis parcit. Nostræ quoque Domus eidem objiciuntur calamitati. Hæc mala præsertim experta est cartusia Montis Dei, quadriennii spatio quo rex Joannes in Anglia detentus fuit. Quidam enim eorum qui pridem ob furta et rapinas a Præfecto Montis Dei mulctati fuerant, discordiæ et maledictionis zizania seminantes, vicinorum pagorum plebeculam adversus Cartusienses accenderunt. « Unde quidam rustici, captata occasione, irruunt in cartusiam quam nullus protegebat, rapientes quæcumque occurrebant, videlicet : octoginta modios tritici, septuaginta modios avenæ, tres

REGE GALLIÆ CAPTO, TRIBUTIS MONASTERIA PREMUNTUR.

*Seditiones ubique.*

*Mons Dei iterum vexatur,*

Ex Archivo Domus.

ANNUS
1357

modios hordei, unum dolium olei, decem modios pisorum, octo modios fabarum, sexaginta quinque vasa mellis, quindecim vasa olei, sex sextarios cæparum ; centum quadraginta vehicula fœni et ducenta sexaginta quinque lignorum, quadraginta fascium, millia centum asseres ; octo vehicula ardesiarum et sex tegularum ; quinque equos, duodecim currus, duas naviculas, ducentos quadraginta caseos, duodecim boves,duas vaccas, quadraginta octo dolia vini, unum modium aceti, duos modios novi vini, duos cados salis ; quadraginta paria calceorum et omnes quæ in sutrina et coriaria erant pelles, centum libras candelarum ; quadraginta sex porcos et capras ducentas. Tum quoque spectares homines istos, nemine prohibente, in stagnis nostris piscantes quorum sex penitus evacuarunt. Dein januis et fenestris perfractis, invadunt Procuratoris cellulam in qua magna erat vestium, linteorum et victuum copia ; auferuntque utensilia furni, sutrinæ, coquinæ, forgæ et marescalliæ, equorum etiam stramenta, imo et ligneas compages. Monachi quidem Comiti Flandrensi conquesti sunt ; sed, haud possibile fuit jus suum obtinere ad annum usque 1366 quo Carolus V rex, eorum causæ attendens, magna siquidem adhibita severitate, nocentibus mandavit omnium quæ assumpserant valorem rependere ; imo et plures capite mulctasset, nisi Prior Montis Dei vitam eorum deprecatus esset. »

*imo stirpitus expilatur.*

CARTUSIA JUXTA LEODIUM FUNDATUR.

Origin. Cartus. Belgii, p. 84.

II. Eodem quoque anno fundatur cartusia Omnium Apostolorum apud Leodium. De qua hæc refert Arnoldus Raissius : « Sita est hæc Domus in monte Cornelio, qui imminet Leodio, in quo et veteres chartæ meminerunt S. Aubertum olim arcem ædificasse et habitasse. Succedentibus autem annis, varios habuit hic mons incolas : ac primo Religiosos, ut quibusdam probabile fit, nigri Ordinis ; deinde et Cistercienses Moniales, necnon et Præmonstratenses ab Alberone pontifice et principe Leodicensi fundatos, qui postea hospitibus gravati et militibus Ducis Limburgensis, locum in manibus Episcopi reliquerunt. Ille vero locum in castrum commutavit circa annum 1288. Accidit autem aliquanto post tempore

ut Joannes de Brabantia, civis et scabinus Leodiensis, illiberis cum esset et dives ac inclytus valde, testamento bona sua relinqueret Abbati Conventuique monasterii sancti Jacobi in Insula Leodii, sed sub onere quod ipsis incongruum visum est : nempe ut decem alii Religiosi adjicerentur cæteris hujus monasterii,qui et pro requie animæ suæ et antecessorum suorum Deum orarent. Ideo sicut et præcedentes, ita et hi legata resignarunt in manus Episcopi circa annum 1345. Deprehensum est autem in scriniis testatoris, eum in votis aliquando habuisse Domum Ordinis Cartusiensis fundare : cui rei fidem faciebat scriptum autographum ejus manu exaratum. Quod cum percrebuisset et ad aures Engelberti Leodiensis præsulis pervenisset, is ex mente fundatoris se facere ratus, omnia legata in dotem et fundationem cartusiæ convertit, arcemque suam Corneliam, cum omnibus ædificiis et appendicibus, de consensu Capituli sui consignat Ordini Cartusiensi, ad Dei gloriam et honorem, necnon beatissimæ Virginis Mariæ, duodecimque Apostolorum peculiarium loci patronorum. » Ejusdem Episcopi industria cartusia mox ædificari cœpit et anno 1360, per R. P. Elisarium cæterosque Diffinitores, Ordini incorporata est.

ANNUS 1357

Dorlandus noster paulo aliter, et quibusdam etiam additis, hæc de eadem Domo scribit : « Est Domus celeberrima Ordinis nostri, non longe a Leodio civitate admodum illustri sita, quam olim Præmonstratensium Ordinis Fratres sueti erant incolere. Hunc locum cum Præsul quidam Leodiensis ob res bellicas vehementer ambiret, egit multo conamine ut præfatos Fratres ad alium in civitate locum traduceret, et hunc locum constructa fortissima arce suis usibus manciparet. Dehinc temporis progressu, alio quodam Episcopo largiente, non sine divino nutu, hoc castrum Cartusiensibus adsignatum est ; idque tali oraculo præeunte. Adolescens quidam illustris vitæ, et qui apud plurimos magno in pretio habebatur, vidit in visu manifeste candidissimos viros hoc in loco constitutos facto agmine ecclesiam ingredi, et unum post alium campanam quæ in medio chori dependebat pulsantes

Chronicon Ord. Cartus. Lib. VI, cap. 30.

ANNUS
1357

attingere, seque unum esse ex compulsantibus. Hac revelatione Præsul commonitus et inflammatus, locum ipsum usibus Cartusiensium Fratrum delegavit, structa illuc primum ecclesia cum paucissimis cellulis et officinis. Dehinc ipse cum sacro Collegio, missis nuntiis supplicant nostro Capitulo generali, ut Fratrum aliquantum numerum istuc transmittere dignaretur. » Plures deinde Clerici et laici in nova Domo habitum recepere. « Quorum omnium primus accurrit adolescens, quem Deus nuper cœlesti visione donaverat et pulsantes Fratres in spiritu viderat. Hic devote acceptus et devotius conversatus est. Cumque crebro, ut moris est, campanam ipse pulsaret, visionis suæ memor, Domino alacri spiritu serviebat. »

Dorlandus, ubi supra.

CÆTERI FUNDATORES.

Bibliotheca regia Bruxell. cod. 4055.

III. Hic intexere expedit quæ in quodam reperimus Manuscripto cui titulus : *Fundatio cartusiæ Leodiensis.* « ..... Et cum ipso Priore primo Domno Bertrando, professo Domus Vallis Viridis, missi sunt tres Monachi qui tunc erant hospitantes in Domo Cartusiæ, quorum unus fuit Domnus Bartholomæus Utroff Domus Gueldriæ, secundus Joannes Militis, tertius Adam ; qui duo posteri professi erant Domus S. Honorati prope Abbatisvillam : postea vocati sunt etiam alii cum beneficio tricenarii....

*Præter et ante Engelbertum archiepiscopum,*

« Non obstante autem quod archiepiscopus Engelbertus locum hunc dederit, insuper de suis facultatibus 600 florenos Rheni ad structuram provehendam apposuerit, pannos purpureos pro altarium ornamentis et ducentos grossos turonenses post mortem Domui legaverit, item pulcherrima privilegia de libertate loci et personarum, ac de lignis scindendis pro Domo ipsa in nemore dicto de Wreuft : tamen is qui sequitur D. Hilmicus de Moissant, canonicus Leodiensis, Præpositus S. Bartholomæi, Alemanus natione in Comitatu Cliviensi, quasi præcipuus Fundator habetur, quoniam cura et sollicitudine ipsius, dedit nobis Episcopus quæcumque dederit ; et præterea plurima dedit beneficia dum vixit, nunc ædificando cellas, nunc culinarium, nunc curando benedici suis expensis altaria, nunc calicem et similia, nunc emendo

*Hilmicus de Moissant.*

ANNUS 1357

domum in civitate .... etc.; tandem omnium bonorum suorum ex asse nos hæredes fecit; nec voluit Religiosorum aliquo modo gravari conscientias propter dispositionem testamenti. Nequaquam autem prætereundum mortem ipsius Hilmici, in qua jam videtur cœpisse manducare fructum laborum suorum. Nam cum extremum obdormitionis diem, quem hilariter præstolabatur, advenire cerneret, accessiri fecit coram se universos et singulos cum quibus hactenus agere habuit, scilicet nepotes et consanguineos, officiales et ministeriales, colonos et redituarios, una cum Priore Domus (Leodiensis) simul et familia sua; quibus certo tempore congregatis fecit adesse Notarium cum testibus. Ad primum requisiti ab eo nepotes et consanguinei sui sigillatim singuli, si aliquid ad ipsum vel ad sua haberent dicere, et respondentibus nihil, petiit super hoc fieri sibi Instrumentum. Dehinc rationem posuit cum singulis et quod volebat scribi fecit, et quod volebat quitabat. Quibus cum matura deliberatione et discretione peractis, demum ad Priorem Domus prope se sedentem respiciens : « Domine Prior, inquit, computemus. » Qua computatione præsentibus omnibus peracta, defalcatis hinc et inde et recompensatis, summa debiti Domus ascendit ad 200 florenos fortes ponderis. At ille, modica deliberatione habita : « Ducentos, ait, florenos quito vobis propter Deum, ut oretis Omnipotentem Deum pro me. » Quibus gestis et illis recedentibus : « Nunc, ait ad præsentes, accipite mensuram mei corporis pro cista facienda pro me. » Lamentabile erat videre hominem sanæ mentis sic mensurari ad mortem. Deinceps : « Sunt, inquit, in tali solario 16 libræ ceræ, adferte eas huc et facite inde fieri 8 candelas quarum quatuor circa cadaver meum pernoctabunt in aula mea, et quatuor in crastinum portabuntur ad Cartusienses pro exequiis meis faciendis. » Ad Priorem autem : « Domine Prior, ite nunc, ait, et facite præparari sepulchrum meum; » quod voluit fieri juxta fratrem suum videlicet ante chorum, quod propter ejus reverentiam aliter fuit depositum (unde sepultus ipse jacet in medio chori ante gradus) tamquam Fundator

*Quid Nostris fecerit moriens.*

ANNUS 1357

loci hujus, nam propius magnum altare positus fuisset, nisi interfuisset cryptæ cavitas. Non multo post disposuit se ad mortem et usque ad finem agonizando verba edidit, osculando crebre cum plurima devotione imaginem Crucifixi quam manu tenuit; et cum amplius loqui non posset, manu levata circumdantes et flentes valefecit et exolvit quod debuit, anno 1370. Cui contulimus Anniversarium perpetuum septimo die cujuslibet mensis, hoc est duodecim in numero, excepto obitus die quo agitur tertium decimum.

B. DE EYGRE PROMOTOR DOMUS.

IV. « Hunc secutus est Venerabilis D. Bernardus de Eygre, canonicus ecclesiæ Majoris necnon Præpositus S. Martini Leodiensis, consanguineus dum vixit quondam D. Hilmici præscripti, juxta eumdem sepultus. Magnus promotor Domus nostræ et causa magna, imo principalis, ædificationis magni claustri, de cujus eleemosynis tam in vita sua per se largitis, quam per executores post mortem ejus nobis deliberatis, habuimus circiter mille et septingentos florenos, tribus florenis pro uno Anglico deputatis. Obiit autem anno 1394, 8 Junii. »

Dominus fundator Joannes Brabantius jamjam e vivis excesserat Kalend. Decembris 1353.

*Archiepiscopi fundatoris obitus.*

Engelbertus Leodiensis præsul, anno 1364 in archiepiscopum Coloniensem confirmatus, præfuit annis quatuor. Cum vero senio gravatus, imo etiam paralysi dissolutus esset, annuente Summo Pontifice, ad vitæ privatæ tranquillitatem se recepit anno 1367 et obiit anno sequenti, 21 die mensis Augusti; unde corrigas Democharem ejus obitum ad annum 1364 referentem.

*Benefactores Domus.*

Hist. Cartusiana, ms. fol. 527.

Inter cæteros in hanc cartusiam beneficos, silentio non prætermittenda est generosa illa domina Catharina de Flemalia, uxor quondam Rewerardi de Ponte, Majoris Leodiensis. De qua hæc legimus apud nostrum Molinum. « Obitu viri sui, qui obtigit sexto Kalendas Octobris 1401, sui juris facta, trecentos modios annui reditus et hæreditarios speltæ donavit huic cartusiæ, ut sex Religiosi cæteris Patribus adjicerentur; et pro erigendis et extruendis sex cellis mille nongentos florenos Rheni erogavit; tum etiam pro eorum vestitu, alimen-

ANNUS 1357

tis et aliis necessariis quosdam reditus assignavit. Denique tot et tantis bonis suam erga hanc cartusiam benevolam beneficentiam testata est, ut singulis diebus Dominicis in commendatitiis precibus quæ fiunt in Capitulo, memoria illius fiat sub hac formula: Pro domina Catharina Flemalia, matre nostra. » De qua memorabile fertur illud, quod cum a Summo Pontifice impetrasset, ut erat Fundatrix, licentiam ingrediendi ecclesiam Cartusianorum; post mortem viri sui coram summa ara votum continentiæ vovit Deo, unde et post obitum* in eo loco (scilicet sub lampade) sepulta est in quo votum emiserat.

Raissius Origin. p. 84.

* VII Kal. August. 1419.

Præter istos præcipuos benefactores, alios decem reperimus, qui simul donarunt ex testamento sexcentos et quinque modios speltæ annuos et quatuor mille florenos.

« Inter sepultos in hac Domo non invenio nobiliores quam canonicos Leodienses. Est quidem cryptæ nostræ lapis sepulchralis indicans sub se contineri cor et intestina R. Archiepiscopi Leodiensis D. Arnoldi de Horn. De eo tamen nihil reperio in Libro anniversariorum : cum in gestis Pontificum Leodiensium D. Chapaville habeatur quod sit sepultus in Agro Hornensi, in monasterio nobilium Virginum Ordinis Cisterciensis de Keserbos, a Majoribus suis fundato. »

*Cartusia in bello destruitur.*

Anno 1487, cum Everardus a Marka expugnare vellet civitatem Leodiensem, castra posuit intra cartusiæ mœnia, et per omne tempus quo in ea mansit, magnos casus passi sunt Patres nostri. Prima nocte post ejus ingressum, ecclesia conflagravit, et quidquid in ea conditum congestumque fuit in cineres abiit. Dein, obsidione soluta, cives ipsi concitati in cartusiam ascendunt, primum exteriores muros, mox vero octo cellas funditus evertunt, ac cæteras demoliti fuissent, nisi Episcopus Leodiensis, ad instantissimas Patrum Visitatorum preces, præcepisset ut cessarent. Proinde Conventus divisus est per Provinciam, donec restauraretur Domus, quæ sub Rectore relicta, a Capitulo generali ei commissa est his verbis : « Monemus Rectorem Leodiensem, ut sollicitus sit pro restauratione ejusdem Domus tam lamentabiliter de-

ANNUS 1357

MULTIPLICES TERMINI, SEU LIMITES, IN ORDINE USITATI.

Ex Archivo cartusiæ Trisultanæ.

structæ. » Porro successu temporis restaurantur omnia, et templum marmore et lapide jaspide sternitur, ut ait Raissius.

V. Cum Cartusienses Domus Trisulti Reverendum Patrem Cartusiæ rogassent ut terminos eorum Domus dilataret, negotium commisit Domorum Neapolis et Januæ Paradisi Prioribus; qui omnibus mature perpensis ita statuerunt, hoc dato diplomate: « In nomine Domini, etc. Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1357, 24 die Septembris. Nos Petrus et Jacobus Domorum S. Martini prope Neapolim et Januæ Paradisi Priores, Visitatores generales Provinciæ Lombardiæ cum plena autoritate generalis Capituli per Reverendum Priorem Domus Cartusiæ nobis commissa, in Domo sancti Bartholomæi de Trisulto generaliter visitantes; declaramus quod (juxta secundam dilatationem terminorum factam per Visitatores post dilatationem factam per literas et mandatum Sedis Apostolicæ, videlicet DD. PP. Innocentii IV; et ante fuerunt quidem multo breviores termini huic Domui assignati vel confirmati per Dominum Papam Innocentium III) ultimi (i. e. recentiores) termini pertenduntur a monte S. Joannis ad S. Mariam in Mesana....; quos ultimos terminos eis dimittimus prout sunt, quoad possessiones acquirendas et retinendas usquequo habeant confirmationem ipsorum per Capitulum generale, ad quod mitti volumus literas Visitationum antiquarum prædictas. Pro Monachis vero, pro ipsorum licite cum voluntate Prioris exitu, volumus esse terminos primo Domui assignatos vel confirmatos per dictum Innocentium PP. III, excludentes ab eis castrum Vici et villas muratas. Qui vero de cætero præfatos majores vel minores terminos inordinate exierint, ipso facto fugitivi habeantur. *Majores* termini ultimo dilatati per Visitatores anno 1260 sunt in hunc modum : Incipientes a ripa fluminis... *Minores* vero termini sunt hi, videlicet : Rivus veniens de Guarcino...; hi sunt minores termini in literis Domini Innocentii III prout vidimus in eisdem. Datum sub sigillo Domorum nostrarum. Anno et die quibus supra. »

Hæc etsi non Ordinem universum, sed solam Trisultanam

ANNUS
1357

cartusiam spectent, recte meritoque recitanda sunt : ibi enim evidenter explicatur quinam sint apud Nos termini Majores vel possessionum ; quinam vero Minores, id est quos Monachi in Spatiamentis excedere non possunt. Jam ab ipso Ordinis initio, R. P. Guigo in suis Consuetudinibus scribens de limitibus extra quos nihil possidere fas erat : « Præsentis scripti, inquit, sanctione statuimus quatenus loci hujus habitatores, extra suæ terminos eremi nihil omnino possideant, id est : non agros, non vineas, non hortos, non ecclesias, non cœmiteria, non oblationes, non decimas, et quæcumque hujusmodi. » In Antiquis etiam Statutis de terminis ultra quos Monachis egredi non licebat talis est sermo : « Exire extra terminos nulli Monacho sine licentia Prioris licet. Et alibi notatur quod « Monachi interdum per licentiam Præsidentis, extra Domos suas, infra tamen terminos suos, recreationis causa, in Spatiamentis exeunt. »

*Fines possessionum. Fines deambulationum.*

Cap. XLI, 1.

II. P. cap. XXII, 15.

Tertia Compil. c. III, 3.

EXPLICIT VOLUMEN QUINTUM.

# INDEX

# INDEX

## ANNALES ORDINIS CARTUSIENSIS

### SECULUM TERTIUM

(prosequitur)

### Jesu Christi annus 1309.

## Annus 1310.



## Annus 1311.



## Annus 1312.



## Annus 1313.

## Annus 1314.



## Annus 1315.



## Annus 1316.

## Annus 1317.



## Annus 1318.



## Annus 1319.



## Annus 1320.

## Annus 1325.



## Annus 1326.



## Annus 1327.



## Annus 1328.

## Annus 1329.

## Annus 1332.



## Annus 1333.



## Annus 1334.

## Annus 1335.



## Annus 1336.



## Annus 1337.

## Annus 1342.



## Annus 1343.



## Annus 1344.



## Annus 1345.

## Annus 1346.



## Annns 1347.



## Annus 1348.



## Annus 1349.

## Annus 1350.



## Annus 1351.



## Annus 1352.



## Annus 1353.

## Annus 1357.




Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.
Ern. Duquat typographus.